PRO

STATU ECCLESIÆ CATHOLICÆ

ET

LEGITIMA POTESTATE ROMANI PONTIFICIS

CONTRA

JUSTINI FEBRONII JURISCONSULTI

LIBRUM

AD REUNIENDOS

DISSIDENTES IN RELIGIONE CHRISTIANOS

APOLOGETICON THEOLOGICUM

OPERA

JOAN. GODEFRIDI KAUFFMANS HULSENSIS

S. T. D. ET NUNC FACULT. THEOL. COLON. DECANI

LIBRORUM CENSORIS ORDINARII,

ARCHIEPISCOPALIS CURIÆ SIGILLIFERI MAJORIS,

CANONICI S. MARIÆ.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

APUD FRANCISCUM WILHELMUM JOSEPHUM

METTERNICH.

ANNO MDCCLXVII.

REVERENDISSIMO

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOM. CÆSARI ALBERICO LUCINIO

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPO NICÆNO,

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI CLEMENTIS XIII.

DIVINA PROVIDENTIA PONTIFICIS MAXIMI

PRÆLATO DOMESTICO,

ET

PONTIFICIO SOLIO ASSISTENTI,

EJUSDEMQUE AC DICTÆ SANCTÆ SEDIS

AD TRACTUM RHENI, ALIASQUE INFERIORIS

GERMANIÆ PARTES

CUM POTESTATE LEGATI DE LATERE

NUNTIO.

REVERENDISSIME EXCELLENTISSIME DOMINE

Iterum *inimicus homo Zizania ſuperſeminavit* in agro Domini. Iterum ſcribitur *priora* Eccleſiæ Romanæ *tempora meliora fuiſſe, quàm nunc ſunt.* Primorum octo ſæculorum fœliciſſimâ periodo per Iſidori fraudes concluſâ *mutatum eſſe colorem optimum* Hierarchiæ Pontificiæ, quaſi traduce fidei abruptâ, & non *cuſtodito Traditionis depoſito* ceſſaret promiſſio Paſtoris æterni. Si inimici Eccleſiæ certo ſæculorum numero circumſcribant orthodoxiæ conſervationem, & maledicant Eccleſiæ Romanæ præſentis temporis, gementes taceremus, at non æquè ſuſtineat Catholicus, quòd filii Matris noſtræ intra ſinum illius pungent contra Paſtores, imò contra Principem Paſtorum. Quis Romanæ Communionis toleret idealem Pri-

matum

matum Antiquitati attributum laudari, illum autem Primatum Ecclesiæ, qui nunc in terris est solus, & nostræ obedientiæ postulat obsequium, hominis Catholici scriptione contemni, neque contemni tantùm, sed & contra eum Reges & Principes excitari, ut ad Pontificiæ spiritualis dominationis depressionem, pro salute populorum, quibus præsunt, exerceant potestatem à Deo sibi concessam. Imaginaria illa in Statu Ecclesiæ vicissitudo ad Isidoricas Decretales, velut ad primum fontem reducitur. Episcopis ignorantia imputatur, quòd non tantùm seorsim, sed & in Conciliis Generalibus per tempus pura illa & sancta octo sæcula multùm exsuperans decepti, delusi non viderint, quæ pro pastoralis officii ratione videre debebant; aut, ut ambitionem, & cupiditatem translationis ad splendidiores Ecclesias, aut unionis plurium Ecclesiarum per gratiam Summorum Pontificum exsaturarent, vili assentatione clauserint oculos, & videntes non viderint; aut, si nec ignorantes nec improbi fuerunt, ad potentiæ & artibus studiisque dolosis Aulæ Romanæ resistendum se impotentes, & invalidos agnoverint. Primatum Pontificatûs Romani apertis incrementis ad eam usque deformitatem processisse fingitur, ut nec species, nec decor Primatûs antiqui à Patribus, & Doctoribus puriorum temporum laudati permanserit. Laudantur, extolluntur Pontifices veteres, ut vituperentur, deprimantur hi, qui nostræ ætati sunt propiores. Dum non obeditur CLEMENTI XIII. hoc quasi votum est obedientiam recusantium: *O si fuissemus in diebus Patrum nostrorum*, meliùs res Catholicæ per nos agerentur, paratissimè ad Beatorum Pedum oscula se nostra cervix inflecteret. Spes uniendi dissidentes in Religionis negotio prætexitur machinationi. Contra spem in spem credi simulatur, dum non latebat, firmitatem Religionis Catholicæ obstare, & sem-

per

per obſtaturam retractationi definitorum; neque ignorabatur, quid poſt ſuſcitata Religionis diſſidia integerrimis virorum ſapientiſſimorum conſiliis, libris doctiſſimis ad revocandas oves errantes fuerit laboratum. Quanquam graviſſimi ejus, quæ nunc eſt in Eccleſiâ Romano-Catholicâ, Hierarchiæ vindices obtuderint mucronem ſtili cenſorii, quo illam quidam in Galliâ & Belgio pupugerunt, acuitur nunc iterum. Argumenta hoc & priori ſæculo à Scriptoribus illis Pontificiæ Dignitati, qualis nunc eſt, infeſtis, & malevolis congeſta, ſed ſtatim confutata, ſuppreſſis, quaſi nunquam apparuiſſent, apologiis, inſtaurantur. Solâ fiduciâ, lectores pauciſſimos monumenta Patrum, Acta Conciliorum hiſtorias antiquorum Eccleſiæ temporum inſpecturos, malè citata ſine fronte iterum citantur. Hoc opus, hic labor eſt neſcio cujus Febronii Juris-Conſulti Catholici. Theologiæ Scholaſticæ, & Polemicæ nulla illi cura eſt, ſed conſtat ſolennem hunc eſſe morem iis omnibus, qui res novas in Fidei, & Diſciplinæ Catholicæ negotio moliuntur. Jus publicum politicum Eccleſiaſticum Germanicum commendat ceu neceſſarium; hoc ſi tale eſt, quale ante annos 50 editum in Academiâ Erfordienſi, placet Romano-Catholicis, diſplicere autem debet Febronio; ſi tale eſt, quale ante annos 20 prodiit Francofurti, probabit Febronius, ſed damnavit, & damnat Eccleſia. Non defuêre, nec deerunt impoſterum fontes Catholicis Romanæ Eccleſiæ filiis, unde latices illimes hauriant. Quæ ad politicam diſſidentium in Religionis quæſtionibus Germanorum ſocietatem pertinent, patriæ amantes non omittent obſervare ſolicitè, ſed inter officia *boni civis*, & *boni Catholici* diſtinguere neceſſe eſt; alia Catechismus, alia convictus civilis poſtulat; S. Matre Eccleſiâ probante hæc poteſt, imò etiam debet conjunctim obſervare Germanus; ſed unitas, puritáſ-

que

que Religionis neutiquam eorum commixtionem ſuſtinet per intellectûs aſſenſum.

Zelus tuus, Reverendiſſime, Excellentiſſime Domine! pro Eccleſia Dei & ſtudium orthodoxiæ Te movit, ut dum intra Provinciam tuæ Legationis Opus Febronii natum eſſe, conjectatur, intra eandem refutari deſiderares. Quanquam forenſibus negotiis, aliisque pro officii ratione diſtentus plus otii ad hanc rerum varietate operoſam ſcriptionem optaverim, propenſiſſimæ tuæ erga me voluntati hoc obſequium pró meâ tenuitate rependere conatus ſum; ſi minùs reſponderit exſpectationi tuæ, occupationibus quotidie diſtrahentibus veniam dabis. Illuſtriſſimo Nomini tuo eo lubentiùs hanc opellam inſcribo, ut dum à Provinciâ hujus tuæ Legationis, cui ſex annis inſigni cum gloriâ præfuiſti, ad Aulam potentiſſimi *Regis Catholici Hiſpaniarum* tranſitum paras, ſupremâ juſſione SS. D. N. Clementis XIII. Pontificis Maximi Apoſtolicâ Legatione functurus, hoc à me προπεμπτήριον habeas. Erit grata impoſterum Tuî memoria in hac Agrippinenſium urbe, quam duo *Archintii* alter Proavunculus tuus Legatione Sedis Apoſtolicæ, alter Avunculus tuus ad Purpuram S. R. E. & Supremum *Secretarii Statûs* Miniſterium ſub Benedicti XIV. & moderno Pontificatu promotus Academicis Studiis illuſtravit. Tuis virtutibus facis Agrippinenſes ominari Te Illuſtriſſimi Luciniani Nominis menſuram impleturum, & ſpem de Te in Hiſpaniâ præconceptam præſentiâ tuâ ſuperandam. Ad magna & natus & factus periodum à Deo & Sanctâ Sede Tibi conſtitutam decurre feliciter & abſolve.

DISSER-

DISSERTATIO SINGULARIS,

IN QUA

DISTINCTIS ANIMADVERSIONIBUS PROLEGOMENA JUSTINI FEBRONII EXAMINANTUR ET REFELLUNTUR.

§. I.

De summi Pontificis autoritate approbandi aut reprobandi libros & afferta spectantia fidem & disciplinam. De Libri FEBRONIANI Inscriptione. Ejusdem ideâ & fontibus.

1. *Papæ judicium de libris fidem & mores spectantibus est irreformabile.*
2. *Febronius Pseudonymus opus suum ex Scriptoribus S. Sedi malevolis compilavit.*
3. *Ejus philautia & præfidentia.*
4. *Conjectura de suppressione veri nominis.*
5. *Ostentat puritatem doctrinæ, & tacet ex Dupino se plurima descripsisse.*
6. *Ex illo citat SS. Patres & Doctores non servato ordine temporum.*
7. *Charlasii Theologi Parisiensis, qui Dupinum refutavit, mentionem non facit.*
8. *Ad quatuor eruditos Galliæ Scriptores velut St. Patribus autoritate proximos provocat.*
9. *Gruberi Lutherani de Fleurio crisis.*

 X. Ca-

que Religionis neutiquam eorum commixtionem ſuſtinet per intellectûs aſſenſum.

Zelus tuus, Reverendiſſime, Excellentiſſime Domine! pro Eccleſia Dei & ſtudium orthodoxiæ Te movit, ut dum intra Provinciam tuæ Legationis Opus Febronii natum eſſe, conjectatur, intra eandem refutari deſiderares. Quanquam forenſibus negotiis, aliísque pro officii ratione diſtentus plus otii ad hanc rerum varietate operoſam ſcriptionem optaverim, propenſiſſimæ tuæ erga me voluntati hoc obſequium pró meâ tenuitate rependere conatus ſum; ſi minùs reſponderit exſpectationi tuæ, occupationibus quotidie diſtrahentibus veniam dabis. Illuſtriſſimo Nomini tuo eo lubentiùs hanc opellam inſcribo, ut dum à Provinciâ hujus tuæ Legationis, cui ſex annis inſigni cum gloriâ præfuiſti, ad Aulam potentiſſimi *Regis Catholici Hiſpaniarum* tranſitum paras, ſupremâ juſſione SS. D. N. Clementis XIII. Pontificis Maximi Apoſtolicâ Legatione functurus, hoc à me προπεμπτήριον habeas. Erit grata impoſterum Tuî memòria in hac Agrippinenſium urbe, quam duo *Archintii* alter Proavunculus tuus Legatione Sedis Apoſtolicæ, alter Avunculus tuus ad Purpuram S. R. E. & Supremum *Secretarii Statûs* Miniſterium ſub Benedicti XIV. & moderno Pontificatu promotus Academicis Studiis illuſtravit. Tuis virtutibus facis Agrippinenſes ominari Te Illuſtriſſimi Luciniani Nominis menſuram impleturum, & ſpem de Te in Hiſpaniâ præconceptam præſentiâ tuâ ſuperandam. Ad magna & natus & factus periodum à Deo & Sanctâ Sede Tibi conſtitutam decurre feliciter & abſolve.

DISSER-

DISSERTATIO SINGULARIS,

IN QUA

DISTINCTIS ANIMADVERSIONIBUS PROLEGOMENA JUSTINI FEBRONII EXAMINANTUR ET REFELLUNTUR.

§. I.

De summi Pontificis autoritate approbandi aut reprobandi libros & asserta spectantia fidem & disciplinam. De Libri FEBRONIANI Inscriptione. Ejusdem ideâ & fontibus.

1. *Papæ judicium de libris fidem & mores spectantibus est irreformabile.*
2. *Febronius Pseudonymus opus suum ex Scriptoribus S. Sedi malevolis compilavit.*
3. *Ejus philautia & præfidentia.*
4. *Conjectura de suppressione veri nominis.*
5. *Ostentat puritatem doctrinæ, & tacet ex Dupino se plurima descripsisse.*
6. *Ex illo citat SS. Patres & Doctores non servato ordine temporum.*
7. *Charlasii Theologi Parisiensis, qui Dupinum refutavit, mentionem non facit.*
8. *Ad quatuor eruditos Galliæ Scriptores velut St. Patribus autoritate proximos provocat.*
9. *Gruberi Lutherani de Fleurio crisis.*

10. *Cajetani de Gersonio;*
11. *Aliorum de Bossueto & Natali.*
12. *Cardinalis Sfondrati de Maimburgo Judicium.*
13. *Quosnam imitetur provocando ad Scripturam & Traditionem,*
14. *Et promittendo reverentiam Summo Pontifici.*
15. *Temeraria præsumptio de sanctissimo Patre Clemente XIII.*
16. *De malè imputatâ Pio II. mutatione, & comparatione inter eundem & Clementem XIII.*
17. *De vocibus* jurisdictio & autoritas.

I. Debebat Germanis, qui Cathedræ S. Petri non fide tantùm, sed & obedientiâ sincerâ se adhærere profitentur, etiam agnitâ utrimque Communione cum Ecclesiæ Romanæ Capite ac Membris conjuncti sunt, post judicium Ss. Patris Clementis XIII. nunc Gregem Fidelium supremâ Autoritate gubernantis, de libro Pseudonymi Justini Febronii Papali damnatione proscripto tale esse judicium, quale de damnato per Zosimum Papam libro Cœlestii judicium erat Africanorum. Ipse Febronius Verbis S. Anselmi Cantuariensis librum ità Pontificis judicio submisit, *ut, si quid corrigendum, ejus censurâ castigetur, & quod regulam veritatis tenet, ejus autoritate roboretur.* In multis Germaniæ Provinciis Episcopale judicium sententiæ Clementis accessit, sicut assenserunt Zosimo Africani: Nullus omnium Germaniæ Antistitum hactenus eam censuram benigniori judicio censuit esse temperandam. Catholicis constanti omnium retro sæculorum traditione certum est, quod Nicolaus I. ad Episcopos Galliæ scripsit *: Sic Pontificum decreto libros examinari, ut, quod Sedes Apostolica probat, teneatur acceptum, & quod illa repulit, inefficax habeatur.* Vitioso pruritu non pauci tantò avidiùs ad lectionem ejus libri accenduntur, quantò luculentiùs eam Summi Pontificis Censuram Episcopi nostræ nationis comprobant, & suis subditis Papali judicio proscripti libri lectione interdicunt.

Epist.42.

II. Contra Pontificis Maximi supremam autoritatem hierarchicam ignotus Author ignoto in loco Germaniæ nostræ ex Guillelmo Barclaio, Joanne Launoio, Elliâ Dupinio, Ludovico Maimburgo. Gallis, & Sarpio Veneto aliisque intra ipsum sanctæ Matris Ecclesiæ sinum contra Pontificiam Dignitatem armatis; tum & iis, qui sectas ab Ecclesiâ damnatas profitentur, opus illud contexuit. Horum argumenta novo eloquentiæ apparatu vestire conatus, refutationem suppressit, quâ Cardinales Cajetanus, Perronius, Bellarminus, Sfondratus, aliique Eruditi autoritatem S. Sedis contra improbam prædictorum maledicentiam vindiciis Reipublicæ literariæ notis defenderunt. Præfidenter Germanicæ Nationis Episcopis, Theologiæ, sacrorúmque Canonum Doctoribus ea proponit, quæ ad malevolentiam eorum animis inspirandam idonea videri poterant. Nec Episcopum censet in Germaniâ dignum

num hoc nomine, aut pro Dignitate pastorale munus obiturum, nisi contra Curiam Romanam pugnet, ac Clerum & populum pugnare doceat; nec Theologiæ aut Canonum Doctorem inter Germanos mereri hunc titulum, nisi ad illud systema ingenium componat.

III. Verbis Isaiæ Christum Dominum præsignificantibus abutitur, ea sic exhibet: *Etsi frustra laboravi, & vanè fortitudinem meam consumpsi, judicium tamen meum cum Deo meo, & licèt Israel non congregetur, glorificatus tamen sum in oculis Domini, & Deus meus factus est fortitudo mea.* Quid? si quis Curialistarum, quos toto suo hoc opere amat, quantâ potest, styli acerbitate incessere, hæc ejusdem Prophetæ verba reponeret: *Fiduciam habuisti in malitiâ tuâ, & dixisti: non est, qui videat; sapientia tua & scientia tua hæc decepit te.* *Isa. Cap. 49.*

IV. Occultans & locum & nomen scriptionis innoxiam sibi fore sperabat tentatam occultè machinationem, ut suî securus tenebricosâ scriptione certiùs feriret; contra sacri Concilii Tridentini Decretum *sub ementito nomine* & prælo hostem, quem voluit, impugnat. Hoc ut justè facere videatur, ex Salviani Massiliensis epistolâ ad Salonium Episcopum (quam novo titulo vocat præfationem ad libros de avaritiâ) verba quædam decerpsit. Dispar omnino erat scriptionis argumentum; causa nomen occultandi dissimilis: sciebat Salonius Salvianum esse libri authorem; sed inscriptionis: *Timotheus Minimus Servorum Dei Ecclesiæ Catholicæ*, causam sciscitanti respondit Salvianus: *Cùm legis Timotheum scripsisse, pro bonore Dei scriptum intelligas; gloriæ vanitatem*, dicit *se fugisse, & hanc operam divinæ tantùm Conscientiæ reservâsse*; addit: *Tam imbecilla sunt judicia bujus temporis, ut, qui legunt, non tam considerent, quid legant, quàm cujus legant. Ne itaque parvitas mea salubritatem eorum, quæ scripsi, impediret, Timotheum scripsi operis Authorem.* Aliud certè agit Febronius, nomen & prælum fingit, ut autoritatem illam, quâ Catholico Scriptori sanctior nulla in terris est, liberiùs perstringat. Neque satis appositè illius, qui se Lamindum Pritanium dixit, exemplo suppressionem nominis accommodat. Certè magis commendabilem in Republicâ literariâ operam præstitisset, si, quæ *de moderatione ingeniorum in Religionis negotio* doctissimè scripsit Pritanius, seu Eruditis notus Muratorius, providè sectatus esset, aut sectaretur imposterum. Forsan (si quis est conjecturæ nostræ locus) Febronium se scripsit, ut *Febronius* opponeretur *Fabronio* Cardinali Præsidi Congregationis ad examen libri (*Reflexions Morales*) à Clemente XI. institutæ, cujus Fabronii artibus Quesnellus Papalem 101. propositionum damnationem adscripsit, & ut exaltata per Fabronium potestas extra Synodum probandi, reprobandi Theologorum asserta, deprimeretur per Febronium. Conjecturam hanc vehementer confirmat, quod zelo & scientiâ commendandus Adrianus von Wick Archipresbyter Delflandiæ librum, cui Titulus: *Clemens XI. Pontifex Maximus Supremus Ecclesiæ Monarcha*

ante Annos 50 Coloniæ editum scribendi præcipuam causam adscripserit epistolæ Cardinalis Fabronii Anno 1706. propria manu ad eundem Wickium Scriptæ.

V. De nescio quâ *portione luminis, quâ se Dominum dicit illustrare dignatum*, in latibulo exultans se *glorificatum* credidit *coram Domino*, *etsi frustra laborârit*. Securus gloriæ suæ *quorumcunque superiorum*, *maximè autem S. Catholicæ Ecclesiæ Judicium de operâ suâ exspectat*, certum habens, *nullam à se propositionem proferri*, *quæ non proximè dimanet è doctrinis omnino sanis*. Quæ vero illæ? Illaudatum præterivit, quem primo loco memorare debebat, *Elliam Dupinium*; virum, quem datis ad Regem Christianissimum Ludovicum XIV. literis Clemens XI. vocat *nequioris doctrinæ hominem*, *temeratæque pluries Apostolicæ Sedis Dignitatis reum*; eum hominem, quem dicit idem Pontifex *à Rege exulare jussum*, *ut palàm fieret impunè non licere turbulentis ingeniis*, & *nunquam cavillandi finem facientibus*, *Ecclesiasticas simul ac Regias leges infringere*.

VI. Denuo in aciem eduxit spectabilem illam turmam Ss. Patrum & Doctorum ab Elliâ Dupinio citatorum; denuo contra Papam præliari jussit invitos Gregorium Nyssenum, Chrysostomum, Ambrosium, Hilarium, Hieronymum, Augustinum, Cyrillum Alexandrinum, Theodoretum, Eucherium Lirinensem, Fulgentium, Gregorium Magnum, Hincmarum, Odonem Cluniacensem, Theophilactum, Petrum Blesensem, Tostatum, dum ex his quaquâ fide à Dupinio decerptas sententias iterum contra Principatum S. Sedis intorsit.

VII. Ratiocinia Dupiniana à Charlasio Gallo eruditè confutata, servato nonnunquam eodem nexu verborum descripsit; omissis responsionibus, quas Charlasius Gallus Gallo, Theologus Theologo opposuerat: nempe utili silentio prætereundus erat Charlasius, ut Febronius sibi laudem novi objectionum illarum compilatoris in Germaniâ compararet.

VIII. Illustres in Senatu literario quatuor Viros Gersonum, Bossuetum, Natalem & Fleurium nominare maluit; *eas* dicit *se doctrinas proponere*, *quas ex professo tradidêre probatissima horum quatuor eruditorum opera*; *horum scriptis*, *ait*, *post Ss. Patres plurimùm debet S. Mater Ecclesia*.

IX. Non latebat imprimis Gruberi Lutherani hæc de Fleurio crisis: *Plenus est bonæ frugis*; *nam & de Primatu Pontificio ità loquitur*, *eum ut magis destruere*, *quàm astruere videatur*, *haud dubiè à nostratibus* (*Lutheranis*) *inter testes veritatis*, *qui nostrâ ætate vixêre*, *maximos referendus*.

Præfat in Instit. Jur. Eccles. Claud. Fleurii cum animadvers. Bœhmeri.

X. De Gersonio Cardinalis Cajetanus à Febronio citatus, laudatúsque dicit: *Fatetur Ecclesiæ regimen, à Christo institutum*, *esse Monarchicum*, & *Monarcham esse Papam*, *datámque Petro plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ in solo Romano Pontifice formaliter & subjectivè reperiri*. *Quæ de superiori-*

tate

tate Ecclesiæ supra Pontificem scripsit Gersonius, ignoranter, temerè prædicantur, scribuntur, defenduntur. Hæc ille.

XI. De Bossueto & Natali quodnam sit S. Matris Ecclesiæ Judicium, quantum ad illa, quæ antiquam de Primatu Pontificio Catholicorum doctrinam impugnant, *per Annotationes* & *Animadversiones* Lucensi editioni operum Natalis Alexandri insertas Constantinus Roncaglia & Dominicus Mansi evincunt.

XII. Contra Maimburgum doctissimus Sanct - Gallensium Princeps Abbas, Cardinalis Sfondratus demonstrat, quantum ab antiquâ constantique doctrinâ recentior illius de Pontificio Primatu idea discesserit. Idem illud Cardinalis Cajetanus Almaino Parisiensi objecerat.

XIII. Launoium, Dupinium & Maimburgum in eo etiam imitatur Febronius, quòd antiquam Ecclesiæ disciplinam, sacræ Scripturæ genuinam interpretationem, traditionem p ram nullâ novitate permixtam præ se ferat; imò & Pontificiam Autoritatem se tueri, & Christi Capitis nostri causam agere glorietur.

XIV. Dupinius in monito ad Lectorem se *Romanæ Ecclesiæ beneficium præstare, suásque Dissertationes non tantùm ejus authoritati non officere, sed & ei valde utiles & necessarias esse* jactabat. Paria præfatur Guilelmus Barclaius: *Monendus*, inquit, *inprimis Lector omni me reverentiâ & benevolentiâ illam Sedem prosequi, nec id hîc aut alibi agere, ut debitæ potestatis & dignitatis aliquid decedat Vicario Christi.* Et Paschasius Quesnellus in epistolâ anno 1712. ad Clementem XI. missâ eundem Pontificem *ut Apostolici Primatûs hæredem* profitetur *se colere, piam constantemque fiduciam* contestatur *accedendi ad Apostolicam Sedem, ubi certissimum esse debet perfugium veritati;* simul & *se fuisse semper, & ad ultimum usque vitæ spiritum semper futurum Catholicæ unitati, Sedis Apostolicæ Authoritati ac Primatui addictissimum cum sincera illa veneratione, quæ Ecclesiæ Catholicæ alumnum, Christianique Sacerdotii participem decet.* Hos reverentiæ & obsequii disertâ significatione non imitari tantùm, sed & superare voluit Febronius, dum Clementi XIII. scribit: *Pontificiæ Dignitati majori, quàm quisquam alius, reverentiâ advolvor.* Ne verò aliud videatur animò insidere consilium, quàm quod iis placuit, quorum vestigia sectatur, eâdem operâ carpit in hoc supremo Fidelium Capite & Pastore *Monarchismum servili assentatione ità exaltatum, ut omnem sæcularem Monarchiam transcendat superfluâ & odiosâ dominatione. Ob datum sibi ex Patrum dictis & Conciliorum Actis loquendi talentum* credit nefas esse si taceat; Pontifici autem nefas esse *non operari conformiter Traditioni per Patres & Synodos transmissæ.*

XV. Postulat, ut *de jure & facto suo* Clemens Papa *eo candore, quo id, si adhuc foret Episcopus in Statu Veneto, & ejus Reipublicæ Nobilis Civis,*

 statu-

facturus esset, ipse judicet; & *illaudabile prototypon Pii II.* turpiter non imitetur.

XVI. Pium II. audacter fingit aliter, cùm Papa esset, cœpisse de jure Romanæ Sedis scribere, quàm ante Papatum. Eadem scribenti Maimburgo responderat Eminentissimus Author *Galliæ Vindicatæ*, tam compertam esse hujus calumniæ falsitatem, ut mirari debeat, aut eum non erubuisse, cùm hæc scriberet, aut non fuisse veritum fallaciam æterno ejus dedecore observatum iri. Ad Bullam, quæ Magistris nostræ Universitatis Colon. à Pio fuit inscripta, provocaverat Maimburgus; at verò in Bullâ disertè dicit Pius II. se ante susceptos Ss. Ordines Viennæ mutâsse sententiam, ad quam juvenis, cùm è Gymnasio Senensi tanquam avis nova recenter evolâsset, seductus fuerat. Quod verò illud parallelon inter Pium II. & Clementem? Pius aliud sensit ante Papatum, aliud in Papatu. Clemens aliud jam sentit in Papatu, aliud certè sensurus esset, si jam Papa non foret; quasi scrinio sacratissimi pectoris perlustrato audacter ex Sarpio, Casaubono, & historiâ dissidii, quod Serenissimam Rempublicam cum Curiâ Romanâ collisit, & sub Paulo V. coeptum finitúmque est teste Casaubono, decernere non dubitat, quid jam sentiret Clemens, si adhuc inter Episcopos & Nobiles Venetos censeretur, quamvis nullum in juventute, ut Pius II. aliquando fecerat, adversæ opinionis indicium dederit. Hem crisin subtiliter præoccupatam! Imò suspicionem calumniosam!

XVII. Ut Monarchiæ Papali, quos voluit, limites figat Febronius, vult à voce: *Jurisdictio* cautè abstinendum, solámque vocem: *Authoritas* adhibendam, dum de Primatu S. Sedis est sermo, eamque correctionem Traditioni esse congruam. Potestatem, quæ Episcopis intra fines Diœceseon est constituta, negat Pontifici Romano esse communem; *paucos prudentes assensuros, certè non Gersonem* huic Thesi: *Papa omnia potest in toto mundo, quæ quisque Episcopus in suâ Diœcesi.* Quàm aliena hæc sint à vero, suis locis expendetur, & præter alios Gerson ipse Febronium falsi convincet.

§. II.

Collecta per Febronium Papalis Monarchiæ axiomata perstringuntur.

1. *Falsa attributa, quæ Papæ affingit Febronius.*
2. *Error Febronii de Sacramento Confirmationis.*
3. *Farrago adagiorum congesta expenditur.*
4. *Ex aliquorum dictis inconcinnis, aut minùs congruis malè infert commune judicium.*

5. *Ex*

I. Ad Monarchica jura ab ipsis summis Pontificibus acriter defensa dicit Febronius comprimis pertinere, quòd *Episcopi sint tantùm Papæ Vicarii, meri ejus Officiales, jurisdictionis Ecclesiasticæ penitùs expertes, Ecclesiis particularibus non necessarii.* Quàm aliena sint hæc ab Ecclesiæ Catholicæ communi sententiâ, nemo inter Catholicos Theologos bonus & orthodoxus ignorat. Certè ùt nunquam Sacerdos Sacramentum Pœnitentiæ tanquam Papæ Vicarius, aut ejus nomine administrat; ita nec unquam Episcopus vice & nomine Episcopi Romani ordinat, confirmat. Authoritate Christi Peccator absolvitur, Clericus ordinatur, Fideles aliis Sacramentis muniuntur. Quantò magis credentium numerus augetur, tantò etiam convenit magis augeri numerum Episcoporum & Sacerdotum. Quamprimùm Particulares Ecclesiæ constituuntur, statim iis particulares præfici Episcopos, & particularibus Parochiis Rectores, dari necesse est.

II. Suppleri quædam posse per Prælatos inferiores, quæ ad Episcopale officium pertinent, fatentur Theologi: posse Sacramentum Confirmationis ex gravi & urgenti causâ, dispensante summo Pontifice, conferri etiam ab inferioribus Sacerdotibus, Autoritate Gregorii Magni in Epistolâ ad Januarium Calaritanum, nec non Eugenii in Decreto Instructionis Armenorum, tanquam certius affirmant: sed quod *passim delegari* possint, & Episcopalis potestas, quantùm ad ejusdem Sacramenti Ministerium, supervacua aut non necessaria sit, Sacra Synodus Tridentina anathematizavit. Scivit hoc Febronius Jurisconsultus Catholicus (quis enim Sacri Juris peritus nesciat?) & tamen inde ausus est Episcopalis dignitatis depressionem affingere Pontifici. Scivit Abbates Germaniæ, quamvis mitrâ pedóque, & aliis amplissimis Privilegiis facti sint Episcopis proximi, nunquam tamen ad Ministerium Sacramenti Confirmationis assumi, sed hanc functionem apud Germanos Episcopis esse propriam.

III. Cui bono assertiones tam falsas commentus est Febronius? Quid sani consilii eundem impulit, ut ridenda illa sua adagia consarciret, quæ in suo Monito ad Theologiæ & Juris Canonici Doctores undecumque congessit? Quid ad Primatum, quòd aliqui aut incautè, aut imperitè quædam hyperbolica de Sacro Principatu Summi Pontificis enuntiârint. Quid? si quis *Regale nostrum Sacerdotium* & Papam spirituali Sensu Regem seu Gubernatorem dicat posse appellari, cùm de Judicibus dicat Psaltes: *Ego dixi, Dii*

Dii estis? Quid mali est, si & Papa quasi Deus in terris eo sensu dicatur? Nec supra leges est, nec infra leges sed Christi Principis Pastorum vices agit in terris, ut, quæ fidelium tum instructio, tum gubernatio exigit provideri, mandari, & ad vitandos errores, pernitiosas de fide contentiones, dubitationes periculosas pastorali providentiâ tollendas expediunt, eâdem, quâ Petrus Apostolus, autoritate omnes doceat. *Papam contra jus, & extra jus omnia posse. omnibus Sanctis, excepto Petro, esse majorem, nec Petri, nec Pauli præceptis adstringi Pontificem*, alienum est à formâ sanorum verborum, qualem Apostolus commendat. Falsum non est pro ratione temporum autoritate Pontificiâ recedi potuisse à quibusdam, quæ Apostoli suâ autoritate ordinârunt: tale est eorum de idolothytis, sanguine & suffocato, agapisque præceptum. Quis autem inferre audeat eos, per quos cœpit licere suffocati comestio, fuisse Apostolis majores, nullisque eorum præceptis adstrictos? Nemo sine aperta injuriâ potest Summo Pontifici affingere ea, quæ Febronius in suis adagiis dicit per Canonistas Pontificiæ potestati attribui, de dispensationibus absque ullâ causâ, de venditione Beneficiorum, quod suis locis copiosiùs perstringetur.

IV. Nemo Catholicus dubitabit arguere iniquitatis & imprudentiæ eos, qui ex apocryphis quorundam narrationibus de Miraculis & reliquiis Sanctorum, apparitionibus & revelationibus omnino omnem Historiam Ecclesiasticam convellere, & falsi postulare tentaverint. Esto inter antiquos Juris Pontificii Doctores, quos Menkenius in suâ *Charlatameriâ Eruditorum* dicit à Typographis lepidè *invictissimos Juris utriusque Monarchas* nominari, fuisse nonnullos, certè paucos admodum eò progressos, ut absque justâ diacrisi phrases quasdam ineptas de Pontificiâ potestate, quam innoxio affectu venerabantur, aliud agentes suis scriptis insererent; ideóne aliquis orthodoxus præposterum in judicium deflectat, ut dicat sic de Papâ universim sentire, sic loqui Catholicos?

V. Si illi, quos Febronius suppressis nominibus vocat statores, fautorésque primarios Romanæ Curiæ, Baldus, Panormitanus, Felinus, aliíque reviviscerent, illi titulo per librariorum imprudentiam sibi attributo succenserent, magis autem Febronio, quòd recitatis eorum verbis ad inspirandam Fidelium à Summo Pontifice aversionem accommodis omiserit ea, quæ ad legitimum usum Pontificiæ potestatis attendenda esse monuerunt. Dixit Abbas Panorm. *Papam de plenitudine potestatis dispensare posse de jure supra jus*, addit autem hoc *intelligi de dispensatione propriè sumptâ, quæ est ex causâ rationabili*, provocátque ad Innocentium III. qui in Capitulo, cùm ad Monasterium de Stat. Reg. ait, quòd *sine causâ non dispensat in his, quæ sunt juris positivi.* Dixit esse *Ordinarium totius orbis*, addit: *sed non est honestum, ut auferat aliis potestatem contra rationem.* Dixit quòd *Papa jus in totum possit tollere*, addit: *quoad forum militantis Ecclesiæ, non quoad Deum, cùm*

jus

cùm jus fundatum sit super bono communi, & dispensatio per privatam considerationem illud remittens sit irrationabilis. Sic Baldus, sic Felinus, sic alii asserta sua temperant. Sic S. Bernardus in Lib. de Consid. ad Eugen. profitetur Pontificiam potestatem, sed legitimis, ut ita dicam, modificationibus temperatam. Febronio placuit ex S. Bernardo ea transcribere, quæ Pontificiam potestatem deprimere videbantur, & ex antiquis Juris Canonici tractatoribus tantùm illa, quæ illam potestatem hierachicam ludibrio exponerent.

VI. Post absolutam illam suam farraginem adagiorum, inter quæ dixerat *Papam supra Canones esse. De potentiâ Papæ disputare Sacrilegum esse*, quasi gradatim ascendens Febronius dicit: *sed hic nondum sistitur*, quasi grandius aliquid dicturus ponit & hoc inter attributa Papalia veritati ac traditioni contraria: *Papa non subjicitur Canonibus. A nemine potest judicari.* Certè si supra Jus, supra Canones est, si contra Jus potest omnia, synonymum erat Canonibus eum non subjici. Quæ verò genuina & orthodoxa sit significatio hujus thematis: *Papa à nemine potest judicari*, tractationem uberiorem postulat suo loco instituendam. Fastum superbæ dominationis affingi Romano Pontifici à Scriptore occulto, & quorumdam, quorum nomina occultantur, effatis malevolum hoc assertum roborari, forsan videri posset spernendum.

VII. Sed quis bonus patienter sustineat eò usque hanc audaciam procedere, ut ipsorummet etiam sanctissimorum Pontificum Innocentii III. & Alexandri III. verbis probetur, quod obscuris aliorum testimoniis Pontificiæ dignitati imputatur? Duos illos Pontifices dixit *semetipsos* dixisse *Canonum Dominos*. At verò constat longè aliam fuisse Innocentii mentem, dum dispensationes ait non merè ex Papali arbitrio dari, sed aut *urgentem necessitatem; aut evidentem utilitatem* ab ipso etiam Romano Pontifice, ut legitmè dispenset, attendendam esse, eúmque *moderatorem esse Canonum, non Dominatorem.* Ejusdem Decessor Alexander quantâ rerum pro Deo & Ecclesiâ gestarum gloriâ inclaruerit, quàm sapienter juxta anteriorum Pontificum Canones communi fidelium saluti prospexerit, historiæ ejus temporis loquuntur. Concilia duo Oecumenica sub Alexandro III. & Innocentio III. celebrata convincunt, quantum uterque pro antiquâ morum disciplinâ zelatus fuerit. Custodes ergo, Vindices & Executores Canonum dici & esse volebant, non Domini. Novi, ait Ivo Carnotensis, *consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, quia non solet, neque vult Decretis suis patenter obviare, solet autem dispensatoriè multa infirma tolerare, postquam patrata sunt, tam pro locorum necessitate, quàm pro personarum utilitate & honestate.*

Innoc. L. 16. epist. 154.

VIII. Ne calumniæ reum se faciat farragine congestorum axiomatum, de gravissimis abusibus, quos in Curiâ Romanâ perpetuari, atque inde plerasque Ecclesias afficere dixit, testem profert primum Ruremundensium Episcopum

copum Wilhelmum Damasi Lindanum ; eum laudat rectè dixisse de abusibus : *multùm cæcutiat, qui ea non videt, & insanus sit, qui excusare conetur.* Insignis ille & Apostolico Sæculo dignus Episcopus in *Apologetico* ad Germanos, quod Maximiliano Imperatori inscripsit pro *pace Religionis & solidâ Ecclesiarum concordiâ* contra librum pro Confessione Augustanâ & Germanico Schismate à Principibus Electoribus Ferdinando Cæsari oblatum, & à Confessionistis Anonymis defensum, recitat verba sui Præceptoris Ruardi Tapperi Doctoris Lovaniensis ab Academiâ suâ ad Concilium Tridentinum ablegati, minimè spiritu Februniano seu per Tapperum, seu per Lindanum producta. Hic nexus verborum est : " De abusibus & lapsu Disciplinæ „ (*inquit Lindanus scripsisse Tapperum*) quibus totum Ecclesiæ corpus est „ contaminatum, modò non agitur cum Adversariis; agnoscimus ipsi, at„ que ingenuè confitemur, gemimus & deploramus in corpore Ecclesiæ à „ plantâ pedis usque ad verticem capitis non esse sanitatem, corrupta esse „ omnia præsertim in statu Ecclesiastico; omnes, quæ sua sunt, quærere; „ quódque per dispensationes super pluralitate beneficiorum, & super aliis „ plurimis, super quibus nec Christus ipse dispensare posset, per Commen„ dationes Abbatiarum & Episcopatuum, per monstrosas provisiones, re„ gressus & retrogressus omnia esse venalia sub prætextu nescio cujus causæ „ rationabilis. De his, inquam, cum Adversariis non agimus: sunt enim „ tam notoria hæc vitia, ut multùm cæcutiat, quia non videt; & insanus „ sit; qui vel excusare conatur. Quis enim non videt, quantus sit sa„ crorum Canonum circa Disciplinam neglectus ? quorum si reverà es„ set observatio, & Prælati suo non deessent officio, florentissima essent „ omnia in Ecclesiâ, nec opus esset universalibus Conciliis ad reformandam „ Ecclesiam Episcopos fatigare. " Dicit ipse Lindanus, agnovisse Adversarios, conscientiâ teste convictos, multò ineptissimam schismatis illius causam esse vitia & abusus personarum; rem probè compertam, inquit, usúque notissimam dissimulare neutiquam decuit, quam in Comitiis Germanicis, scriptísque publicis in Concilio delegatorum Cardinalium anno 1535. Paulo III. exhibitis (de quo sermo erit uberior suo loco) Catholici agnovère. Sed addit Lindanus, fuisse postea per Romanos Pontifices varia remedia prudenter inventa, plurimóque fructu adhibita: Nullus, inquit, inficias iverit, non defuisse, neque deesse, qui grassantes in Ecclesiâ pestes, vomicas & carcinomata studuerint medicari, modò manum admisissent medicam, quam depellere vitia nostra, morbísque inveterati non desinunt. Galliæ morbos dicit non dissimulâsse Ceselium, & Picardum Parisiensem Theologum. Italicæ Ecclesiæ calamitatem ab Isidoro Clario disertissimis orationibus deplorari.

IX. Quid aliud agit Febronius, quàm quod actum à Confessionistis defensoribus? Utrobique eò spectatur, ut odium Romani Pontificis lectoribus inspiretur, quod à Tapperi & Lindani proposito longè abfuit. Constat, quàm

quàm severè damnaverit Ecclesia regressum & retrogressum per simoniacam confidentiam. Constat beneficiorum provisiones non decerni, nisi his, quos Episcopi Germaniæ testantur idoneos; tunc ad dispensationes procedi, dum Ordinarii locorum causas afferunt, quare ita fieri expediat. Decipiuntur Episcopi. Decipitur Pontifex. Dominus non fallitur. Abusibus malè à Febronio tribui pertinaciam Hæreticorum ostendunt verba Confessionistarum à Lindano recitata: ut maximè velimus vitia Romani Pontificis taciti præterire, tamen obstant graviora his impedimenta, quominus Concilium Trident. pro Ecclesiæ orthodoxæ judicio agnoscatur; quæ verò illa? *Negari*, inquiunt, *non potest, Pontifices & Monachos impiis tenebris involvisse Religionem, prorsus novum doctrinæ genus invexisse, plenum impietatis & idololatriæ, quódque cum divinis Scriptis è diametro pugnat, ac imprimis, quòd Biblia sancta dicant incerta, ambigua, minimèque necessaria Ecclesiæ.* Quid itaque abusibus Curiæ Romanæ per qualiacunque axiomata exaggeratis sperare potuit, nisi quæ sperant illi, qui, ut inquit Lindanus ex Euripede Poetâ: *Nihil pensi habent lædere, modò dicant grata multitudini? Pontificem tot diris convitiis proscindere, tot lædoriis infamare, an hoc est causam Religionis agere? Atqui hæc* (inquient) *in Actis publicis illi* (qui Francofordiæ gravamina anno 1562. Cæsari obtulerunt) *pro Ordinibus Imperii dicunt.* Dicunt, *sed vestris decepti fraudibus, adulationibus, calumniis, mendaciis. Elanguida convitiorum arma masculo atque Germanico pectore indignissima ad muliebrem militiam* dicit esse *releganda, donec Papam objectorum criminum reum probaverint Confessionistæ in Concilio* (*quod platonice somniant*) *Christiano ad Calendas Græcas indicendo.* Illorum, inquit, vitiorum commemoratione nihil aliud efficitis, quàm ut vos de illo grege declaretis, de quibus Spiritus S. ait: *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est.*

Ad Ordines Protestantes provocant Confessionistæ, utrique ab Ecclesiâ Romanâ erant divisi; *si inimicus meus maledixisset mibi, sustinuissem utique.* Febronius Catholicis sacris addictus *ad Catbolicos Imperatores, Reges, integras Nationes, Synodos, denique viros pios & doctos, & sæpè iteratas tot tantorúmque Remonstrationes* contra supremum Catholicæ Ecclesiæ Pastorem provocat, quanquam sciret, scriptum esse in lege: *Principem populi tui non maledices.*

§. III.

Quædam de Isidoricis Epistolis prælibantur.

1. *Iniquissimum judicium Febronii de Epistolis Isidoricis.*
2. *Erronea suspicio ejusdem de illarum origine.*
3. *Provocatio ad Barthelium Ic.*
4. *Barthelii crisis refellitur.*

5. *De testimoniis Isidorico saeculo anterioribus*
6. *Judicium Illustrissimi Petri de Marca Archiepiscopi Paris. super epistolis Isidoricis.*

I. Audacter asserit & contendit Febronius ex Isidoricis Saeculo VIII. fabricatis Epistolis primitus formatam & recenter instructam esse doctrinam de Primatu. Odium Pontificiae Dominationis, & altiùs animo infixa praesensio (horret animus immane Jurisconsulti Catholici paradoxon repetere) cò usque detorsit Febronii ingenium, ut censuerit fuisse *libris Lutheri & Calvini nocentiorem Collectionem Decretalium Isidoro* adscriptam.

II. Ut certiùs praefixum sibi scopum attingat, *falsas eas Decretales Isidorianas*, inquit, *gravis fert suspicio*, *esse Romae compositas*, *& quidem*, *quod certis indiciis* dicit *constare*, *post annum* 744. *& in Germaniam allatas sub finem Saeculi VIII. à Riculpho Archiepiscopo Moguntino.* In eo heterodoxos Scriptores, qui operosâ indagine authorem hujus collectionis inquisierunt, suâ contra Sedem Apostolicam malevolentiâ superat, quòd hujus foetùs natalem velit Romam, dum hi Moguntiam designant. *Vero propius videtur*, inquit Caveus in Saeculi Photiani anno XXX. epistolas *à Riculpho confictas fuisse*, *vel collectas ; cùm Curiae Pontificiae fuerit Assertor strenuus*, *postea eas à Benedicto Levitâ fuisse recognitas*, *auctásque.*

III. Laudat Febronius Barthelium, quòd observârit Isidorianum Codicem vehementissimè urgente Nicolao I. à totâ Ecclesiâ, & in Germania adnitente Riculpho receptum esse.

IV Quod P. Natali Alexandro, dum idem asseruit de Nicolao I., Dominicus Mansi opposuit, opportunè seu Febronius, seu Barthelius videtur interrogandus: " Edicat mihi causas, cur haec de Nicolao I. affirmârit, ubi „ locorum epistolas apocryphas ad asserendum jus aliquod Romano Pontifi- „ ci attulerit? Dicit se totam Nicolai epistolam ad Patres Synodi Sylvane- „ ctensis, seu Suessionensis percurrisse ; sincera ibi testimonia proferri in „ Epistolâ ad Hincmarum, provocari ab eo ad epistolas Siricii, aliorúmque „ minimè suspectas ; neque ex ejusdem epistolâ ad universos Galliae Epis- „ copos, neque ex epistolâ 8. ad Michaëlem Imperatorem aliquid ex sup- „ posititiis Decretalibus protulisse ad asserenda jura Ecclesiae Romanae : & „ quanquam Gratianus ex fucatis Cleti, Hygini, Sixti, aliorúmque epi- „ stolis multas decerpserit sententias, mirificè extollentes jura Romanae Ec- „ clesiae, ex his tamen omnino nihil produxisse Nicolaum. „

V. Luculentas Conciliorum Orientalium, eorúmque Patrum, qui Saeculum Isidori, seu IX. seu VIII. diu praecessere, assertiones de Pontificio Primatu & Romanae Ecclesiae dignitate, & supremâ auctoritate in causis Fidei & Disciplinae Christianae, quis illo ex fonte haustas esse censeat? Assentationis vitium ita dictis Curialistis Romanis, seu Curiae Romanae assentatoribus

perpe-

perpetuò impactum à Febronio quis illis affingat, quos nec spes honorum in Occidentali Imperio seu Romæ, seu in aliis Europæ provinciis quærendorum, nec divitiarum per Pontificis Romani favores augendarum cupiditas movere poterat, ut Pontifici serviliter assentarentur? Quid Irenæum, quid Hieronymum, quid Asiæ & Africæ, & quid Galliæ Episcopos fortunæ per Curiam Romanam in terris augendæ illicio fascinâsset? Integerrimi Pastores populorum tantis intervallis Româ distantium, & orthodoxiæ acerrimi vindices, centrum unitatis ad communem Ecclesiæ utilitatem, ad tollenda dubia, profligandos errores, confirmandos in fide fratres, stabiliendámque communem Ecclesiarum harmoniam esse necessarium probè animadvertebant ex Episcoporum varias in partes adversis studiis euntium dissensione, debuisse à Principe Pastorum Christo, qui nobiscum usque ad consummationem sæculi esse voluit, assignari unum in terris locum, ad quem omnes conveniant, unum Judicem & Doctorem, cui omnes, etiam Episcopi & Sacerdotes, seu dum suis gregibus præsunt singuli, seu dum plures de rebus Ecclesiæ conjunctim deliberant, obedire teneantur.

VI. Sed nolim inferas, etsi decepti non sunt hi, qui antecesserunt, non modici momenti est, quòd his decepta sit tot sæculorum posteritas, quot secuta sunt illum deceptorem, ut tu quidem vis, mortalium nequissimum. Ne id quidem concesserim; nec tu ipse poteris, si attendas, quòd Parisinus Præsul celeberrimus Petrus de Marca, idoneus certè tibi author, de his memorat. *In eo*, inquit, *suffragari non possum Blondello, quòd atrocioribus verbis epistolas dilacerat, quas è sententiis & verbis legum, Canonum antiquorum, & SS. Patrum, qui IV. & V. sæculo floruerunt, si pauca demas, concinnatas esse constat.* De Hincmaro dicit, quanquam non crederet genuinas esse, censuisse tamen, quòd iis honor debeatur, imò ex iis adduxisse testimonia ob materiæ veritatem, earúmque antiquitatem. Idem Illustrissimus de Marca dicit Nicolaum I. Galliæ Episcopis objecisse, quòd illis epistolis, dum suæ intentioni conspiciunt easdem suffragari, indifferenter utantur, eóque tandem deventum est, inquit de Marca, ut sub finem Sæculi X. in Concilio Romensi ad eas, quasi in Canonum censum receptas, in causâ Arnulphi attenderetur, ac postea Buchardum & Ivonem suis collectionibus eas inseruisse, quòd, quanquam non genuinæ, antiquæ tamen & utiles censerentur. Uberiùs de his agetur ad eum locum, quo de his ex proposito tractat Febronius.

Pet. de Mar. lib. 3. c. 5.

§. IV.

Juſtini Febronii idea de centro unitatis. Ejus diſtinctio inter Sedem Apoſtolicam & Curiam Romanam. Quid Catholicis Regibus & Epiſcopis, quid Doctoribus incumbat, ut Primatus Pontificius ad juſtos terminos conſtringatur.

1. *Romano Pontifici ideali & Rom. Eccleſiæ ideali, non autem, quæ præſentis temporis eſt, docet Febronius, obediendum.*
2. *Reges & Epiſcopos excitare nititur contra Rom. Pontificem propter Curiam præſentis temporis.*
3. *Abutitur exemplo S. Baſilii.*
4. *Studio controverſiarum ad reuniendos diſſidentes dicit prævalere jus publicum Eccleſiaſticum politicum Germaniæ.*
5. *Docet contra Curiam Romanam Epiſcopis Germaniæ eſſe pugnandum.*
6. *Perſtringitur diſtinctio inter Sedem Apoſtolicam & Curiam Romanam, inter Cathedram & perſonam.*

I. Agnoſcit equidem Febronius centrum unitatis eſſe neceſſarium, ut ſtet unio catholica, & omnes, quotquot fidem orthodoxam profitentur, debere eſſe Romanæ fidei conjunctos, Romanum Pontificem tanquam Petri Succeſſorem in universâ Eccleſiâ eſſe primum, & debito reverentiæ cultu ac obedientiâ eſſe honorandum; non utique illam Romanam Sedem, quam videt hæc noſtra ætas, non illum Romanum Pontificem noſtri temporis, ſed idealem & fœdæ illius ambitionis expertem, cujus ſordibus hæc Sedes Romana noſtri ævi fœtet ex Febronii ſententiâ.

II. Reges & Principes excitare nititur, ut ſecuritatem terrenæ ſuæ dominationis per Pontificiæ autoritatis depreſſionem quærant. Epiſcopos hortatur, ut ſupremæ illius poteſtatis imminutione ſuam poteſtatem exaltent, & quod ſinguli non poſſunt, inito fœdere, junctiſque viribus intrepidi perficiant.

III. Quam Valentis Imperatoris Præfecto extrema minitanti Magnus Cappadociæ Epiſcopus Baſilius fortitudinem animi oſtendebat, talem tantámque Febronius ab Epiſcopis Germaniæ exſpectat. Juſſu Cæſaris Ariani urgebat Præfectus, ut Arianam hæreſim per Cappadociam propagari ſineret; Epiſcopus Præfecto extrema, ni faceret, intentanti reſpondit: *Dum Dei cauſa periclitatur, ignes, gladius, beſtiæ & ungulæ carnificum nobis potiùs voluptati ſunt, quàm terrori: mináre, fac, quod libet, fruere poteſtate tuâ, audiat etiam hoc Imperator, nequaquam nos vinces, ut impiæ Arianorum doctrinæ aſſentiamur.* S. Gregorius Nazianzenus parentans Magno Baſilio narrat,

Præ-

Præfectum statim Valenti nuntiâsse : *Ab hoc Antistite victi sumus ; præstantior est, quàm ut minis, firmior, quàm ut sermonibus, fortior, quàm ut blanditiis vincatur.* Addit Gregorius erubuisse Imperatorem, & ad similia Basilium deinceps urgeri vetuisse. Fornerus Episcopus Hebronensis, dum Nythardo Episcopo Bambergensi anno 1589. funebri oratione parentabat, Præsuli huic Germano verba Nazianzeni applicuit tanquam Basilii ectypo, quòd trium Germaniæ Principum potentissimorum Legatis pro sectâ Calvinianâ, quam profitebantur, dira quæque minantibus responderit, *se Dei causam agere, ejus niti præsidio, ad reformationem suæ Diœcesis se obligari per Episcopale officium, per conscientiam, per juramentum.* Testatur Fornerus ejusdem Nythardi Suffraganeus, & à Confessionibus, heroicæ illius virtutis spectator, Legatos prandio & muneribus Principe dignis, à Nythardo honoratos cum grandi admiratione infracti animi discessisse; illum reformationi ad mortem usque constanter insistendo multa millia animarum ad sinum sanctæ Ecclesiæ reduxisse. Testatúrque, quòd tali antea magnanimitate Wigandus Episcopus Bambergensis Lutheranos ab ovili suæ Ecclesiæ profligârit, tali spiritu Joannes Godefridus Nythardi Successor à grege suo Novatores arcuerit. Alios in Germaniâ Febronius vult Basilii imitatores; quo autem prælio, quali cum hoste vult, ut pugnent nostri Episcopi? Romano Pontifici, seu ùt loqui mavult, Curiæ Romanæ bellum quoquomodo inferant, *succidant Primatûs nimietatem, deprimant Pontificis supra Episcopos eminentiam.* Tunc Febronio erunt heroës fortiter præliantes prælia Domini, & Magno Basilio comparandi.

IV. Quidquid ferè controversiarum sic dictos Protestantes ab orthodoxis disjungit, ad Scholas Theologorum, logomachias amantium, tanquam nullius momenti contentiones amandat; *Juris publici Ecclesiastici politici Germaniæ* minùs peritos, quantumcunque aliàs ad fidei dogmata tractanda, tuenda exercitatos, censet ad unionem in Religionis negotio dissidentium reducendam inutiles. Quis orthodoxus, & sanctam Ecclesiæ pacem desiderans non dicat hac novitate compertà, quod olim S. Polycarpus: *Deus bone! in quæ me tempora reservâsti?*

V. De nescio quo Monarchismo Papali debellando tantùm solicitus vult, ut, quod Episcopi Germani sanctæ Sedi dixêre Sacramentum, perfidè rumpant; omnia illis publicæ felicitatis & gloriæ promittit incrementa, tantùm si fuerint heroicè fortes contra Curiam Romanam. Non ignorat, infelicem se fore fecialem, si eos, qui alicui Germaniæ Episcopo, simul & principi Imperii solenni fidelitatis Sacramento obstricti sunt, tali œstro Martio contra proprium Episcopum incenderet, factâque simili inter *Episcopi Cathedram & Curiam* distinctione, ad succidendam, diminuendámve sacram ejus potestatem consilia machinaretur.

Quod Pollionem Romanum à consilio contra Augustum scribendi deterruit,

ruit, dum dixit: *At ego taceo; facile non est in eum scribere, qui potest proscribere*, illud certè Febronium ad quævis alia potiùs calamo tractanda diverteret, quàm ut opus tam periculosæ aleæ plenum contra aliquem Germaniæ Episcopum sacra simul & politico Imperio pollentem in sui ipsius exitium tentaret:

VI. Stat nihilominus eam calliditatem subtilis distinctionis inter sanctam Sedem Apostolicam & Curiam Romanam contra Papam convertere, etsi non lateat ea, quæ Primatûs ideam suo ingenio conceptam concernunt, ad Curialistas non pertinere, sed ipsam Hierarchiæ summitatem sacram ferire. Sic dum in Galliam Gregorius IV. Ludovico Imperatori filios dissidentes conciliatum ibat; falso rumori, quòd Papa ipsum, & ei adhærentes Episcopos excommunicare intenderet, fidem dans Imperator, *epistolam*, ùt ait P. Natalis, *immodestam, à priscorum Gallicanæ Ecclesiæ Antistitum pietate & reverentiâ erga Romanos Pontifices degenerem* ab hostibus sanctæ Sedis, Curialibus Regiis, conceptam dederat, inter *Cathedram & personam* distinctio fingebatur; cùm debitæ erga Cathedram Pontificiam reverentiæ significatione jungebantur injuriæ atroces, quæ intactâ Cathedrâ ferirent Pontificis personam. Gregorius calumniam literis repressit, ostenditque *propter Cathedram honorari oportere personam:* eventus optima Pontificis fuisse consilia comprobavit. Iterum contra Innocentii XI. decreta hæc distinctio suscitata fuit in Galliâ inter *dignitatem & personam*, laudabatur dignitas tanquam culpæ expers, & quæ omnem venerationem mereatur, persona acerbiùs impetebatur tanquam naturæ humanæ conditionibus & nebulis obfuscata, ignorantiæ, affectibus, privatisque studiis, ideóque & errori obnoxia. Iterum distinctionis inanitatem luculenter monstravit Cardinalis Sfondratus Dissertat. 1. tum Caroli Magni exemplo, tum ratiocinio ducto à periculis in supremorum Principum majestatem ex eâ distinctione redundaturis. Luthero jam sub initium suæ apostasiæ placuit hac distinctione suas machinationes obtegere, dum de Leone X. ajebat: *Leonem semper magni feci, at Sedem, Curiam, Ecclesiámque Romanam tamquam speluncam latronum & lupanar semper detestor.*

§. V.

De mediis dissidentes in Religionis negotio uniendi.

1. *Unio dissidentium sperari non potest, nisi sit unitas Fidei.*
2. *Zenonis Henoticon inutile ad tollenda Religionis dissidia,*
3. *Etiam Constantis Imperatoris Edictum* Typus *appellatum.*
4. *Pauli V. mens de pace in Religionis dissidio quærendâ.*
5. *Varia res novas molientium motiva.*

6. Quid

6. *Quid Febronii oratio prodromia ad Reges & Principes Catholicos promittat.*
7. *Quid ejusdem oratio ad Episcopos Germaniæ.*

I. Dicit Febronius: " Eò sua vota conatúsque tendere, ut cesset fatalis illa „ divisio, quæ scindit Ecclesiam, ità ut ad mentem Magni Leonis „ nihil adversariis remaneat in fide dubium, nihil in charitate divisum. „ Si prima ad reuniendos dissidentes debet esse de fidei unitate cogitatio, quid à Curialistis impedimenti opponitur, quod Protestantibus obicem conversionis interjiciat? Secessionem fecerunt Heterodoxi Novatores. Probent hi primùm, quo jure fecerint. Romana Ecclesia, antequam communionem abrumperent, vera erat Christi Ecclesia. Hoc Philippus Melancthon fassus est, hoc Calvinus & alii. Imò Lutherus gloriabatur: *Primus fui, cui Deus ea, quæ vobis prædicta sunt, revelare dignatus est.* Si autem nec legitima missio, nec Ecclesiæ depravatio, quantùm ad orthodoxiam credendorum, ostendi poterat, nefas erat Germaniæ tranquillitatem illâ secessione turbari, & contradictionibus, dubitationibus dogmata Catholicorum implicari; quod fides Patrum, consensus populorum certum esse monstrabat, novis disputationibus incertum fieri. Sed hæc pleniùs Polemicæ Theologiæ Tractatores, atque imprimis Illustrissimi Walenburgii nostri. Id nunc agendum, ut convincatur Febronius, quòd *ad reuniendos dissidentes in Religione Christianos* eo tramite, quem libro suo singulari monstrare tentavit, incedere non liceat.

Melan. ad art. Bavar. Calv. l. 4. Instit. Cap. 2.

II. Notum est Zenonis Imperatoris henoticon, quo Eutychianos Catholicis conciliare adnitebatur, ut *sanctissimis*, inquiebat, *Ecclesiis restituatur concordia, membra membris conjungantur.* Funesta rerum Sæculo V. gestarum historia ostendit speciosi prætextûs inanitatem, & Eutychianos illo reconciliationis tentamine factos fuisse petulantiores. Felix Papa de hoc Henotico ad Zenonem rescripsit: *Nec sauciis firma adhibetur curatio, & sanis ingeritur miseranda contagio.* Eundem in scopum Ecthesis Heraclii Imperatoris tendebat.

III. Similem in spem Constantis Imperatoris Edictum, cui Typus nomen erat, successu planè simili vocavit provincias Imperii Arianâ hæresi infectas. Patres Concilii Lateranensis sub Martino Papâ hoc tulerant de Constantis Typo judicium: *Bonum quidem intentum habere dignoscitur, dissonantem autem intentui virtutem continet; bonum est procul dubio & omnibus timentibus Deum desiderabile cohibere dissensiones pro causâ fidei, sed non est utile & bonum cum malo destruere bonum.*

Quid ad Germaniæ turbas à Luthero suscitatas transactione sopiendas Carolus V. Imperator & quidam Principes Imperii, quid Cardinales Cajetanus & Contarenus tentârint, Synchroni scriptores luculenter commemorant.

IV. Sapienter Paulus V. pacem, quanquam aliàs maximè expetendam, ne-

negavit sperari posse, nisi bonis artibus quæratur; victoriam censuit & turpem fore, & minimè diuturnam, nisi de rebus fidei sit perfecta consensio, & iisdem omnes verbis, eodem sensu fidei dogmata profiteantur.

V. Si, quòd placet Febronio, & ante eum Ludovico Maimburgo, ideo minuenda est Pontificia potestas, quia Hæretici illam aversantur, rectè infert Sfondratus idem de Regiâ potestate dici posse, cùm constet sæpiùs in Galliâ Hæreticos perduelles ipsam Regis majestatem deprimere tentâsse. *Nemo aut Rempublicam, aut Religionem aggreditur, nisi publici boni obtentu*, inquit idem æternæ memoriæ Princeps & Cardinalis, postquam in §. 1. Dissert. 2. in *Galliâ vindicatâ* recitavit verba Maimburgi: *Circumscriptâ minutâque Pontificis Romani potestate Protestantibus odiosâ, tantò isti faciliùs ad Catholicam verâmque Religionem perducentur, sícque sperari potest schisma cessaturum sublatis ejus causis.* Si historiæ pervolvantur, mirum & novum non est privatis studiis velum Religionis prætendere & boni publici curam prætexere seditioni. Omnes, quotquot à Novatiano usque ad hæc tempora schismate turbârunt Ecclesiam, aut gravium malorum depulsionem, aut splendida commoda sequacibus promiserunt, quanquam aut vindictâ aut spe ambitúque incitarentur, aut gloriæ cupiditate; nempe non omnes rerum novarum cupidi (quod observavit Aristoteles Lib. 5. Polit. Cap. 10.) ad principatum impetendum vindictâ aut spe incenduntur: sed quosdam ducit sola gloriæ cupiditas. Quid Maimburgum impulerit, ex non obscuris indiciis Sfondratus ostendit, cur autem verbis & sententiis Maimburgo se discipulum addixerit Febronius, nolim, cùm ignotus lateat, præfidenter asserere.

VI. Si jam novem ferè sæculis epochæ Febronianæ stetit Monarchia Papalis, si ipsimet Pontifices intra id tempus bella *eruditis*, ùt ei videtur, *abunde cognita moverunt, concitârunt, foverunt ad defendendam, promovendámque* sui *Primatûs* ad formam temporalis Monarchiæ redacti *nimietatem*, ùt putat, Regibus & Principibus invidendam & politico eorum imperio periculosam, animadvertere omnino debebat, nec citò, nec facilè, nec sinè exitiosâ populorum nunc pace fruentium turbatione per nova consilia esse subvertendam; Henoticon unius Germani Jurisconsulti latitantis operâ fabricatum tanti non valiturum in aulis Regum & Principum sui Imperii studiosissimorum, ut, quod sperat, summum Pontificem junctis viribus aggrediantur; sciebat eos, ad quos res Germanicæ supremo jure pertinent, non eadem Sacra colere, non iisdem duci studiis, non idem commodum à novo ex quibusdam Scriptoribus Gallis Curiæ Romanæ Censoribus transcripto, & omissis refutationibus nunc in Germaniam hanc nostram traducto systemate sperare posse.

VII. Non minor est ejusdem Irenophili in hoc imprudentia, quòd Episcopos Germaniæ tanquam suæ dignitatis incurios audacter arguat ob turpi

pa-

patientiâ diu portatum jugum servitutis per Monarchicam Pontificis dominationem impositæ. *Siccine Marcionem liberanda veritas exspectabat*, graviter olim dixit Tertullianus, an Febronium exspectavit vindicem & redemptorem libertas Germanicæ Ecclesiæ, & nostrorum Antistitum autoritas? Nempe sic erat in Fatis; oppressi hactenus tandem nunc incipient, qui, quanti sint, doceri per Launoii, Dupinii & Maimburgi exterorum Magistrorum discipulum, & serò agnoscere, quid in beatis sæculis Isidori ætatem antecedentibus possederint Episcopi jure divino, quid per Curiæ Romanæ artes, per Isidori fraudes, per Episcoporum ignorantiam suppressis puriorum temporum documentis, & Apostolicæ Traditioni surrogatis humanis traditionibus amiserint Ecclesiæ Germanicæ. Pleniùs expendetur suis locis, quantum traditio & disciplina primorum temporum Febronio, ejusdémque Magistris patrocinetur, & quàm verè Episcopus ac Princeps Bambergensis & Wirceburgensis Epistolâ pastorali XI Martii 1765. editâ librum Febronii, non tantùm *summo Christi in terris Vicario graviter injuriosum, sed & communioni corporis Pastorum cum eodem uno supremo Capite continuandæ inimicum* dixerit.

§. VI.

Quid ad reuniendos dissidentes in Religione Christianos tentaverint Heterodoxi anteriorum temporum.

1. *Febronii consilium de flectendis voluntatibus dissidentium posthabitâ curâ dedocendi errores.*
2. *Quid præcipui novatores heterodoxi senserint de concordiæ mediis.*
3. *Eorum sequaces distinxerunt articulos fundamentales necessariò admittendos, ut ineatur concordia.*
4. *Quid Calvinistæ à Clero Gallicano petiverint sub Ludovico XIV.*
5. *Dictum Bardtii Lipsiensis admittitur etiam quoad decreta disciplinæ totam Ecclesiam obligantia.*
6. *Sacri Ritus mutari possunt legitimâ auctoritate.*
7. *Pauci Acatholici diminutionem Pontificiæ potestatis asserunt esse remedium principale concordiæ.*
8. *Id ostenditur ex Hugonis Grotii Apologetico & dissidio Religionis inter Batavos Reformatos.*
9. *Quare Grotius concordiam negaverit quærendam per Concilia.*
10. *Ejusdem de pace quærendâ consilium.*
11. *Aliorum Heterodoxorum judicia de componendis dissidiis.*
12. *Böhmerus pro medio pacis ponit approbationem publicam salvo singulis judicio de credendis.*
13. *Samuelis Puffendorffii sententia.*

I. Non ignorant Heterodoxi monuisse Apostolum, ut inter Christianos *non sint schismata, sed id ipsum dicant omnes, ut sint perfecti in eodem sensu, & in eadem sententiâ*, hoc est, non solo sermone, sed & judicio rationis & voluntatis consensione sint omnes fidei unitate *corpus compactum connexúmque per omnem juncturam.* Contrà censet Febronius conciliatori pacis inter dissidentes Christianos esse laborandum, non tam ut intellectus dedoceatur errores ab Ecclesiâ damnatos, quàm ut afferatur medela voluntatibus; atque id peccati peccâsse omnes hactenus Theologos, ipsósque adeò Patres S. Concilii Tridentini, quòd odio Pontificii dominatûs in Politicorum Protestantium animis curando neglexerint remedium adhibere. Nisi liber Febronii apparuisset, nemo crederet à Catholico erudito ideam talem de corpore Christi, quod est Ecclesia, tam audacter prodituram, quæ chymæram potiùs, quàm corporis bene formati speciem referat.

1. Cor. 1.

Ad Eph. 4.

II. Ipsi Duces adversarum partium suæ ab Ecclesiâ Catholicâ secessionis causas tales exhibent, ut facilè intelligamus, intellectu non convicto, ex quantâlibet externæ gubernationis Ecclesiasticæ mutatione non posse voluntatis mutationem sperari. Lutherus in lib. *de Potestate Papæ*, ait: *Incomparabiliter minor res est Principatus Pontificius, quàm ut unitas & charitas & humilitas propter ipsum per nos dissolvatur.* Doctori Eckio post disputationem Lipsicam, in quâ hic multa de Pontificatûs Romani prærogativis dixerat, declaravit, se propterea schisma non facturum. Post damnatas à Leone X. propositiones 40. ex Lutheri scriptis excerptas, negavit quæstiones de Primatu Pontificis, de auctoritate Concilij generalis ad articulos necessariò credendos spectare; sua de justificatione hominis asserta contra Pontificis Bullam præcipuè censuit esse defendenda; ejus disputationes, sermones & libri ostendunt, non de solâ politicâ voluntatis subjectione, sed maximè de dogmatibus fuisse certatum. In postrema ad Wittenbergenses concione dixit: Sathanam suæ doctrinæ per eos insidiari, qui huc spectant, ut pacis studio nonnihil adversariis concedatur, ne latum quidem pilum adversæ parti concedendum voluit, cùm sinè Religionis detrimento id fieri non possit; à Jurisconsultis & politicis quibusdam id obstinationi adscribi ajebat, sed ei tentationi fortiter esse resistendum. Calvinus lib. 4. Instit. cap. 2. inquit: *Eant nunc & clamitent hæreticos nos esse, qui ab eorum Ecclesiâ secesserimus; nulla alienationis causa fuit, nisi hæc, quòd puram veritatis professionem ferre non possint.* Cœtus Catholicorum dicit, *contaminatos esse idololatriâ, superstitione, impiâ doctrinâ.*

Ulenb. vita Luth. c. 34.

III. Hos ita imitati sunt eorum discipuli, ut ad concordiam ineundam postularent admissionem saltem illorum dogmatum, quibus titulum articulorum fundamentalium tribuebant. Philippus Melanchton in epistolâ ad Bellaium dicit, *Primatum Papæ & jurisdictionem Episcoporum impugnari non oportere, cùm Monarchia Pontificia sit utilis ad continendas in officio nationes chri-*

christianas. In Apologiâ Confessionis Augustanæ adorationem imaginum & invocationem Sanctorum dicit causam secessionis, & articulum de justificatione fundamentalem declaravit.

Bucerus Zwinglianos Lutheranis ita jungere tentavit, ut quædam dogmata utriusque partis arbitrio relinquerentur, aliqua autem tanquam Religionis prima capita & articuli fundamentales ab omnibus admitterentur.

Conradus Vorstius in *Tract. de causis deserendi Papatûs* dicit causam præbuisse *Idololatriam*, *superstitionem & tyrannidem illam*, *quâ sacræ Scripturæ lectio laicis probibetur*; *peregrinæ linguæ usus pro sacris functionibus præcipitur*, *& hæreseos titulo vexantur ii*, *qui Catholicorum placita impugnant.*

Dallæus quanquam errorem Chiliastarum articulis fundamentalibus non accenseat, neque errorem de Spiritu S., qui Græcos ab Ecclesiâ divisit, neque eos, qui Calvinistas à Lutheranis dividunt, secessionem tamen ab Ecclesiâ Catholicâ dicit justè factam ob imputatam Catholicis Idololatriam in Eucharisticâ adoratione.

Joannes Claudius Minister Carentonensis articulis essentialibus accensuit dogmata de justificatione, merito, indulgentiis, Sacrificio Missæ, Invocatione Sanctorum, quibus addit Papæ & Sacerdotum Catholicorum tyrannidem, quâ conscientiæ libertatem oppressere.

Mathæus Bochardus adorationem Eucharisticam & Sacrificium Missæ, & Præceptum Communionis sub unâ specie, necnon necessitatem satisfactionis per meritum bonorum operum articulis capitalibus annumerat, ac propter eos errores justæ secessionis causas accersit.

Voëtius contra Cornelium Jansenium: *Secessimus à Papalitate*, *à Curiâ Romanâ*, *à Papâ*, *ab Idololatriâ*, *ab erroribus & corruptelis à Capite illo in Ecclesiasticum Corpus derivatis*, *atque ita ab Ecclesiâ Capiti Romano subjectâ*; *quia illa jam sæculis aliquot prior à Fide defecerat.*

Inter Duces adversarum partium semper fuit in assignandis articulis fundamentalibus, & non fundamentalibus opinionum varietas, neque certâ auctoritate Sacræ Scripturæ probari potest illa partitio articulorum, multò minùs, quòd hæc partitio prævaleat iis divisionibus, quas fecerunt alii; quod prolixiùs Illustrissimi Walenburgii, aliique controversiarum Tractatores expenderunt, in eo tamen omnes consonant, non posse suos cœtus unitate perfectâ uniri Catholicis, si omnia, quæ per Ecclesiam credenda proponuntur, necesse fuerit corde & ore amplecti. Itaque chymæricum paradoxon est, non emendatis erroribus intellectûs, voluntates dissidentium in Religionis negotio Germanorum uniri posse. Acatholicos, qui suorum Principum potentiâ & gratiâ fulciuntur, & inprimis Verbi Ministros pro dogmatibus suis tanquam consonis verbo Dei scripto, quod pro unicâ credendorum normâ habent, zelus impellet.

IV. Calvinistæ, dum Edictis Regiis premebantur à Clero Gallicano, his conditionibus communionem has petebant: 1. Officium divinum fiat linguâ pa-

triâ, ut populus, quæ dicuntur, intelligat. 2. Salvo Sanctis & specialiter Divæ Virgini debito cultu omnes preces ad Deum solum dirigantur juxta Liturgias antiquas. Invocatio Sanctorum & preces pro defunctis particulari uniuscujusque devotioni relinquantur. 3. Communio administretur, sub utrâque, tum populus doceatur adorare Christum in Sacramento, & non Sacramentum. *Promittimus*, inquiunt, *hæc si fiant, quòd liberati scrupulis nos simus Catholicorum cœtibus juncturi sub iisdem Pastorbus adserviendum uni Deo concordi zelo, intentione & voluntate.* Proscriptione decretâ quidam inter Ministros seu Prædicatores doctissimi paratos se obtulerunt ad unionem, si vel unicus trium dictorum articulorum concederetur. Sed nec regni, nec Ecclesiæ commodo talis pactio profutura videbatur. Intellectus errantium inprimis sanandus, ut verum à falso discernat, & quid verè sit revelatum, ac firmâ fide credendum, agnoscat.

V. Dicat inposterum, pergâtque sustinere Bardtius, *Papismum esse irreconciliabilem*; phrasi mutatâ dicemus, Romano Catholicis fas neutiquam esse sub conditione catholicis principiis contrariâ pactiones inire. Quidquid legitimâ Papali aut conciliari definitione anathematizatum est, retractari non potest; neque de sacris Ritibus nova expedit fieri Decreta, dum dogmata Catholica periclitantur, aut mutatione per Hæreticos extortâ sacrum Imperium succutitur. Quid enim de pervicacibus exspectari poterit quibusdam postulatis concessis, quàm quòd ad nova sint processuri?

VI. Siquid pro temporum aut locorum ratione his, quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei, quantùm ad Ritus etiam liturgicos, mutandum videbitur, eorum id fiet consilio, quos tanquam rerum Ecclesiasticarum peritos tum sacra Congregatio Interpretum S. Concilii Trid. tum alia sacrorum Rituum, tùm in minoris momenti quæstionibus Ordinarii locorum seu Episcopi consultare voluerint.

VII. Pauci eorum Heterodoxorum, qui doctrinâ & prudentiâ præ cœteris commendantur, diminutionem Pontificiæ potestatis præcipuum reducendæ inter dissidentes concordiæ & pacis remedium esse asserunt.

VIII. Hugo Grotius inter Batavos scientiâ & officiorum administratione celeberrimus exorto inter Batavos Calvinistas Remonstrantium & Antiremonstrantium dissidio censuit à definitionibus penitùs esse abstinendum, nec per Reipublicæ Proceres, nec per Synodos etiam totius Nationis eò adnitendum, ut inter contrarias partium opiniones altera tanquam certa statuatur, sed malebat communem potiùs tolerantiam lege patriâ constitui, omnibúsque liberum relinqui de punctis inter partes disputatis judicium. In sui Apologetici Cap. 4. ostendit, quid inter Heterodoxos à decisione controversiarum enascatur: *Pii Pastores, inquit, magno numero finibus Batavicis expulsi sunt contra proclamatam semper à nostris animorum libertatem, dejecti sunt suis muneribus Magistratus, suffecti alii extra ordinem & contra leges; anxietate &*

& tremore premuntur multa civium millia, qui studiosissimi semper fuerunt publicæ salutis. Agebatur inter Dissidentes de quinque articulis seu totidem propositionibus meram speculationem intellectûs, non voluntatis affectiones, neque externas operationes, aut Ecclesiasticam gubernationem attinentibus. Nulla inter eos de Pontificio Dominatu erat altercatio; adeò tamen funestum exitium dissensio illa progenuit, ut ipse Remonstrantium Defensor Grotius cum aliis quibusdam spectatissimis Reipublicæ Batavicæ civibus præter confiscationem bonorum carceri perpetuo addiceretur, & summa civium de patriâ aliàs optimè meritorum afflictio & miseria eas fidei definitiones secuta fuerit.

IX. Synodi convocationem ideo tranquillitati publicæ procurandæ inidoneam censebat, quòd per eos, qui faciunt partes in causâ, statuatur, quid tanquam orthodoxiæ consonum à popularibus tum Ecclesiæ, quam reformatam vocant, Ministris, tum Civibus haberi debeat, simúlque, quid universim de Conciliorum autoritate juxta suæ Ecclesiæ principia sentiret, aperuit, *Concilium Tridentinum nullius esse momenti, quòd Romanus Pontifex & Episcopi, cùm in partibus essent, Judices esse non potuerint, idque eò minùs, quòd jam Pontifex Lutheranos prædamnâsset: Non Accusatores*, inquit, *non qui accusantur, controversiarum Judices esse possunt*; & quò magis se negotio ingerunt, eò magis censuit fore suspectos: *Qui pauciores sunt*, inquit, *non ideò cedant, necesse est. Aliorum, qui plures sunt, dominatu constringi pauciores*, dicit, *apertam esse violentiam, cùm per censuram partis alterius nihil proficiatur, & studia partium veritatem impediant. Synodos*, ait, *utile esse remedium dissidiis sanandis, nunquam intelligere potui, nisi hoc tantùm pro scopo habeant, ut negotium omne ad ferendam sententiarum diversitatem, non ad partium alteram definiendam, damnandam dirigatur.*

X. Quod verò ad uniendum in Religione dissidentes Grotii consilium? *Aut colloquio*, inquit, *aut transactione, aut arbitrio publicarum potestatum bonis consiliis utentium controversiæ finiantur.* Hic fructus est secessionis ab Ecclesiâ Catholicâ, ut contemptis mediis ad ejusmodi perplexitates delabantur præstantissima aliàs ingenia, funestísque eventibus doceantur inviti, pacis autore deserto, de pacis reducendæ remediis utiliter cogitari non posse. Didicit miser, Catholicæ Ecclesiæ feliciorem esse conditionem sub sui Pontificis Dominatione, quàm Ecclesiæ Catholicæ Batavorum, dum tantus Tridentinorum anathematum numerus nulli Provinciæ Catholicæ exitium intulit. Solus viri eruditione clarissimi Apologeticus, fatúmque Remonstrantium convincit Febronium, quàm ineptum sit ejus de reuniendis dissidentibus consilium.

XI. Grotius primus non fuit hujus à Catholicâ Ecclesiâ reprobati consilii author. Genevenses in *Prologo Harmoniæ Confessionum* censuêre, paucissima esse definienda. Mutuum in præcipuis fidei dogmatibus in fraternâ chari-

charitate consensum sufficere declarat Symbolum Helveticorum. Luthero & Helvetiis amicâ compagine jungendis videbatur expediens inprimis præterire controversiam de Eucharistiâ & Prædestinatione. Quæ autem dogmata pro præcipuis habenda essent, voluerunt à pacifcentium arbitrio pendere. Tali Spiritu Paræus inter conclusiones, quæ ad necessaria capita non pertinent, posuit eas, quæ sunt de libero arbitrio & prædestinatione, addítque, *si hæc ab Evangelicis, seu Lutheranis attenderentur, sanando vulneri, & sarciendæ paci remedia fore expedita.* Idem Plessæus & Synodus Reformatorum Germaniæ Belgicæ 1612, fundamentum posuit, cui concordia dissidentium superstrueretur. Jacobus Britanniæ Rex datis per Casaubonum ad Cardinalem Perronium literis etiam agnovit à definitionibus abstinendum.

Aliam ad componendas in Occidente Ecclesias viam iniit Mathæus Prætorius Memela-Borussus Ecclesiæ Protestantium Theologus in libello, quem inscripsit: *Tuba pacis.* Multis præloquiis ad Innocentium XI. ad Leopoldum Impertorem, Reges Galliæ, Poloniæ, Britanniæ, Sueciæ, Daniæ, ad Principes Electores, & Urbes Romani Imperii formam dedit Febronio, quam in suo ejusdem argumenti libro imitatus est. De dogmatibus controversis ita loquitur, ut nullus Protestantium propiùs ad amicam compositionem Protestantium cum Catholicis accesserit; multa exspectationem superant, sed cùm, quod jam dixi, ab iis, quæ Catholici pro legitimè definitis habent, seu fidem, seu disciplinam spectent, discedere non possint, effectum hâc modestissimâ scriptione speratum nunquam obtinebit, quanquam appendix Febroniana illi per Prætorium proposito temperamento variorum dogmatum se accommodet, & Catholicos salvâ Fide orthodoxâ idem facere posse existimet. Illud certum est, de Rom. Pontificis Primatu, ejusdémque jurisdictione & Magisterio docendi Prætorium à Sacris nostris alienum ita sententiam expressisse, ut immodestam & à reverentiæ summo Pontifici debitæ legibus abnormem Catholici jurisconsulti scriptionem confundat.

XII. Böhmerus ad *Tit. Decretal. de summâ Trinit. & Fide Cathol.* ad conservandam Reipublicæ tranquillitatem, fovendámque unionem inter dissidentes in Religionis negotio ponit approbationem publicam doctrinæ controversæ hoc fine factam à Principe, aut supremâ potestate civili, ut tantùm publicè doceatur in publicis Religionis exercitiis, salvo privatim aliud credendi arbitrio. Talem decidendi modum agnoscit in eo distare à definitionibus Papalibus, quòd ille modus verum à falso non semper dirimat, imò aliquando à tramite sacræ Scripturæ sit alienus, singulísque salvam relinquat in rebus fidei libertatem, Papalis autem vinculum tyrannicum conscientiis injiciat; illa salutem Reipublicæ seu communem pacem unicè spectet, neque Theologorum Ministeriis, aut consiliis indigeat. Cessante metu publicæ perturbationis commendat tolerantiam; nempe non de morbis intellectûs, seu erroribus corrigendis voluit curandum esse, sed de voluntate, ut quàm longissimè arceatur servitus conscientiarum tyranni-

rannica, voluntates benignè caperentur, quantacunque esset judiciorum de credendis dissensio; nempe agenda sola, minimè autem credenda ad legis materiam pertinent ex Böhmeri sententiâ. Febronio displicere non potest idea tum Grotii, tum Böhmeri, cùm omnes Theologos partium in hoc negotio reducendæ concordiæ malit silere, quàm loqui.

XIII. Omnino autem ex Hæreticis eruditis tanquam implacabiles Romanæ Ecclesiæ inimici censendi sunt, quos immane odium contra Ecclesiam Christi eò usque incendit, ut Ecclesiam Catholicam juri naturæ adversam ejúsque hierarchiam monstrosum esse statum in statu affirment. Hanc Samuelis Puffendorffii & Heinecii impiam sententiam doctè confutat Anselmus Desing. Dicit Puffendorffius: *Contra jus naturale & sanam rationem pugnans, ideoque minimè tolerandum & pestilentissimum esse sub Religionis specie obtrusum dogma extraneo alicui Sacerdoti dans potestatem & imperium, à quo omnes cujuscunque Reipublicæ christianæ Cives & Sacerdotes tanquam subjecti Religionis obtentu dependeant.* Sic Lutherus, dum dixerat: *Testantur Juristæ publicis verbis, Jus Canonicum fœtere meram ambitionem & violentiam*, probationem addit: *Juristæ hoc judicium habent ex humanâ & naturali ratione.* Hi, quos talis furor occupat, bellum contra Ecclesiam perpetuum præ qualicunque pace optant. Nunc Orthodoxorum placita de mediis diffidentes in Religionis negotio uniendi expendenda sunt.

§. VII.

Quid ad reuniendos diffidentes in Religione Christianos tentaverint Orthodoxi.

1. *Corruptio morum non dat causam justam secessionis ab Ecclesiâ.*
2. *Febronius post Quesnellum dicit, quòd maximus obex sit Spiritus dominationis Papalis.*
3. *Multos Principes hoc nostro Sæculo ad Ecclesiam reduces non deterruit Pontificia dominatio.*
4. *Ostendit hoc Ernesti Landgravii Hassiæ & Illmi Ranzovii conversio,*
5. *Et Jacobi Marchionis Badensis, ac*
6. *Wolfgangi Wilhelmi Ducis Juliæ & Montium, & Christiani Wilhelmi Marchionis Brandenburgici,*
7. *Et motiva conversionis hic Coloniæ ab Ulenbergio, Coccio, Elbrachto & aliis edita.*
8. *Quid Febronius sentiat de Colloquiis.*
9. *S. Thomæ Aquinatis sententia de disputationibus publicis super fidei quæstionibus,*
10. *Et victoris Carthaginensis.*

11. *Quid*

11. *Quid senserit S. Augustinus de Colloquio cum Fortunio Donatista.*
12. *Fructus triduani Colloquii Catholicorum cum Donatistis.*
13. *Lex Honorii Imperatoris post illud publicata*
14. *Defenditur à S. Augustino.*
15. *Principum Catholicorum est obsistere dissidiis Religionis.*
16. *Zelo Principum Bavaria mansit Catholica,*
17. *Et principatus Leodiensis Zelo Cardinalis Erardi de Marca.*
18. *Zelus Maximiliani & Caroli V. Aug.*
19. *Joannis Eckii disputatio Lipsica.*
20. *Colloquium Gropperi & Buceri.*
21. *Publicæ concertationes S. Francisci Salesii, & Colloquium cum Bezâ.*
22. *Conversio Domini de Villâ novâ per Colloquium.*
23. *Materia Colloquiorum non fuit de Curiâ Romanâ, sed de dogmatibus.*
24. *Confœderationes Catholicorum Principum malè suggillat Febronius,*
25. *Et Controversistarum operas.*
26. *Alii eruditi media pacis proposuerunt Cæsari & Ordinibus Imperii.*
27. *De Sylvestri & Eckii consiliis.*
28. *De consilio Erasmi Roterodami, quod Coloniæ suggessit Friderico Electori Saxoniæ.*
29. *Libri:* Fundamenta pacis, *annuente Urbano VIII. & assentiente Ferdinando II. Aug.* jacta *epitome.*
30. *Consultatio de causis & modis componendi in S. R. J. Religionis dissidii, Auctore Scioppio.*
31. *Methodus pacem Religionis & veræ fidei unitatem consequendi.*
32. *Wilb. Lindani Episcopi Ruremond. de remorâ tollendi Schismatis & conciliandæ concordiæ ratione.*
33. *Collatio 24. articulorum Confessionis Augustanæ cum dogmatibus Catholicis gallicè scripta ad reducendos Protestantes Argentinenses, & liber pastoralis Archiepiscopi Burg. ad reunionem Protestantium.*
34. *Necessarium discrimen inter pacem politicam Religiosam, & fidei perfectam concordiam.*

I. Ut segreges ab Ecclesiâ oves adducantur ad gregem Domini, certum est submovenda esse impedimenta, quæ obstant conjunctioni: hæc aut fidem spectant, aut mores. *Si de moribus est quæstio, præcidendæ unitatis nulla est justa necessitas*, ajebat S. Augustinus: ità neque justum ex moribus impedimentum est, quod ad unitatem redeundi consilium intervertat.

Aug. Cont. ep. Parm.

II. Obex, qui justam secessionem non facit, post separationem quantolibet tempore continuatam tale incrementum non accipit, ut à reditu ad pristinam unitatem justè avertantur disjuncti. *Excessum Pontificiæ dominationis* asserit Febronius *obicem esse gravissimum*, ducem secutus Paschasium Quesnellum,

nellum, qui in sept. memor. pag. 219. 220. ait: *Ab utinam! utinam spiritus dominationis, qui nimis jam luculenter apparet, ubinam (nemo nescit) jam nunc impedimentum non faceret reunioni tot millionum de fratribus nostris separatis, qui pereunt in errore & in schismate, deterriti & retroacti per .... plus piget eloqui.* Ità Quesnell. Eum obicem gravissimum Febronius *ut tollat, aut saltem media suggerat, quibus valeat auferri*, sibi sumpsit operam. De aliis, quibus Ecclesiæ & Germaniæ salus cordi est, exspectat, *ut tantundem præstent circa reliquos obices*, quos vocat *leviores*. Quidquid servitutis comminiscatur ex Pontificiâ in Catholicos dominatione progenitum, certè non ad dogmata nobis revelata, sed ad mores pertinet. Fatetur ipse Febronius non debuisse, nec potuisse, quidquid est scandalorum, scindendæ unionis fundatam ansam præbere; fatetur etiam ea non tam vehementem incussisse omnibus horrorem, ut à reditu ad gremium sanctæ Ecclesiæ Catholicæ omnes Heterodoxi absterreantur.

III. Fatetur *hoc nostro sæculo plures potentissimos Principes sine spe temporalis commodi etiam cum gravi suo incommodo ad avita sacra Majorum ab hæresi esse reversos.* Neque hi, neque ii Principes, qui superiori sæculo in Germaniâ abjuratis erroribus fidem Catholicam amplexi sunt, seu natalibus, seu præstanti doctrinâ celeberrimi, eo, quem Febronius gravissimum fingit, obice absterriti sunt à mutatione fortiter exequendâ.

IV. Acta disputationis coram celsissimo Principe Ernesto Hassiæ Landgravio peractæ docent, eò spectâsse optimum Principem, ut, quid verùm, quid falsum, auditis partium argumentis doceretur. Tantùm aberat à metu Pontificiæ servitutis, ut intellectu per disputationem instructo statim à sectâ, cui innutritus fuerat, ad Ecclesiam Romanam transiverit. Ad Innocentium X. qui tunc Ecclesiæ præerat, cum apertâ interioris consolationis & gaudii significatione ex hac Urbe Coloniâ scripsit: "*Vestigia gregis antiqui Catholicæ pacis semitam sibi manifestâsse, contemptis per Dei gratiam imposturis, quæ ab infantiâ mentem occupaverant; sanctissimæ Sedis Apostolicæ præeminentem se agnovisse dignitatem; se & Conjugem è tenebris prætensæ Reformationis in id admirabile & irreformabile lumen Catholicæ veritatis atque unitatis à Domino esse translatos. Pro Ecclesiæ incremento, pro exaltatione S. Sedis Apostolicæ se ambos cum summo gaudio devovisse* anno 1652. declarabant.

V. Sub idem tempus *Illustrissimi Ranzovii* ad Georgium Calixtum literæ Româ scriptæ heroicam ejus magnanimitatem in abjurandâ hæresi paternâ ostendunt. Vidit Romæ, se mendaciis, falsis præjudiciis ad odium & detestationem Romanæ Ecclesiæ domi & in Academiis Protestantium pessimè seductum fuisse. Didicit Romæ tanquam Vicarium Christi eum colere, quem ab infantiâ Antichristum vocari audierat. Intellexit gratiâ interiùs illuminante unam esse Ecclesiam Christi, neque hanc aliam, quàm quæ Romano-Ca-

 tho-

tholica dicitur; *Potentiorem principalitatem Romanæ Sedis* S. Irenæi ætate sub finem Sæculi II. *ab Ecclesiis, quæ tunc erant in Germaniâ, meritò fuisse agnitam*, & quòd *necesse* jamtum judicârint fideles ob ejus Ecclesiæ Primatum *omnem undique collectam Ecclesiam eò convenire*. Tandem doctissimam & prolixam admodnm epistolam ità concludit: " *Unus hîc omnibus est antiquitatis retinendæ amor, novitatis aversio; eadem mihi novæ sectæ deserendæ, eadem antiquæ fidei amplectendæ causa.* Rogat Calixtum: *ut sinè odio studióque partium dispiciat statum Ecclesiæ Romanæ, eam nominis & dogmatis Catholici hæredem, atque Apostolici depositi custodem agnoscat; quàm impiè in Matris viscera sævierint infausti Reformatores, ut pro veteri Catholicâ doctrinâ suos substituerent errores, sacram Scripturam contra consensum Ss. Patrum ex cerebri sui libidine novis & privatis interpretationibus perverterent, Hierarchiam Ecclesiasticam & omnem præcipiendi & parendi distinctionem confunderent.*

VI. Motiva Jacobi Marchionis Badensis, motiva 12. quæ pro suâ conversione scripsit Wolfgangus Wilhelmus Dux Juliæ & Montium anno 1646. à sectâ Lutheri reversus ad Romanam Ecclesiam, & quæ de Christiani Wilhelmi Marchionis Brandeburgici conversione exhibet Liber, cui titulus: *Speculum Catholicæ veritatis*, & quæ iisdem lectis Reckium Toparcham Steinfurtensem induxerunt, ut eidem Romanæ Ecclesiæ se jungeret, ostendunt eos, quanquam regimen Papale iis ignotum non esset, minimè tamen cunctatos implere, quod Catholicorum dogmatum inspectâ veritate didicerant suæ & multorum millium subditorum saluti expedire.

VII. Omitto *motiva conversionis* hîc Coloniæ ab Eruditis conversis, Ulenbergio, Coccio Thesauri Catholici Auctore, Elbrachto & aliis edita, quæ quisquis legerit, totidem testes esse intelliget, quorum testimonio Febronius convincatur, quàm falsâ & iniquâ imputatione seu Papam, seu Curiam Papalem Heterodoxorum conversioni præbere dicat impedimentum.

VIII. Dicit Febronius ad reuniendas Ecclesias Sæculo XVII. per Colloquia, Tractatus, congressúsque Principum placito institutos laboratum fuisse; sed his omnibus hunc exitum fuisse communem, quòd commune pacis negotium nec in minimo fuerit per hæc media promotum, ideo hoc nostro Sæculo hanc viam per Colloquia ulteriùs non fuisse tentatam. Non apparet, quid moverit Febronium, ut medium hoc restituendæ unionis tam recens faciat; & unde concludat, hoc penitùs inutile fuisse, cùm nec ex Conciliis Generalibus unquam ea utilitas aut nata, aut nascitura sit, ipsíque Christo ac theodidactis sanctissimi Evangelii Præconibus sapientia hujus Sæculi contradixerit. Certè non penitùs inutile fuit, quod etsi non omnibus, multis tamen profuit.

S. Th. 2. 2. Qu. 10. art. 7. IX. S. Thomas doctissimè expendit, quando disputatio publica de fide sit necessaria, quando utilis, quando damnosa. *Si quidem solicitati sint*, inquit, *Ca-*

Catholici à Judæis, Paganis, aut Hæreticis, & inveniantur idonei ad confutandos errores, tunc eos, *qui potentes sunt exhortari in doctrinâ sanâ & contradicentes arguere*, necesse est esse *paratos ad satisfactionem poscenti rationem de spe & fide;* tunc publicè disputandum ex S. Thomæ sententiâ, ne taciturnitas confirmet errorem, & ut simplices erudiantur ac firmentur in fide.

X. Victor Carthaginensis Episcopus in Synodicâ ad Theodorum PP.: *Imminendum est*, inquit, *ne torpore desidiæ oppressi culpæ taciturnitatis teneamur obnoxii, & quasi favorem impendentes judicemur, dum adversa Catholicæ Fidei propugnare negligimus: à beato namque Felice Apostolico vestræ Sanctititatis Prædecessore dictum est: Negligere, cùm possis deturbare perversos, nihil est aliud, quàm fovere, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.*

XI. Contentione, quæ non, nisi ad subversionem audientium, est utilis, providè Apostolus interdixit. S. Augustinus memorat, *ad Colloquium suum cum Fortunio Donatistarum Episcopo habitum magnam hominum turbam confluxisse, perpaucis rem tantam salubriter agi cupientibus, cæteros magis theatricâ consuetudine ad altercationis spectaculum, quàm christianâ devotione ad instructionem salutis convenisse.* Justè hoc in disputationibus displicuit Augustino, magis autem, quòd aliquoties advertisset post Colloquia Hæreticos mendaciis Acta Collationum implicare. Ideo ad Crispinum Donatistam cum eo disputare cupientem scripsit: *Ad hanc epistolam responde; nihil de hac re agam vobiscum, nisi per literas; soletis de præteritis rebus gestis, quæ vultis, falsa jactare.* Aug. epist. 173. Epist. 172.

XII. Celeberrimum ejusdem S. Augustini triduanum Colloquium coram Marcellino Tribuno Cognitore institutum Carthagine quanta Ecclesiæ Catholicæ commoda contulerit, Acta testantur, ipseque S. Augustinus de Gestis cum Emerito his verbis exponit: *Donatistas in nomine Christi in gremium Catholicum magnâ ex parte suscepimus, ita ut pene omnes communioni Catholicæ sociatos esse gaudeamus. Eorum ferocissimi colendis agris amisso circumcellionum & opere & nomine inserviunt, servant castitatem, tenent unitatem.* Ut reducti in pace confirmarentur, & schisma, quod centum jam annis duraverat, penitùs evelleretur, Episcopi in Africanis Diœcesibus Acta Collationis quotannis quadragesimali tempore in Ecclesiis publicè legi curabant, confecto per S. Augustinum ad vitandam prolixitatem *Breviculo*. Acta Collationis variis mendaciis Episcopos Donatistas studuisse depravare, Cognitorem Marcellinum præmiis corruptum asseruisse, & ab eo judicio propterea appellâsse idem S. Doctor testatur.

XIII. Honorium Imperatorem hujus Collationis Carthaginensis successus movit ad legem adversùs Donatistas promulgandam: *Nisi omnes Donatistæ, etiam Sacerdotes, Clerici, aliique se Catholicæ, à quâ sacrilegè descivêre, reddiderint, Illustres sigillatim Fisco auri pondo 50. cogantur inferre,*

Senatores auri pondo 30. .... Nec Domûs nostræ homines ab hujuscemodi censurâ habeantur immunes: Uxores eorum maritalis segregatim mulcta constringat.... Clerici...de Africano solo, quod ritu sacrilego polluerunt, in exilium viritim ad singulas quasque regiones sub idoneâ prosecutione mittantur, Ecclesiis eorum, prædiisque, si quæ in eorum Ecclesias Hæreticorum largitas prava contulit, proprietati potestatique Catholicæ vindicatis. Testatur Possidius in Vitâ S. Augustini hâc lege multos eorum Episcopos cum Clericis & plebibus communionem & pacem Catholicam amplexos esse, multásque persecutiones usque ad membrorum amputationem & internecionem, nonnullis plusquàm antea insanientibus, pertulisse; cùm non pauci furore perciti mallent mortem sibi cosciscere, quàm ad Ecclesiam redire.

S. Aug. Epist. 185. XIV. Nihilominus S. Augustinus æquitatem hujus legis Imperialis laudavit: *Magna in eos*, inquit, *fit misericordia, dum à sectâ eripiuntur inviti, ut postea in Catholicâ bonis præceptis & moribus sanentur assueti. Multi, quorum jam in unitate Christi pium fidei fervorem charitatémque miramur, cum magnâ lætitiâ Deo gratias agunt. Aliqui confitentur, quòd jam olim volebant esse Catholici, sed (cùm inter eos habitarent, inter quos id, quod volebant esse non poterant, ubi si unum verbum pro Catholicâ dicerent, & ipsi, & domus eorum funditus everterentur) quis est*, inquit S. Doctor, *tam demens, qui neget istis debuisse per jussa Imperialia subveniri?* Si autem *se ipsos occidere voluerint, quid hic agit fraterna dilectio? Utrum dum paucis metuit, dimittet omnes æternis ignibus gehennarum, cavendo, ne quidam voluntario moriantur interitu, qui vivunt ad impedimenta salutis aliorum? Horum populorum conversorum congregationes per plurimas Africæ regiones si sub uno conspectu videres, diceres nimiæ fuisse crudelitatis, si dum timetur, ne homines desperati istorum innumerabili multitudini nullâ æstimatione comparandi morte voluntariâ pereant, isti sempiternis ignibus cruciandi relinquantur.* Fatetur non paucos metu temporalis incommodi simulando communicâsse, sed hos paulatim assuescendo & prædicationis veritatem audiendo magnâ ex parte fuisse correctos. Ecce fructum saluberrimum Carthaginensis Colloquii Augustini disputatione & Honorii protectione comparatum.

XV. Incalescant Principes sancto ardore protegendi Ecclesiam; Pontifici, Episcopis & Pastoribus, quibus animæ subditorum commissæ sunt, præbeant suæ potestatis adjumentum, ne dissidia per Religionis diversitatem excitentur, quæ quantam regnis ac provinciis florentissimis perniciem inferant, funesto experimento didicit Germania, Belgium, Hungaria, Bohemia, Dania, Suecia, & ante Hugonotarum exterminium Gallia.

XVI. Cochlæus Coloniensis Theologus in lib. de tumultuantibus in Germaniâ rusticis anno 1525. contra Lutherum scripto, eum dicit tumultuum ac funestorum Germaniæ dissidiorum authorem: *Si*, inquit, *Principes ac Domini Germaniæ omnes libros, discipulos, ac complices tuos è terris suis fugâs-*

fugâssent, sicut summè laudabiles Principes Bavariæ fecerunt, rustici quievissent, sicut Bavaricos videmus quiescere.

XVII. Jacobus Hogstratus Colon. Theologus Ord. Præd. Libro contra Lutherum ad Cardinalem Episcopum Leod. Erardum de Marcâ doctissimè scripto ait: *Laus inge… & boni Pastoris præconium immensum, quod Hæreticos, non dicam agere quidquam aut docere, sed ne in ullâ quidem casâ sub ditione tuâ delitescere passus sis, neque sustinueris, ut ad demoliendam vineam tuam vulpeculæ intrarent.* Hæc Honorius, hæc Bavarorum, hæc Eburonum Princeps pacis consilia saluberrima ingenti subditorum commodo amplexi sunt.

XVIII. Honorii exemplum in eo sectati sunt Maximilianus & Carolus V. Augg. quòd Theologorum convocatione, Collationibus, Colloquiis publicis Ratisbonæ, Spiræ, Wormatiæ pacem quærere conati sint.

XIX. Celebris disputatio Lipsica inter Eckium & Lutherum ac Carlstadium & jussu Leonis X. Pontificis Maximi tentata per Cardinalem Cajetanum, Miltitium, Vigerium cum eodem Novatore colloquia, nec laude, nec fructu insigni caruerunt. Equidem non ùt olim Serapion sophistam, ita Lutherum elinguem fecit, & Catholicæ Fidei obsequentem facundia tantorum virorum; imò & Lutheri Sectatores ad ferociam & vindictam eò usque incendit, ut Eckii vitæ timeretur, & Romæ à Lutheranis Germanici exercitûs militibus Cardinalis Cajetani domus fuerit expilata.

XX. Bucerus post Colloquium, quod hîc Coloniæ Hermanno Wedano volente cum Groppero Doctore Coloniensi habuit, veritati se victum non dedit, aliis tamen ut in fide solidarentur, illi pro vindicandâ catholicâ doctrinâ suscepti labores profuerunt.

XXI. Illustres Fidei victorias Colloquiis & concertationibus publicis reportavit S. Franciscus Salesius, quas ejusdem Biographus, Episcopus Aniciensis cum laude commemorat, etsi jussu Pontificis tentatum cum Theodoro Bezâ Colloquium non converterit infelicem, denuo tamen jussus est experiri certamen. Quid verò conversioni illius obstiterit, indicat Aniciensis; *Anicien. Past. 3. Cap. 1.* nimietas Pontificiæ dominationis obstinatum non faciebat Bezam, Pontificis nomine omnia, quæ ad vitam commodè agendam conferre possent, promittente Salesio, unum hoc deterruit: *Quid sentient? quid dicent homines Bezâ mutato?*

XXII. Dominus *de Villa nova* celeberrimus antea inter Gallos Calvinismi assertor Fidem Catholicam anno 1630. coram Archiepiscopo Parisiensi professus, post Deum Conferentiæ, in quâ cum Ministro Carentonensi pro sectâ suâ contra P. Regourd S. J. pugnavit, conversionem suam attribuit: animo ad Acta ejus Colloquii Parisiis, Sedani, Salmurii & Blesiæ impressa intentiùs applicato vidit falsitatem, imposturam, ac depravationem; occurrebant verba Dionysii Corinthiorum Episcopi: *mirum non est verba hominum ab iis*

iis corrumpi, qui corrumpere audent verbum Dei. Pensitatis, quæ ex ore P. Regourd audierat, argumentis, dicit se resistere non potuisse. Heterodoxos, qui coram non interfuerant, ut humanitùs contingit, potentiùs movebat exemplarium fides, quàm unius disputatoris conversio.

XXIII. Animadvertendum erat Febronio, quòd pauca illa, quæ ex superiori sæculo profert ad restituendam Religionis concordiam tentamenta, dogmatum diversitatem, non verò modernum systema Curiæ Romanæ concernant, nempe de Religionis normâ, de controversiarum Judice disputatum est Ratisbonæ. In Palatinatu, in Borussiâ, in Galliâ de Religionis dissidiis, seu dogmatibus controversis. In Arce Reinfeldensi de quatuor Articulis ab Ernesto Landgravio propositis: Quæ & ubi sit vera Ecclesia? Quid ad salutem necesse sit credere? Quæ dogmata à Lutheri tempore sint controversa inter Christianos? Et denique an post tempora Apostolorum aliquis homo, aut aliqua humana societas sit infallibilis in decidendis fidei controversiis? Ea quantum à scopo Febroniano abscedant, nemo non viderit.

XXIV. Principes Catholicos hortante Papâ in fœdus coiisse, & sociatis opposito fœdere Principibus Acatholicis vim armatam opposuisse, ineptè sugillat Febronius: nec Papa, nec Principes Catholici ad aberrantes per violentiam convertendos, sed ad protegendam à violentâ persecutione Catholicam Ecclesiam studia sua contulerunt. Mahometica consilia & media Ecclesiam dilatandi semper summi Pontifices & Principes Catholici detestati sunt, defensionem fidelium contra adversantium arma non crediderunt Evangelio repugnare.

XXV. In Controversistis, ùt vocant, præsertim Regularibus nullo facto discrimine hoc improbat crisis Februniana, quòd *minimè sustinenda sustineant, auxerint odium, non restrinxerint, quòd id genus hominum nativo Spiritu sufflandi Religionis odium impellatur;* quàm autem injustè, sola hæc nostra Academia demonstrat, ut de aliis Germaniæ nostræ Controversistis taceam. Quæ hic de controversis dogmatibus scripserunt Gropperus Cardinalis, Cochlæus, Cudsemius, Schultingius, Nopelius Episcopus Suffraganeus, Ulenbergius, Binius, Meshovius, Walenburgii Fratres Episcopi Suffraganei, eorum non ingenium tantùm, sed & prudentiam commendant. Nec minùs injustè Febronius eâ impetigine infectos dixerit Regulares, qui in hac nostrâ Academiâ Luthero & sequacibus polemica Scripta opposuêre, Billichium, Hogstratum, Costerum, Fabrum, Canisium, alios. Ostendat Febronius hos imputati vitii reos, aut quâ aliâ in provinciâ Germaniæ fuerint, aut sint tales illius odii sufflatores; patebit ex quibusdam imperitis & ad illa certamina minùs exercitatis, qui certè per Ecclesiæ decreta & justam rationem à disputatione arcendi sunt; universim omnes Germaniæ Controversistas, doctos indoctósque præfestinatâ censurâ sinè legitimo ratiocinio damnari.

XXVI.

XXVI. Aliam à Theologicâ controversiarum tractatione distinctam viam inierunt ii Eruditi, qui media pacis in Religionis negotio Germanis restituendæ Cæsari & Ordinibus Imperii Germanici proposuerunt. Dum Febronius idem, quod illi versârunt, argumentum tractare instituit, hos inprimis commemorare debebat, & ostendere, quid præ illis de suâ operâ sibi Germania promittere, aut suâ spe frustratis illis jam certiùs per Febronium sperare jubeantur.

Sub initium turbarum, quas Lutherus libris editis & sermonibus ad populum habitis excitavit, Maximilianus I. Imperator periculum Germaniæ advertebat, ideóque Pontificem admonuit, ut nascenti malo medicinam pararet, ne per moram invalescat.

XXVII. Non defuêre salubria Eruditorum consilia, inter quos celebrior Sylvester Prieras, tum & Joannes Eckius Romam profectus Pontificem Leonem X. hortati sunt, ut seriò & tempestivè Lutheri machinationibus occurratur. Utriusque Theologi conatus Lutherum antea simulationibus & ambiguis locutionibus involutum fecit apertiùs furere, & quaquaversùm nova sua dogmata per Imperii provincias extendere.

XXVIII. Consilium, quod Friderico Electori Saxoniæ Coloniam ab eo accersitus Erasmus Roterodamus suggessit, ut Lutherus correctâ styli mordacitate, quod unum Erasmo reprehendendum tunc videbatur, sibi temperet à maledicentiâ. Quidquid verò consiliorum tum Maximiliano, tum Successori Carolo V. suggestum fuit ad Lutherum benignitate inflectendum, Lutherus jam in hanc, jam in aliam partem se vertendo delusit, constanter id agens, ut obstantia suis molitionibus impedimenta submoveret, & Principes, omniúmque Ordinum homines novi sui Evangelii dociles faceret. Oblatâ per Protestantes Confessione Augustanâ, auctísque periculis reducendæ unionis difficultas augebatur; sed Concilio generali convocato, in quo de dogmatibus, & de Ecclesiæ disciplinâ cum exterarum Gentium Episcopis diligentissimè consultabatur, non cessârunt viri docti consilia Cæsari & Principibus suggerere non eo tantùm sæculo, sed & subsecuto XVII. Id genus Scriptorum Ferdinando II. Cæsari oblatorum epitomen proferam, ut cum Februniano collata inanitatem novi consilii apertiùs ostendant.

XXIX. Quidam *Theophilus Sancta-Fidius fundamenta pacis in Sacro Romano Imperio, annuente Urbano VIII. & assentiente Ferdinando II. Cæsare jacta edidit*, & publicarum Germaniæ calamitatum remedia proposuit. In eo Opere ostendit ex Scripturis sanctis justitiam esse causam pacis: *Opus Justitiæ pax & securitas.* *Isa.* Ostendit Ecclesiam esse domum Dei, ad quam congregandæ sunt gentes de cunctis finibus terræ juxta prædictionem propheticam, Ministros Dei non semper esse bonos, non ideo tamen à domo Dei exeundum, neque pacem propter aliquorum iniquitatem justè turbari. Docet Protestantes in eo non tantùm injustè agere, quòd quædam vitia tum

E Papæ,

Papæ, tum Episcoporum causa i, à domo Dei secesserint. sed & in hoc, quòd se Judices Pontificis & Episcoporum constituendo, Dei judicium occupaverint, qui dixit: *Mea est ultio, & ego retribuam.* Ostendit Episcopos & Sacerdotes tamquam Dei Legatos audiendos esse, cùm dicat Apostolus: *Pro Christo legatione fungimur tamquam Deo exortante per nos.* Neque sinè vocatione aut missione quemquam sibi posse sumere honorem Sacerdotii: *Non mittebam*, inquit Jeremias, *Prophetas, & ipsi currebant; non loquebar, & ipsi prophetabant: nolite audire verba Prophetarum, qui decipiunt vos: vaticinantur mendacium, & prophetant seductiones cordis sui.* Talibus similes in Ecclesiâ extituros prædixit Apostolus: *Fuerunt Pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & multi sequentur eorum luxurias, quibus illi libertatem promittent, cùm ipsi servi sint corruptionis.* Addit tertiam Protestantium injuriam per sacrilegam occupationem & profanationem bonorum Deo consecratorum. Ostendit & in hoc Protestantes fuisse injustos, quòd perfidè à datâ per Confessionem Augustanam fide recesserint: *Falsò accusantur* (dicit Confessio Augustana) *Ecclesiæ nostræ, quòd Missam aboleant; retinetur enim Missa, & summâ reverentiâ celebratur apud nos, & usitatæ cæremoniæ ferè omnes;* at nunc Missam tamquam idololatriam horrendam execrantur. Docebat Melancthon Confessionis Augustanæ Author, *in Missa mutato pane ipsum fieri corpus Christi;* at nunc Protestantibus horrori est Transsubstantiatio. Per Confessionem Augustanam Protestantes declarârunt se pro Hæreticis habere eos, qui ab Ecclesiâ Romanâ dissentiunt, & Papam Antichristum appellari non posse. Declarârunt se Episcoporum jurisdictioni non intercessuros. In eo etiam Protestantes ostendit Catholicis injurios, quòd iis affingant ea, quæ ipsimet Catholici execrantur, ùt est adoratio imaginum, superstitio, contemtus sacræ Scripturæ, quòd Papæ divinam auctoritatem arrogent nullis legibus adstrictam, quòd meritis Christi infinitis doctrina Catholica deroget, & alia.

Deut. 32

Jerem. Cap. 23.

2. Pet. 2.

Non Protestantes tantùm hac contra Deum & contra Catholicos injustitiâ paci docet obsistere, sed & ipsosmet Catholicos, cùm inter eos multi vitiis intemperantiæ, cupiditatis dediti non Deo, sed ventri serviant; tum & in eo injustos dicit Principes & Superiores inprimis Ecclesiasticos, quòd negligentiâ & oscitantiâ suâ sinant vigere peccata, quæ ex officio per eos sunt corrigenda. Eam Ecclesiasticis propriam dicit erga Deum & homines injuriam, quòd, quæ officii sunt, facere negligant tum quoad doctrinam, tum quoad exemplum. Apostoli verbis ostenditur obligatio Episcopi & Presbyteri. His sublatis concludit in pristinam omnia mox unitatem reditura.

XXX. *Confutationem de causis & modis componendi in sacro Romano Imperio Religionis dissidii* eidem Ferdinando Cæsari & Principibus Electoribus Ratisbonæ congregatis obtulit doctissimus Caspar Scioppius Cæsareus & Regius

gius Consiliarius. Ostendit multitudini inprimis de concordiâ & pace cogitandum, præcipuè autem, ne sit de Religione dissensio; hoc nos Christi sententiâ monitos esse: *Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis. Omne regnum in se ipso divisum desolabitur*, dixit Christus. *Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, & absque Sacerdote Doctore, & absque lege: in tempore illo non erit pax, sed terrores undique in cunctis habitatoribus terræ; pugnabit enim gens contra gentem, & civitas contra civitatem, quia Dominus conturbabit eos in omni angustia.* Ægypti plagæ ex Religionum diversitate oriebantur: *Commovebuntur simulacra Ægypti à facie Domini, & cor Ægypti tabescet in medio ejus, consilium ejus præcipitabo, & concurrere faciam Ægyptios contra Ægyptios, & pugnabit frater adversùs fratrem, & civitas adversùs civitatem, & regnum adversùs regnum, & tradam Ægyptum in manu Dominorum crudelium, & Rex fortis dominabitur eorum.* Hæc, inquit Scioppius, contigerunt illis in figurâ nostri, & scripta sunt ad correptionem nostram. Si, inquit, opus Domini non faciendam negligenter, certè inprimis ad eos, penes quos potestas & imperium est, pertinet providere subditis de salubri remedio, ut concordia reducatur. Incusat in Comitiis Imperii anno 1566. curam ac provinciam pestifera diffidia abolendi intermissam, & longè alia tunc à plerisque acta, quàm quæ illum in scopum conducerent. Incusat Episcoporum & Prælatorum illius sæculi suos greges derelinquentium incuriam adductis Prophetarum terribilibus sententiis, quibus contra Pastores Israël divina ultio decernitur, & oraculis pacem ac pacis commoda promittentibus, si Rex & Sacerdotes, quæ sui sunt muneris, diligenter impleverint. Ostendit, quo tramite Rex David, etsi ætate admodum juvenis, felicitatem & gloriam sibi & regno comparàrit. Tum pergit Author ad modos, quibus diuturno funestóque de Religione dissidio finem credit facilè imponendum. Viam duplicem vult considerandam; 1. illam, quâ Heterodoxi ipsi se ab Ecclesiâ averterunt; alteram, quâ eos credit reducendos. Separationis ab Ecclesiâ & pertinaciæ primam causam ponit *mendacium, quod eorum Prophetæ & Doctores stylo suo operati sunt.* Aptè eam in rem utitur verbis Jeremiæ: *Numquid qui aversus est, non revertetur? Quare ergo aversus est populus in Jerusalem aversione contentiosâ*, id est pertinaci? Respondet: *Apprehenderunt mendacium; mendacium operatus est stylus mendax Scribarum.* Itaque aversiones eorum sanaturus, inquit, inprimis det operam, ut eorum reveletur mendacium, quod dissensionis est fundamentum: *Destruam*, inquit Propheta, *parietem, quem linistis limo inutili ... & revelabitur fundamentum ejus, & cadet, & consumetur.* Addit eò spectantia verba Apostoli: *Instabunt tempora periculosa, & erunt homines seductores, errantes, & in errorem mittentes. Sed ultra non proficient: insipientia enim eorum manifestata erit omnibus.* Tunc, inquit, appariturum, quòd *domum suam non supra* veritatis *petram, sed super arenam*

Math. 6. Luc. 11. 2. Paral. 15. Isa. 9. Ezech. 34 Zach. 11. 4. Reg. 12 2. Paral. 24. & 29 Baruc. 9. Jerem. 8 2. Tim. 3. Prov. 10

Math. 7. Luc. 6. *nam sinè fundamento ædificârint, factâ inundatione & flantibus ventis casuram.* Porro duplex ostendit mendaciorum genus, quòd alia de se ipsis, alia de Catholicis improbè mentiantur. De se ipsis quidem, quòd in Confessione Augustanâ, & Apologiâ prædicare non dubitent, se in scholis & templis ante annum 1530. de libero arbitrio, de causâ peccati, de fide & operibus, de Invocatione Sanctorum, de Missâ & Confessione auriculari idem docuisse, quod in Confessione continetur. Dicit inspectis eorum libris ante annum illum editis patescere falsitatem non doctis tantùm, sed & indoctissimis. De Catholicis autem eos falsa dicere ostendit in hoc, quòd imputent nobis, quòd meritum Passionis Christi deprimamus, neque ad consequendam vitam æternam alia via demonstretur à nobis, quàm per satisfactiones nostras & opera ex naturalibus arbitrii viribus facta ante gratiam. Dicit operosum non fore productis omnibus Catholicorum Theologorum libris, omnibus Concionatorum nostrorum postillis ante Lutherum editis monstrare illius paradoxi falsitatem: monstrari etiam eandem posse inspectis libris Lutheri & Melancthonis, cùm Lutherus disertè fateatur, in Papatu veram esse Scripturam sacram, verum Baptismum, verum Sacramentum Altaris, veras claves ad remittenda peccata, verum prædicandi officium, verum catechismum, immò veram in Papatu esse Christianitatem, multósque magnos sanctos: hæc dicit falsum esse biennio ante Confessionem; triennio post Confessionem idem ab eodem esse repetitum, & quidem quòd Deus admirabili suâ potentiâ fecerit prædictâ in Papatu permanere, singulísque denuo recitatis addidisse: *Ubi ergò ejusmodi capita remanserunt, ibi certissimè etiam Ecclesia & aliquot Sancti manserunt.*

Luth.lib. ad duos Paroch. an. 1528. edito.

Melancthonem ostendit in Apologiâ Confessionis definire peccatum, quòd sit *carentia justitiæ*; & postquam dixit per peccatum detrahi obedientiam, notitiam, timorem & amorem Dei, fiduciam erga Deum, aut certè vim ista efficiendi, subjunxisse: *Nam & ipsi Theologi in Scholis tradunt, ista non effici sinè certis donis & auxilio Dei.* Pergit Author: Sciens ergo, ac volens mentitur, cùm sæpiùs in Confessione & Apologiâ insimulet aliud Scholasticos docere. Imò ostendit eundem in Confessione Augustanâ ita professum esse: *Hæc ferè summa est doctrinæ apud nos, in quâ cerni potest nihil esse, quod discrepet à Scripturis, vel ab Ecclesiâ Catholicâ, vel ab Ecclesiâ Romanâ, quatenus nobis ex Scriptoribus* (Theologis Scholasticis) *nota est. Tota dissensio est de paucis quibusdam abusibus, qui sinè certa auctoritate in Ecclesias irrepserunt.* His positis, inquit, illud Evangelicum intorqueri posse: *Ex verbis tuis condemnaberis.* Et: *Condemnabit te os tuum, & non ego, & labia tua respondebunt tibi.* Infert Author, hinc sequi 1 falsi suspectum esse necessariò, quidquid ab eis contra Catholicos affirmatur; innocentiæ opinionem Catholicis accessuram ex hoc, quòd mendaciis & calumniis impugnentur, & Adversarios his utcunque intellectis magìs fore compositos ad audiendum,

Melanch. post Art. 21.

Math. 10 Job. 15.

quid

quid sentiant, doceant Romano-Catholici. Pergit eos perstringere, quòd contra regulam Apostoli: *Obedite Præpositis vestris & subjacete eis, ipsi enim pervigilant tamquam rationem reddituri pro animabus vestris*; & contra Verbum Christi: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*: non Papam tantùm, sed & Episcopos, *positos à Spiritu S. regere Ecclesiam Dei*, ut *pascant* populum *scientiâ & doctrinâ*, recusaverint & recusent audire; quanquam jusserit Dominus semper esse audiendos in lege novâ: *Cùm venerit Sion Redemtor meus, hoc est fœdus meum cum eis: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo & usque in sempiternum.* Ostendit, quòd Papa & Episcopi ipsis relinquant Christum, doceántque omnem spem salutis in morte Christi esse collocandam, provocátque ad Libros pastorales, seu Agendas Catholicorum, quibus præscribitur, quomodo Pastores infirmis assistere debeant. Hæc de viâ aversionis; tum ad viam reversionis transit Author per verba Prophetæ: *Præparate viam populo, planum facite iter. Aufferte offendicula de viâ populi mei, ut sit reversio ad antiquitatem suam*, seu pristinam communionem. Primum offendiculum dicit vitiositatem Sacerdotum per verba Malachiæ: *Ad vos ô Sacerdotes, dicit Dominus, qui despicitis nomen meum: vos recessistis de viâ, & scandalizâstis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Levi, & non servâstis vias meas, propter quod & ego dedi vos contemtibiles & humiles omnibus populis; mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris.* Ostendit Sacerdotes filios Levi avaritiâ & libidinibus homines detraxisse à Sacrificio Domini, id est, fecisse, ut odio eorum Sacerdotum permoti nollent accedere ad victimas apud Tabernaculum Dei offerendas, quanquam & vocaret Religio, & cupidissimè exspectarent Sacerdotes. Sacerdotes vitiosos dicit alios esse per avaritiam idololatras, qui putant *aurum robur suum, & obrizo dixerunt: Fiducia mea, quæ est iniquitas maxima & negatio contra Deum altissimum.* Avaritiam Apostolus bis vocat *Idolorum servitutem.* Aliis Sacerdotibus vitiosis dicit honorem esse Deum, dum dignitatem suam animarum saluti præferunt; affert verba S. Bernardi: *Vides omnem Ecclesiasticum Zelum fervere pro solâ dignitate tuendâ. Honori totum datur, Sanctitati nihil aut parum. Si modestia suadetur, absit, inquiunt, non decet, tempori non congruit, majestati non convenit; quam personam geras, attendito. De placito Dei ultima mentio est. Quod sublime est, hoc salutare dicitur; quod gloriam redolet, id justum: Certa est damnatio eorum*, inquit Bernardus. Aliorum Deus venter est, qui cùm vocati sint à Deo ad peccata sua & populi expianda lacrymis, jejuniis, precibus ac sacrificiis, tanquam inimici *Crucis Christi, & terrena sapientes abdomini serviunt.* Applicat verba Isaiæ: *Vocavit Dominus Deus exercituum ad fletum & ad planctum... & ecce gaudium & lætitia occidere vitulos... comedere carnes & bibere*

Hebr. 13. Luc. 10. Jerem. 3. Isa. 59. Isaiæ 62. & 57. Ezech. 16 Malac. 1. & 2. Job. 31. Coloss. 3. & Eph. 5 Philip. 3. Isa. 22.

bere vinum ... Non dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini. Væ
Amos. 6 *vobis Optimates, capita populorum, qui separati estis in diem malum .... bibentes vinum in phialis, & nihil patimini super contritionem Joseph*, id est, calamitatibus populorum, quibus præestis, non commovemini. *Juravit Dominus Deus in animâ suâ, quia ecce ego suscitabo super vos gentem, quæ conteret vos. Percutiet Dominus domum majorem ruinis, & domum minorem scissionibus*, Id est, dissidiis. Aliorum Sacerdotum Deum dicit esse car-
1 Reg. 2. nem & sanguinem, qui velut Heli *magis honorant filios suos* (nepotes &
Job. 21. propinquos) *quàm Deum. Semen eorum permanet coram eis*, propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum, qui *dixerunt Deo: recede à nobis, &*
Math. 10 *scientiam viarum tuarum nolumus.* Aliter Christus, dum dixit: *Non veni pacem mittere, sed gladium*, quo separet se homo adversùs patrem suum &
Luc. 14. matrem. *Siquis venit ad me & non odit patrem suum & matrem & uxorem & filios & fratres, non est me dignus, nec potest meus esse discipulus.* Hoc gladio, inquit Author, qui contra sanguinem suum non utitur, nec se ab
Jer. 48. eo separat, maledictionis gladium sentiet ultorem: *Maledictus*, inquit Propheta, *qui facit opus Domini fraudulenter, & probibet gladium suum à san-*
Exod. 32 *guine. Iratus Moyses propter vitulum à populo adoratum dixit Levitis: ponat vir gladium super femur suum, & occidat unusqisque fratrem suum: feceruntque juxta sermonem ejus.... Et ait: Consecrâstis manus vestras Domi-*
Deut. 33 *no ... ut detur vobis benedictio. Qui dixit patri suo & matri suæ: nescio vos, & fratribus suis: ignoro illos, & nescierunt filios suos: hi custodierunt elo-*
Gal. 1. *quium tuum, & pactum tuum servaverunt. Benedic Domine fortitudini ejus, & opera manuum illius suscipe.* Paulus ait: *Cùm vocavit me Deus, ut evangelizarem in gentibus, continuò non acquievi carni & sanguini, sed abii in Arabiam.* Judas jussus relinquere uxorem ac filios fraudatis Christi loculis ea, quæ pauperibus impendenda erant, suorum usibus applicuit, ut ex
Psal. 108 Psalmistâ discimus. Qui itaque vult aufferre offendicula populi, & planum facere iter iis, quos ad Ecclesiæ communionem recipere desiderat, de Cleri emendatione cogitet. Sed hoc est opus gratiæ Dei. *Abluet Dominus sor-*
Isa. 4. *des filiarum Sion* (Ecclesiarum particularium) *& sanguinem Jerusalem* (totius Ecclesiæ) *lavabit de medio ejus per Spiritum judicii & Spiritum ardoris. Audite hoc Principes domûs Jacob, & judices domûs Israël, qui abominamini judicium, & omnia recta pervertitis, qui ædificatis Sion in sanguinibus,*
Mich. 3. *& Jerusalem in iniquitate. Fratres tui & domus patris tui etiam ipsi pugnave-*
Jer. 12. *runt adversùm te: ne crede eis, etiam cùm locuti tibi fuerint bona.* Dicit Episcopis attendenda esse sancta Conciliorum de moribus decreta, per eos autem Clericorum, quibus præsunt, vitia esse emendanda. Accommodâ interpreta-
Zach. 12. tione verborum Prophetæ: *Ponam Duces Juda sicut caminum ignis in lignis, & sicut fascem ignis in fœno, & devorabunt omnes populos ad dexteram & ad sinistram in circuitu, & habitabitur Jerusalem rursus loco suo in Jerusa-*

rusalem. Salvabit Dominus Tabernacula sua, sicut in principio: ostendit Episcopos, si igne zeli succendantur, vitiis Cleri emendatis, viam errantibus aperturos, quà revertantur. Ferdinandum Cæsarem rogat, ut Sacerdotes Imperii Germanici Spiritu judicii & ardoris fervere faciat, & aufferre *frænum erroris, quod est in maxillis populorum;* promittitque, *pacem in virtute* Ecclesiæ, & *abundantiam in turribus ejus tunc,* si Mater Hierosolyma (Roma) doceat filias Sion (Provincias Germaniæ, aliarúmque gentium) præcepta vitæ & disciplinæ per Tridentinos Canones explicata. Verbis S. Bernardi incessit vanitatem eorum, quibus animas docendi, pascendi ministerium est impositum. Quod faciunt Hæretici per prava dogmata; hoc faciunt, ait S. Doctor, plures Catholici per mala exempla. Olim prædictum est: *Erit in pace amaritudo mea amarissima; amara erat in nece Martyrum, amarior in conflictu Hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum intestina hæc & insanabilis est plaga Ecclesiæ, pax est à paganis, pax ab Hæreticis, sed non est pax à falsis filiis. Ipsa Ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum & negotium tenebrarum transiêre, nec in his salus animarum, sed luxus quæritur divitiarum. Cùm Laici tantum fastum videant in supellectile Clericorum, nonne per eos invitantur potiùs ad mundum diligendum, quàm contemnendum? Medice cura te ipsum. Si prædicas mundum contemnendum, contemne tu priùs: da voci tuæ vocem virtutis, & erit sermo Dei in ore tuo, penetrabilior omni gladio ancipiti.* Correctis Antistitum & Sacerdotum moribus dicit credibiliorem fore Protestantibus Catholicorum doctrinam, dum *non persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, sed *ostensione Spiritûs & virtutis* testimonia Apostolorum & præconum, qui Germaniam converterunt, Materni, Bonifacii, Willibrordi, Suiberti, aliorúmque *credibilia facta sunt nimis.* Ostendit verbis S. Gregorii Papæ malos Sacerdotes causam esse ruinæ & calamitatum populi: Vulnerato pastore, quis curandis ovibus adhibeat medicinam? quomodo populum orationis clypeo tueatur, qui jaculis hostilibus feriendum se præbet? Major est ergo illis locis metuenda calamitas, ubi Tabernaculi intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui magis iram Dei in se provocant. Optat ad pacem obtinendam, ut, qui præsunt in Ecclesiâ Dei, *induantur justitiâ* erga Deum, & homines de Ecclesiâ ac Republicâ meritos, eósque, quibus est merendi voluntas & facultas; non poterit non, inquit, tunc status Ecclesiæ esse pacatissimus juxta prædictionem propheticam. *Ecce in justitiâ regnabit Rex* (quem Spiritus S. posuit regere Ecclesiam) & *Principes* (Episcopi) *in judicio præerunt, & erit opus Justitiæ pax ... & sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Appositè id demonstrat in exemplo S. Petri, dum ex pecuniis Ecclesiæ donatis *dividebat singulis, prout cuique opus erat, ut non esset quisquam egens inter illos. Gratia magna Petro & Apostolis apud plebem conciliabatur, & multitudinis credentium erat cor unum*

S. Bern. Serm. ad Pastores in synodo

S. Greg. Lib. 7. epist. 114 ad Reg. Franc.

Isa. 32.

Act. 4.

Act. 6.

&

Act. 6. & *anima una.* At verò dum Apostolis in Sacramentorum administratione occupatis, per alios aut pecuniarum, aut functionum ministerii distributio justa non fiebat, *factum est murmur Graecorum adversùs Hebraeos*, seu inter Christianos in Graeciâ & Judaeâ oriundos, quòd per assumptos *septem* ex Graecis *Diaconos boni testimonii*, providè sopitum fuit. Haec aliáque ad communem Patriae utilitatem censet Scioppius per Concilium Nationale Germanicum Imperatori & Principibus pleniùs indicanda; laudem humanâ existimatione majorem ei tribuendam, si reliquis ingentibus erga Deum, Ecclesiam, Patriámque meritis hic velut cumulus accesserit, ut eo annitente Sacerdotes totius Nationis congregentur, &, quod Sedes Apostolica maximè in votis habet, Tridentinorum Canonum observatio per Concilium promoveatur.

XXXI. Eundem in scopum tendere conatus est Author *Methodi certae pacem Religionis & verae Fidei unitatem consequendi*, Summis Europae atque Imperii Principibus ac Rebuspublicis oblatae, an 1651. impressae, qui nomine Joannis Semani Germani latere voluit, ne, ùt inquit, quorumdam praejudicio in ipso limine damnaretur. Primò occurrit eorum errori, qui in *Socrat. Hist. Eccles. Lib. 4. Cap. 27.* suâ quemque fide salvari posse existimant, in quem errorem Themistius sophista valentem Imperatorem inducere tentavit, jactando, quòd Deus hac varietate delectetur ob exercitationem ingeniorum de abstrusis ac reconditis Fidei quaestionibus. Appelles Marcionis discipulus Themistio praeluserat, *Euseb. Lib. 5. C. 13.* qui teste Eusebio docuit, cuique in eâ Fide perstandum, quam professus fuit, sperantes in Christum salvos fore per bona opera qualibet in fide. Dicit Author hoc virus Religionis ex Machiavelli scholâ politicâ propinatum nonnullorum in Aulâ, Principúmque contuberniis versantium animos jam suo tempore occupâsse, eas de fide opiniones esse sustinendas, quae magis faveant Regno aut Reipublicae. *Philast. Lib. de Haeres. Haeres. 72.* Dicit quemdam Rhetorium teste Philastrio, ùt refert S. Augustinus, affirmâsse, quòd omnes Haeretici rectè ambulent, & vera dicant, quod ita, inquit S. Augustinus, absurdum est, ut incredibile videatur. Si nullam, inquit Semanus, aspernantur, certè nec orthodoxam poterunt: igitur haec cùm sit juxta plurimos prudentes necessaria, securiùs erit caeteris anteferenda. Erit ergo, inquit, ut felicitas sperata in provinciis Germanici Imperii obtineatur, inquirendum, quae sola sit inter multas orthodoxa, cùm duae aut plures pugnantibus innixae principiis conjunctim orthodoxae esse non possint. Eas autem hoc pacto conciliare, ut mediâ quâdam viâ coëant, ostendit esse conatum inutilem, idque non tantùm plurimorum in Germaniâ Conventuum, Comitiorum, tractatuum experientiâ comprobari, quorum exitus semper fuit initiis deterior, sed & sanae rationis lumine, cùm non Catholici tantùm, sed & Heterodoxorum Antesignani Lutherus & Calvinus profiteantur & mansisse usque ad nos Ecclesiam orthodoxam, & eandem erroribus obnoxiam esse non posse. *Luth. Tom. VI. edit. Witenb. pag. 486.* Lutherus inquit: Impossibile est, ut Ecclesia vel in uno erret articulo, quia à Spiritu S. guberna-

bernatur, & Christus illi usque ad consummationem sæculi adest, & ipsa est columna & firmamentum verita is. Calvinus ait: Si vera Ecclesia columna est ac firmamentum veritatis, certum est, non esse Ecclesiam, ubi regnum occupavit mendacium ac falsitas. Talem autem, si in terris est, utcunque lateat, ait posse reperiri; ubi autem reperta fuerit, securè ad eam omnibus transeundum esse, & in eâ quiescendum. Ostendit è solo verbo Dei Scripto eam investigari non posse, cùm, ùt S. Augustinus loquitur, quædam dogmata perversitatis illaqueantia animos, nata sint per hoc, quòd Scripturæ bonæ intelligantur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, temerè & audacter asseratur. Ut itaque sit pax inter Religiones, vult necessariam esse orthodoxam sanctarum Scripturarum expositionem, ne quis, dum sibi videtur sectari Scripturam, suos potiùs sectetur errores, si quidem in Interpretibus desideratur sapientia & doctrina, inter singularum partium Doctores contentionem fore, quinam cæteris prævaleant. His positis, hoc Semani ratiocinium est: Sacra Scriptura docet Ecclesiam esse audiendam, ab hac docemur Doctores à nobis esse audiendos. Cùm verò Pastores & Doctores, qui nunc sunt, oppositarum partium vicissim se erroris non unius condemnent; diversarum partium Christianis, ut amico fœdere socientur, Patres primorum temporum & Doctores, qui tunc erant, cùm necdum hæc, quæ nunc controversa sunt, disputarentur, audiendos esse: cùm depravatio, quam posterioribus sæculis invaluisse quidam contendunt, ea fortunata tempora non comprehendat. Lutheri verba recitat, quibus asserit purè & sinè omni superstitione Hilarium, Cyrillum, Athanasium, Ambrosium, Augustinum, & plures alios Evangelium & fidem in Christum docuisse; etiam Calvini, qui fatetur, quingentis primis circiter annis floruisse Religionem, & sinceriorem doctrinam viguisse, & Irenæi, Tertulliani, Originis, Augustini ætate nihil adhuc in doctrinâ fuisse mutatum. Hos Patres nobis Magistros, & duces optimos esse; & vetustatis consensum plurimùm valere affirmat Melanchthon. Si illi Patres de quæstionibus nunc controversis præoccupaverunt responsa, justum erit intellectùs se sacræ Scripturæ veritati captivantis obsequium. Hoc monuit Syracides, dum ait: *Non te prætereat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt à Patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum.* Monet Propheta: *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in eâ, & invenietis requiem animabus vestris.* Hæc erat Nicænorum Patrum communis vox: *Sanctorum Patrum doctrinæ insistentes definimus.* Hæc Patrum sextæ Synodi: *si ad Scripturas pertinens controversia aliqua excitata fuerit, non eam aliter interpretentur Episcopi, quàm quomodo Ecclesiæ luminaria & Doctores suis Scriptis exposuerunt.* Ostendit falli eos, qui ob quædam aliquorum Patrum, veterúmque Doctorum errata contendunt ab eis exspectandam non esse indubitatam explicationem eorum articulorum, de quibus nunc est inter dissentientes opi-

Calv. Lib. 4. Insti. c. 2.

Ad Eph. 4 Luc. 10.

 nionum

nionum diversitas. Ea, inquit, errata vel fidei substantiam non attingebant, vel ea spectabant, quæ tunc necdum satis, ùt ait S. Augustinus, eliquata erant, vel iis pertinaciter non adhærebant, vel singulares quorumdam opiniones à meliore parte Doctorum respuebantur. At verò de his, quæ novissimorum temporum Heterodoxi novârunt, à primorum Sæculorum Doctoribus diligenter & summo consensu tractata sunt. Publicum fideles docendi officium Episcopale auctoritatem dabat; sanctitas morum obstabat, ne fallerent. Si itaque præcipui in Romanæ Reipublicæ muneribus publicis constituti Scriptores sint idonei testes ad probandum, quæ tunc fuerit Reipublicæ forma, qui ejus hostes, qui amici, quis Deorum cultus; certè securissimè discamus, quæ fuerit primorum quinque Sæculorum Fides, quæ disciplina, ex Episcopis eorum temporum & Doctoribus, præcipuè quos morum sanctitas posteritati commendat; cùm Duces adversarum partium pura dogmata tunc nondum corrupta fuisse fateantur. Ostendit, quà viâ ad certitudinem nos ducat Ss. Patrum consensus, & quàm justè postuletur, ut æquissimas oblatæ pacis conditiones admittant Heterodoxi, ac nobiscum in unitate Fidei omnes Imperii Germanici nationes congregentur.

Hæc erant illa pacis consilia, quæ frustra obstantibus Pontificis, Episcoporum, & Catholicorum Principum conatibus in alterum sæculum productâ separatione Protestantium proposuerunt eruditi.

XXXII. Propior primis turbarum initiis Lindanus, ipso etiam judice Febronio dignus Apostolico ævo Episcopus, tantùm abest ab imputationibus Febronianis, gravissimum unionis impedimentum Vaticano adscribentibus, ut catholicè dicat cum antiquis purissimorum temporum Doctoribus ibi, ubi centrum est unitatis, quærenda esse Germanis remedia. Ut ùt Protestantes variant, inquit, utut sibi ipsi pugnantia scribant, doceant, faciant, una est Evangelii veritas, una ejus vox, una doctrinæ confessio: hanc vocem adeò non respuit Romanus Pontifex, ut, si positis nonnihil animis hostilibus, partiùmque studiis moderatè atque placidè res expendatur, candidéque censeatur, *facilè liqueat per eum non stare, quominus optatissima omnibus coëat Ecclesiarum dirissimo planéque interneciuo vulnere divulsorum pax atque concordia...* Verùm nunc accidit, quod olim, ut, cùm Sathan Rom. Pontificem, quem singulari semper (uti & Petrum præ aliis expetivit cribrare) odio persequitur, neque tyrannorum gladiis, neque hostium incursibus, neque Sophistarum Syllogismis potest superare, prodigiosis obruere satagat mendaciis, quibus distineat Protestantes *ab ejus concordiâ, quem omnis semper Catholica Ecclesia verum Christi venerata est Vicarium.* Hunc dicit nihil pro Fidei doctrinâ suscipere, quod non sit expresso verbo Dei & orthodoxorum S. S. Patrum consensui consentaneum. Hunc dicit *Judicem in Christi Ecclesiâ divinis oraculis designatum, Conciliorum omnium decretis agnitum, liquidis orthodoxorum Patrum testimoniis confirmatum, indubitatâ judicandi pos-*

sessio-

ſeſſione, & eâ antiquiſſimâ præditum. *Eò non admiſſo fruſtra* dicit *alibi judicem quæri, cujus arbitrio ſupremo res fidei tota ſtet aut cadat.* Oſtendit convocationem Concilii Generalis ad Pontificem pertinere; eos reprobat, qui Synodum Tridentinam ideo ſpernendam jactabant, quòd Pontifex Romanus eam convocârit, & poſtquam fuit interrupta, continuari juſſerit, & qui negant ei ullo jure ſuperioritatem in Eccleſias Germaniæ earúmque Miniſtros competere. Laudat S. Cypriani ſententiam, qui dixit: *Eccleſiam Chriſti non habet, qui Petri Sedem non habet*; qui dixit, quòd *aliunde non exiſtant ſchiſmata, quàm quòd unus non cogitetur vice Dei Epiſcopus*: & qui Eccleſiam Dei definiit, quòd ſit Grex Chriſti cum ſuo Paſtore. Laudat hoc S. Ambroſii dictum: *Petri hæreditatem non habent, qui Sedem Petri non habent, quam impiâ diviſione diſcerpunt.* Deplorat Lindanus Concilio Tridentino, Patrúmque ducentorum ſuffragiis finito aut nihil aut parùm admodum ad pacem publicam, totiúſque Germaniæ concordiam profectum eſſe; quid, inquit, factum operæ pretium? Certè parùm admodum. Etſi verò nondum videmus divulſas Germaniæ Eccleſias hâc divinitus oſtensâ orbi concordiâ coaluiſſe, non tamen idcirco res quaſi deſperata de manibus eſt deponenda. Hortatur Cæſarem, ut convocari faciat Concilium Regionale, ſeu totius noſtræ Nationis, & ad veterum Patrum normam de veritate dogmatum inquiri ſecundùm antiquas Imperii leges, & Magni Theodoſii exemplum. Si quidem velint in eo comparentes Ordines Proteſtantes ſuis Decretis comitialibus inſiſtere, & controverſos 24. articulos ſigillatim cum ſententiis Patrum comparare, citò appariturum, quid recens ſit, ac nuper inventum. Epiſcopali cum libertate oſtendit Cæſari, non ad ejus dignitatem, ſed ad Epiſcopos, & Epiſcoporum Patrem pertinere Judicium de rebus Fidei. Conſtantini Magni, Valentiniani, etiam Marciani Augg. ſententiis probat pios & Eccleſiæ ſtudioſiſſimos Imperatores eam ſibi poteſtatem arrogare non præſumpſiſſe, ſed conſecratis Deo Miniſtris totam reliquiſſe.

Ecce Febroni, quæ ſit ſapientum Catholicorum de reducendâ Germanis concordiâ & pace opinio, nempe eorum, qui non præoccupati affectibus, ſed ex puris Eccleſiæ fontibus ad ſanandam concordiam profutura remedia quæſierunt.

XXXIII. Utiliter ſed preſſiùs ad Fidei quæſtiones idem argumentum ſub finem ſæculi prioris tractavit Joannes Dez S. J. in Tractatu Gallico de reductione Proteſtantium Argentinenſium ad Eccleſiam Romanam, Confeſſionis Auguſtanæ 24. articulis cum doctrinâ Catholicâ doctè comparatis. Et ſub initium hujus ſæculi eodem idiomate ſcriptus liber paſtoralis Archiepiſcopi Burgenſis, quo inſtructiones & media convincendi Proteſtantes ad reunionem eruditè proponuntur. Quantùm hi omnes à Febroniano tramite remoti ſint, facilè prudens Lector intelliget.

XXXIV. Inter pacem politicam, quâ nostræ Societatis civilis in Germaniâ commodis providetur, & quæ per fœdera tractatúsque summorum Principum in Germaniâ est constituta, & pacem, quæ perfectam de fide animorum consensionem & sacrorum communionem postulat, omnino faciendum esse discrimen, agnoscit, quisquis Ecclesiam simul & patriam amat. Quantum in nobis est, pacem habere cum omnibus hominibus, orare etiam pro Regibus, & pro omnibus, qui in sublimitate sunt; dare omnibus debita, cui honorem, honorem, cui tributum, tributum jubemur sacris oraculis, quanquam Fidei & Religionis vinculo non uniamur; ea, quæ vitam socialem tantùm attinent, satis per leges patrias ad conservandam communem tranquillitatem populorum discimus; unio illa vitæ civilis per Febronii consilia non perficitur, imò illius rumpendæ periculum ex iisdem subnascitur: ad alteram verò pacem, per quam unus in Imperio fiat cœtus credentium, grex unus sub Pastore uno, non tantùm Febroniana consilia nihil conferunt, sed &, quantum in ipsis est, eam penitùs convellunt atque perfundant.

§. VIII.

In quo consectaria Systematis Febroniani expenduntur.

1. *Febronius remedium malè quærit in Italiâ contra morbum Germanorum.*
2. *Vult, ut convocetur à Principibus Concilium nationale à Papâ irreformabile.*
3. *Si Papa se hujus Synodi decretis opponat, vult, ut constituatur ad tempus Caput nationale, cui obediatur contra Pontificem.*
4. *Vult ad tempus subtrahendam esse obedientiam Rom. Pontifici, ut cogatur se Nationi conformare.*
5. *Febronianum judicium de Pseudosynodo Ultrajectinâ.*
6. *Ultrajectinorum crisis de publicatione Brevis Apostolici facta per Archiepiscopum Colon.*
7. *Febronii cum Ultrajectinis harmonia de Rom. Pontifice.*
8. *Ultrajectinorum crisis de judicio Academico Coloniæ impresso.*
9. *Judicii Academici defensio, quòd Papa justè reprobaverit Acta Synodi Ultraj.*
10. *Quid requiratur ad Catholicæ Fidei professionem.*
11. *Quomodo Ultrajectini se negent Jansenistas.*
12. *Quo sensu judicium Academicum fecerit mentionem de Molinismo.*
13. *Ostenditur Molinæ doctrinam non esse à summis Pontificibus damnatam.*
14. *Malè imputatur Universitati Colon. quòd à Patribus Societatis dirigatur.*
15. *Calumniantur Anticonstitutionistæ eorundem Patrum suggestionibus fieri Ecclesiæ Romanæ decreta.*
16. *Anteriores Anticonstitutionistas sequuntur in hoc Ultrajectini.*

17.

17. *Dogma Scholasticum de gratiâ per se & ab intrinseco efficaci verbis, non significatione commune est Anticonstitutionistis.*
18. *Consectaria Febroniani Systematis.*

I. Dum ad morbos Nationis nostræ curandos, & incolumitatem per intestina Religionis dissidia turbatam nationi aut Ecclesiæ Germanicæ restituendam Febronius noluit remedium post Lindanum & Scioppium Germanis ostendere, quod apud nos majori compendio parari poterat, totus in eo est, ut persuadeat, illud in solâ Italiâ esse quærendum. Emendatis Romanis, Primatu Pontificio correcto, carcinomate monarchici despotismi Papalis amputato, sanam promittit fore Germaniam.

II. Ne pigræ sint manus ad medicam operationem, & cunctando ad funesta incommoda sæculis aliquot aucta ulterius accedat incrementum, hortatur, ut supremorum Principum authoritate convocetur Concilium Nationale, & in eo fiant Constitutiones aptæ ad impediendum, ne Roma ejus Decretis contravenire, aut ea intervertere valeat.

III. Ominatur monarchici spiritûs aut invidiæ impulsu Pontificem & Curiam Romanam eò abreptum iri, ut se Synodi Decretis, quanquam justis, opponat, & huic oppositioni pertinaciter insistendo, communionem abrumpat, ruptâque communione fiat author schismatis, tunc *ad tempus constituendum esse caput nationale* interimisticâ, non pactitiâ subtractione obedientiæ. Hac methodo facilè impetrandam autumat Papalis pertinaciæ correctionem, ut ad media compositionis proponenda festinet, dum subtrahentis Imperii, aut Nationis authoritas efficiet, ut plurimùm intersit Papæ, tolli obedientiæ temporariam subtractionem; quòd autem Ecclesiæ, ùt dicit, ejus Appendix II. Ultrajectinæ sibi uniendæ studium Papa non ostendat, id minimè putat tunc facturum, si par foret Ultrajectinæ Ecclesiæ potestas, quæ est Germanicæ, Hispanicæ, Gallicæ, sed ad media compositionis Ultrajectinis proponenda paratissimum fore Pontificem.

IV. Causas, ne leviter ad illam subtractionem temporaneam Natio procedat, vult esse justas; cujus autem judicio? Non utique Papali, sed solius Nationis, aut Capitis nationalis. Si interrogetur Febronius, quodnam inerrantiæ & irreformabilitatis in pensitandâ & decernendâ causarum illarum justitiâ statuendum existimet principium, propter quod Papa aut imprudenter contravenire judicetur, aut ilico, acquiescere debeat, & ad media compositionis proponenda, seu veriùs ad illas, quæ Caput nationis, aut Synodus tota dictaverit, acceptanda pronum exhibere teneatur obsequium, utique ad lumen sanæ rationis ipsis, ad quos summa rerum in Germaniâ pertinet, quid turpe, quid utile, quid non, inspirantis erit confidentissimè provocandum. Velit nolit, debebit Pontifex leges nationalis Synodi reverenter amplecti, nisi malit jacturam facere perpetuam suæ authoritatis & commodo-

F 3 rum

rum in Germaniâ. At verò tunc nationem judicat fore innocentem, reum verò Pontificem tanquam schismatis perpetui authorem. Cogitemus omnia talis Synodi membra Febronio simillima, omnes in illo consessu ad succidendam nimietatem Pontificii Primatûs æquè, ac ipse est, esse paratos. Conclamabitur justitiam causarum eò moventium esse evidentissimè certam, eâ utique evidentiâ, quâ Isaacus Casaubonus, quòd primi sic dicti Reformationis duces divinitus fuerint excitati ex rerum eventu, luce meridianâ clariùs constare, & negari à nemine posse colligebat, quanquam multa millia Germanorum negaverint & negare non desinant. Papam Synodus ad Febronii mentem collecta, vicissim Papa Synodum damnabit. sufficiet nato novo schismate Papam incusare, quòd ejusdem primus sic auctor. Si quas turbulentorum assertiones Papa proscribet, sufficiet, salvâ post Papale judicium opinandi libertate, judicio universalis Ecclesiæ easdem subjici, suspendi interim, donec Ecclesia tota definierit, sententias privatorum. Pontifici imputanda erit obstinatio, nisi media compositionis iis proponat, qui ejus Decreto dissentiunt.

V. De Pseudosynodo Ultrajectinorum schismaticorum ita sentire Febronium ostendit ejus Appendix II. iis obstinationem, quòd retractare nolint certas aliquas doctrinas, vitio non vertit; cùm *eas judicio Ecclesiæ universalis, non exclusâ Sede Romanâ, subjecerint. Obstinationem* autem *Romanæ Curiæ adnitentis Batavica Capitula cum suis capitibus supprimere & Catholicos unitarum Provinciarum ex Congregatione de propagandâ per Missiones, & Vicariatum Apostolicum regere; à paucis probari* pronuntiat, & minùs excusabilem decernit, simul autem dicit se libenter suum *judiciolum* suspendere, & aliorum exspectare, *an Papa & Curia, an illa multitudo contra Papam & Curiam* hâc in re sentientium seu *longiùs*, ùt ipse loquitur, *prospicientium fallatur, & fallat.*

VI. Illi, quos Ultrajectini suspicantur Archiepiscopo Coloniensi dedisse consilium publicandi Breve Apostolicum, Archiepiscopalem ejus authoritatem iis videntur multùm depressisse, dum eum faciunt merum Apostolici Decreti executorem. Si, inquiunt, * millia sic concepta publicationis Decreta prodirent, millies nova Echo sine ratione, sine judicio Episcopali repeteret, quod Roma dictavit: nempe ùt Echo est Ausonio

Mater inanis:

Indicii, vocem quæ sine mente gerit.

Huic Ultrajectinorum crisi illa Parisiensium Academicorum à Constitutione *Unigenitus* anno 1718. appellantium crisis erat simillima, quâ Cæsaraugustanæ Urbis Archiepiscopum perstringebant, quod de omnibus Hispaniæ Episcopis, omnibus Ecclesiis, omnibus Academiis, omnibus cujuscunque conditionis hominibus fidem fecerit Constitutionem *Unigenitus* purè & simpliciter acceptatam esse tanquam scriptam digito Dei vivi & oraculum Spiritûs S. ne-

* *Novell. Eccle- siast. du 7. Aout 1766.*

neque aliâ mente Pontificiam hanc definitionem introspiciendam & examinandam esse, quàm ut fideles certiùs & tutiùs edoceantur corrigere, si quid contrà senserint, & cavere, ne quid contrà sentiant inposterum.

XII. Malè habet Anticonstitutionistas, quòd in Romano Pontifice concentretur, quidquid est potestatis spiritualis, & Papa quasi unicus Christi in terris Vicarius constituatur, qualem Quesnellus, & sequaces Ultrajectini libenter eum confessi sunt, antequam ad illum Clemens XI., ad hos Clemens XIII. *in virgâ venirent*. Quisquis Febronianum systema inspexerit, facilè intelliget ejus cum Ultrajectinis de Papatu harmoniam. Tunc Episcopum censet planè episcopaliter agere, dum se Papalibus Decretis opponit tanquam judicem: si verò illa reverenter suscipiat & publicari faciat sinè novo examine, tantùm Echo esse sinè judicio rationis, solâ quasi vocis repercussione id resonantem aut repetentem, quòd è Vaticano colle insonuit.

VIII. Eâdem animorum acrimoniâ *Judicium Academicum* Coloniæ impressum eodem folio Gazettario perstringunt, quòd per id impugnetur celebratio Concilii sinè authoritate S. Sedis, crisin Academicam in eo dicunt magis iniquam, quòd Acta Concilii rejiciat, quanquam Ultrajectini omnia, quæ in formulâ Pii VI. continentur, sinè exceptione se credere profiteantur.

IX. Non latebat Academicos Colonienses, concilium Provinciale posse non petito antea Summi Pontificis assensu convocari & celebrari ab iis Episcopis, qui sunt in communione S. Sedis Apostolicæ, & legitimo ingressu, id est, per nominationem aut electionem à Summo Pontifice confirmatam intrârunt ovile sibi commissum; sicut illi idoneos Pastores per sacram Ordinationem, approbationem & missionem particularibus minoribus titulis seu paræciis præficiunt, ita & eorum ministerio intendere tenentur per visitationes & Synodos particulares juxta sacri Concilii Tridentini Decreta; si autem de novâ Doctrinâ contentiones emergunt, si propositiones de Hæresi suspectæ discutiendæ sunt, supremo judicio S. Sedis Apostolicæ submittere debent suas definitiones; quicunque autem cum Ecclesiâ Romanâ communionem non habent, hi aut aut se ab Ecclesiâ Romanâ alienos profitentur, aut se in communione esse cum Episcopis Ecclesiæ Catholicæ per totum mundum propagatæ perperam gloriantur, & nomen Catholici Cœtûs contra S. Matris Ecclesiæ Catholicæ sententiam præ se ferunt. Si de priori sunt genere, eorum cœtibus Papa nunquam intercedet, sicut dum Seistano Episcopo cum aliis, qui ad eandem Sinzendoffianam communionem in Germaniâ pertinent, synaxin aut Synodum facere adlubebit, Papa sibi hanc operam non sumet, ut aliquo Decreto talem Synodum proscribat, cùm nullum Orthodoxis periculum â tali congregatione metuatur. Si autem (quod hactenus faciunt Schismatici Ultrajectini) se dicant Catholicos, & Catholici cœtûs figuram imitentur, supremi Pastoris est intendere suo gregi, ne ad aliena pascua abducantur ii Catholici, qui sub confœderati Belgii præpoten-

tium

tium.Ordinum dominatione per Paſtores intra ſinum Eccleſiæ ordinatos approbatóſque permittentibus earum Provinciarum Præſidibus tranquillè diriguntur; paraſynagoga Ultrajecti ſub titulo Synodi Provincialis collecta rejici Romæ debebat, ne ad externam Rituum ſimilitudinem accedente Pontificis diſſimulatione periculum fideles Batavos ad ſemitas errorum divertendi augeretur.

X. Quòd verò dogmata per formulam Pianam propoſita Ultrajectini nullis ejuſdem verbis omiſſis amplectantur, minimè facit eos eſſe legitimos Paſtores, & ſana membra Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia. *Fieri poteſt* (ajebat S. Auguſtinus de quibuſdam ſui temporis errantibus) *ut homo integra teneat verba Symboli, & tamen non rectè credat.* Appoſitè ait Poëta:

S. Aug. Libr. 3. de Bap. Cap. 14.

Non eſt cardiacus (Craterum dixiſſe putato)
Hic æger. Rectè eſt igitur, ſurgétque? negabit;
Quòd latus aut renes morbo tentantur acuto.

Bonum ex integro, dicunt Philoſophi; ut ergò Catholici dicantur & ſint, neceſſe eſt, ab iis reprobari doctrinas, quas Eccleſia Catholica reprobat, humili obſequio captivari intellectum in obſequium Fidei & Chriſti ſub uno Capite & Paſtore. Hoc ſi fecerint, non omittet Clemens XIII. paterno affectu ſincerè id adimplere, quod promiſit, oſtendet cum gaudio totius Eccleſiæ Catholicæ ſibi eam portionem dominici gregis, nunc aberrantem à communibus paſcuis, acceptabilem eſſe dignámque ſuis paternis favoribus. Si per eos, penes quos ſupremum in eâ Belgii parte imperium eſt, reſtituantur Epiſcopatus Belgici; quis in toto mundo erit Catholicorum, qui Batavis fratribus non congauderet? At nunc dum per leges patrias non tolerantur Archidiœceſes & Diœceſes, & Canonicorum Collegia, & Monachorum, aut Monialium Aſceteria; nemo, qui Eccleſiam Catholicam amat, tolerandum putabit, quòd in una aliquâ Belgii urbe, & provinciâ quondam ſacræ Metropoleos honoribus illuſtri, homines, qui exierunt ex nobis, ſed non ſunt ex nobis, figuram faciant cœtûs hierarchici ſub titulis Archiepiſcopi, Epiſcoporum, Prælatorum, & Canonicorum jam dudum per patrias leges exterminatis. Dum nec Papa, nec Epiſcopi in Belgio Auſtriaco, Germaniâ, Galliâ cum iis communicare volunt, aut hi omnes Catholici non ſunt, aut Ultrajectini ad Catholicorum Societatem non pertinent. Quid Optatus Milevitanus, quid Auguſtinus poſtulârint, ut quis non nomine tantùm, ſed & re Epiſcopus Catholicus habeatur, eorum nos docent monumenta. *Cum Siricio*, inquit Optatus, *nobis totus orbis commercio formatarum in unâ communionis Societate communicat.* S. Auguſtinus oſtendit *Donatiſtas in unâ tantùm Africæ parte collectos, & ab aliarum totius univerſi Eccleſiarum communione ſejunctos, non pertinere ad veram Chriſti Eccleſiam, de quâ Prophetæ & Apoſtoli dixerunt, fore toto orbe diffuſam.* Tolerare non voluit in Donatiſtis abuſum tituli Catholicorum: *Nos*, inquit, *Eccleſiam Catholicam*

reti-

retinere, ipsâ nostrâ communionis testificatione monstramus. Qui à toto separatus est, partémque defendit ab universo præcisam, non sibi usurpet hoc nomen, sed nobiscum teneat unitatem. Afrorum Catholicorum hæc vox est, inquit: *Nos universo orbi Christiano communione cohæremus.* Vincentius Lerinensis: *Id teneamus*, inquit, *quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est; hoc enim verè propriéque catholicon est, quod ipsa vis nominis, ratióque declarat.* Jam ante hos S. Cyprianus dixit: *An secum esse Christum, cùm collecti fuerint, opinantur, cùm extra Ecclesiam colligantur?* Nota est ejusdem sententia: *Non potest Deum habere Patrem, qui Ecclesiam non vult habere Matrem.* Verba Cypriani imitatus S. Augustinus ait: *Alius dicit: non eo ad adoranda dæmonia, non servio lapidibus, sed tantùm in parte Donati sum. Quid tibi prodest non offensus Pater, qui offensam vindicas Matrem* (Ecclesiam)? *Quid tibi prodest, si Dominum confitearis, Deum honoras, & blasphemas Ecclesiam ejus?*

Collat. Carthag. cum Donat. de titulo Catholici ab iis assumpto.

Cypr. Lib. de unit. Ecc.

XI. Sed pernegant se esse Jansenistas. Præivit in hoc etiam Ultrajectinis Quesnellus: laudat Harlæum Archiepiscopum Parisiensem, quòd *animum certè ab omni doctrinâ, quæ Hæresim quinque propositionum jure damnatam vel indirectè posset revocare, prorsus alienum* ostenderit. Laudat Bossuetum, quòd *adversùs Hæreses ab Innocentio X. & ab Alexandro VIII. & postea ab ipso*, cui scribebat, *Clemente XI. meritò damnatas, erecto, vigilantique zelo semper attentus* fuerit, *& Jansenismum detestatus* sit. Dum ab his Illustrissimis Præsulibus suum librum ostendit fuisse laudatum, molestissimè tulit sibi banc *Hæresim* iniquiore quorumdam censurâ esse impactam, quanquam Jansenismum dixerit *sectam imaginariam, quæ reipsâ nunquam extitit*, & *hæresim merè chymæricam, contra quam 70. annis fuit conclamatum absque ullo certi loci, ubinam illa secta existat, indicio.* Satis non erat sanctissimo Patri à Quesnello quinque propositiones reprobari, etiam illæ ipsæ, quas per Constitutionem *Unigenitus* idem Papa damnavit, damnandæ erant; hoc illud est, quod ab Ultrajectinis hactenus frustra exspectavit S. Mater Ecclesia. Verè dixit Satyricus:

Quesnel. Epist. ad Clem. XI.

Frustra vitium vitaveris illud,
Cùm te aliò pravum detorseris.

Non ignorant Ultrajectini, sicut Quesnellus Jansenii Sectator in Galliis dictus est, quamvis quâcunque verborum formâ quinque propositiones damnârit, ita Quesnelli Sectatores passim in Belgio Jansenistas haberi, quanquam quinque propositiones eodem, quo Quesnellus, eloquio condemnent. Quod ab Eustathianis exspectavit Basilius, id omnes, quotquot in Communione S. Matris Ecclesiæ sunt, Episcopi nostrorum temporum desiderant, nempe ut intelligant ad orthodoxiam non sufficere detestationem aliquorum ab Ecclesiâ damnatorum dogmatum, sed doctrinam ab omnibus erroribus depuratam, & S. Sedi Apostolicæ omnibus numeris conformem requiri,

cùm

cùm Sedes Romana sit centrum, in quo omnes lineæ per circumferentiam separatæ uniuntur. Laudant Ultrajectini à quodam Canonistâ ditionis Venetæ cœtum suum esse ornatum; laudant unum alicujus Catholicæ Universitatis Librorum Censorem, quòd titulum: *Pseudosynodus Jansenistarum*, thesibus Patrum Societatis anno superiori insertum expunxerit, voluerítque scribi: *Synodus Ultrajectensis*. Sed quid duo hæc obscura elogia, nec autoribus, nec locis indicatis, producta contra S. Sedis & totius orbis judicium? Pupugit Ultrajectinos, quòd reprehendantur tanquam sub velamine pietatis abutentes doctrinâ, ideóque schismatici habeantur: Facilè, inquiunt, quicunque ne ipsis quidem Coloniensibus exceptis tanquam Schismatici, Hæretici traduci poterunt, si non verbis fides adhibeatur, sed ad internam usque mentis dispositionem penetrêtur. Nihil verius; si quis ex solâ conjecturâ de mentis dispositione, nullâ habitâ verborum optimè sonantium ratione, schisma aut Hæresim imputaret, certè judicium omnino temerè præfestinaret. Sed quid hoc juverit Ultrajectinos? Sciunt se obstinatè insistere doctrinis à Papâ Romano damnatis, & cum nullo quarumcunque Gentium Episcopo Catholico communionem habere. Characteristicon est Catholicorum: Vivere in communione cum S. Sede Apostolicâ; eos, quicunque hanc notam non habent, qui, etsi aliquas propositiones damnatas damnent, aliquorum Pontificum, ùt Innocentii X. Alexandri VIII. dogmaticas Constitutiones amplectantur, Constitutiones tamen dogmaticas sequentium Pontificum, ùt Clementis XI. & XIII. amplecti non volunt, eos, inquam, post judicium summi Pontificis, quicunque Episcopus, ùt fecit post Eminentissimum Cardinalem, Archiepiscopum Mechliniensem, noster Archiepiscopus, quæcunque Academia Catholica, ùt fecit nostra Coloniensis, quiscunque Theologus declarare potest tales esse, quales eos declaravit S. Sedes Apostolica, donec ad obedientiam revertantur. Sciebant Academici Colonienses, quid Clementi XI. scripserit Quesnellus de Hæresi quinque propositionum; eos tamen omnium in Belgio Catholicorum Romanæ communionis ore Jansenistas vocari: ideo, ne de vocibus esset quæstio, *Jansenistas seu Quesnellianos* indigitârunt.

XII. Sed quid de P. Ludovico Molinâ, quid de Molinismo Ultrajectini? Dicunt P. Molinæ opinionem de gratiâ ipsismet Benedicti XIII. verbis damnari, novam ejus doctrinam verbo Dei, Decretis summorum Pontificum, & Conciliorum, ac denique doctrinæ Ss. Patrum esse contrariam. Si hoc verum est, meritò vicissim Colonienses incusant, quòd eundem eâ publicâ laude honorârint.

XIII. At ô boni! non ea in hunc diem ullius Pontificis Romani sententia fuit. Post longas disputationes sub Clemente VIII. de auxiliis Gratiæ institutas, quarum talem finem optavit consultus à S. Sede Franciscus Salesius, ut neutra opinio damnaretur, quòd nulla inde utilitas singularis appareret, Paulus V. qui Clementi VIII. successit, definitionem in aliud tempus declaravit,

ravit differendam, interea à censuris opinionis adversæ penitùs abstinendum. Jansenistis jactantibus sententiam Scholæ sancti Thomæ per Constitutionem *Unigenitus* esse damnatam, ut ejus Bullæ auctoritatem convellerent, Clemens XI. anno 1718. aliam Bullam edidit, in quâ de Jansenistis ait: *Consuetum calumniandi morem non derelinquunt; nisi enim eos excæcaret malitia, ignorare non deberent, sententias illas ac doctrinas, quas ipsi cum erroribus per nos damnatis confundunt, palàm & liberè in Scholis Catholicis etiam post editam à nobis memoratam Constitutionem* (Unigenitus) *sub oculis nostris doceri, atque defendi.* Sunt qui Launoii libellum posthumum: *Vera traditio Ecclesiæ de Prædest. & Gratiâ*, putant huic Bullæ materiam præbuisse. Benedictus XIII. an. 1724. 6. Novemb. per Constitutionem: *Demissas preces*, denuo calumnias doctrinæ Ss. Augustini & Thomæ de gratiâ per se & ab intrinseco efficaci & gratuitâ prædestinatione intentatas repressit; dicit quidem, quòd *Schola Thomistarum commendabili studio glorietur, sententias illas ab ipsis Ss. Doctoribus Augustino & Thomâ se hausisse, & verbo Dei, summorùmque Pontificum & Conciliorum Decretis consonas esse*; tantùm verò abest ab illâ, quam Ultrajectini contra P. Molinam asserunt, damnatione, ut Clemens XII. anno 1733. 2. Octob. per Constitutionem: *Apostolicæ providentiæ*, contrarium declarârit: *Nolumus*, inquit, *per nostras, aut ipsorum* (Decessorum) *laudes Thomisticæ Scholæ delatas quidquam esse detractum cæteris Catholicis Scholis diversa ab eadem in explicandâ divinæ gratiæ efficaciâ sentientibus, quarum etiam erga hanc Sedem præclara sunt merita, quominus sententias eâ de re tueri pergant, quas hactenus palàm & liberè ubique etiam in hujus almæ urbis luce docuerunt & propugnârunt.* Pauli V. aliorúmque Prædecessorum ad restinguendum dissensionum fomitem saluberrima mandata renovando prohibuit sub iisdem pœnis, *ne Scholis diversa sentientibus vel scribendo, vel docendo, vel disputando censuram ullam theologicam inurant, aut earum sententias conviciis incessere audeant*, S. Sedis definitionem de his controversiis tum S Dominici, tum Societatis Religiosos exspectare jussit. *Pacem*, inquit, *quam cum veritate diligendam Dominus præcepit, inter Catholicæ Ecclesiæ filios communire debemus, ut conjunctis diversarum licèt scholarum studiis firmius præsidium sit adversùs erroris insidias.*

XIV. Ergo nec malus fuit Molina, nec malus adhuc est Molinismus, nec seu Thomistarum, seu quorumcunque Romanæ communionis Catholicorum orthodoxiæ officeret, si Moliniano systemati de gratiâ & prædestinatione omnes Catholici subscriberent; hoc Bullis Pontificum nostri sæculi docemur. At nunc in Scholâ Coloniensi Theologicâ Molinam soli Patres Societatis, sicut Scotum soli Patres Minores Conventuales, ducem sequuntur; nemo unus est nostrûm, qui hos ideo nobis dicat injurios, quòd *scientiam*, quam vocant, *Mediam* illi, hi *distinctionem Mediam*, soli tueantur. Diversum sentire de rebus Papali judicio nondum definitis, & liberæ scho-

 larum

larum concertationi hactenus relictis incolumi licuit semper amicitiâ. Collegium strictius Facultatem Theologicam Colon. XII. Doctores constituunt; inter hos duo, non plures Scotistæ, duo, non plures Molinistæ esse possunt. Quid verò est, quod movit Colonienses, ut dicerent Ultrajectinos omnibus, qui S. Sedi sunt uniti, Molinismum imputare? An Coloniensibus videntur Ultrajectini putâsse, quòd ea, quæ dixi Molinæ asserta, Papa & omnes defendant? Nimiùm sanè ridiculum foret Ultrajectinis adscribere opinionem tam incredibilem, cùm satis constet Molinisticum de gratiâ loquendi modum intra ferè solam Societatem concludi; quis igitur ille Molinismus? Quòd per Constitutionem *Unigenitus* sententiam Thomistarum de gratiâ & Prædest. simul cum Quesnellianis propositionibus confixam, omnes Anticonstitutionistæ constanter asserant, ùt ex summorum Pontificum Clementis XI. & XII. Rescriptis elucet, ideóque ad opinionem dictæ sententiæ oppositam, qualis est Molinistica, tum Papam, tum omnes, quotquot eam constitutionem amplectuntur, transîsse concludant.

XV. Præterea quòd, quidquid declarationum dogmaticarum, placitis Jansenisticis, Quesnellianis Ultrajectinis adversantium, Romæ & post Romana decreta ubicunque terrarum fit, Jesuitis dictatoribus fieri jactitent. Eodem Spiritu & sensu in Belgio scribebatur definitionem Ecclesiæ, quâ dicitur Congregatio omnium Christi Fidelium sub visibili in terris Capite Rom. Pontifice *novam esse ac Jesuiticam*. Amstelodami anno 1717. in suo primo actu appellationis ad futurum Generale Concilium scribebat Quesnellus, *timere se, ne Schola Moliniana junctis per librum de Prædest. à Cardinali Sfondrato editum Sfondratismi & Molinismi viribus faciat Molinismum tanquam dogma fidei omnibus necessariò credendum stabiliri.* Theodorus van der Cron anno 1736. Goudâ scribebat Eminentissimo Cardinali de Alsatiâ, Archiepiscopo Mechliniensi, ex Bullæ *Unigenitus* auctoritate *illum perinde ac Jesuitas hunc præcipuè fructum exspectare, ut aliquando cogantur omnes Jesuitarum commenta adorare.*

XVI. Ipsum hoc folium Gazettarium Ultrajectinis Guillelmi van der Weyde formis gallicè editum id luculenter comprobat: *Non Archiepiscopus Coloniensis, sed ejusdem nomine abutentes Jesuitæ Breve Apostolicum*: non sinè acerbo *contra Ultrajectinos publicârunt.* ... NUNTIUS S. SEDIS *ex compacto cum Jesuitis, quibus familiariter amicus prædicatur, fuit motor & organum operis... Jesuitæ abusu impio suæ apud summum Pontificem auctoritatis, aut benevolæ existimationis Ss. Patrem impediunt, ne Episcopos Catholicos Hollandiæ ad communionem Sacrorum admittat... Jesuitæ, quod minùs copiosè præstiterant per Decretum Archiepiscopale, pleniùs perfecerunt per Juditium Academicum Universitatis Coloniensis... Hanc Universitatem Jesuitæ despotico imperio moderantur, eorum hæc dominationem serviliter sustinet... Jesuitarum se arbitrio Cardinalis de Alsatiâ cæcâ submissione omnibus*

notâ

notâ devovit. Ejus ad Theodorum epiſtola (ùt loquuntur) *fanatica facit epilogum judicii Academici, quantùm ad Ultrajectinos.* Eo in judicio dicunt, *neque juſtam apparere juncturam, neque methodum in eo eſſe, neque veritatem*, ſed *applicationes ridiculas, & falſitates & errores, & abſurda ſinè numero.* Improbam hanc maledicentiam elaudit epiphonema: *Eò decidere neceſſe eſt portantes jugum Jeſuiticæ dominationis.* Quis neget hinc apparere, quòd ipſimet etiam Ultrajectini Summis Pontificibus noſtræ ætatis, & his, qui eiſdem nexu inviolabili junguntur, hoc tribuerint, quòd ſe doctrinæ ſocietatis, quam Moliniſmum vocant, accommodent? Quid enim aliud imperarent hi, quorum arbitrio Romæ & Coloniæ ſervitur?

XVII. Anticonſtitutioniſtas ſemper ſibi ſimiles eſſe calumniandi ſpurcitie; ne ipſis quidem Eccleſiæ Principibus parcere; philautiâ imperante, laudum ſuffimenta ſibi, & contribulibus, & aſſentatoribus liberaliter adolere; Religioſis Societatis, quidquid ubilibet Gentium, terrarúmque publicam in lucem pro Conſtitutione prodeat, imputare, quanquam nullum idoneum teſtem audierint, viderintve, imò (quod, quantùm ad noſtram Univerſitatem, certum eſſe, & Jeſuitæ profitentur, & Academici omnes conteſtamur) ne potuerint quidem videre, vel audire; faventia ſuis ſtudiis verba Pontificum his invitis ad ſuas opiniones inflectere (Exemplum dat *gratia per ſe ab intrinſeco efficax* verbis, minimè autem verborum ſignificatu nobis, & omnibus Anticonſtitutioniſtis communis) adverſa autem conſiliis ex dictâ Societate ſuggeſtis tribuere; reprobare probabiliſmum ſeverioris diſciplinæ gratiâ (quod paucis exceptis facimus omnes cœteri) nihilominus Archiepiſcopo, & Academicis, & Colonienſibus Jeſuitis, qui omnes Ultrajecti minimè noti ſunt, ex motivo meris conjecturis formato impingere vitia ſuis præſenſionibus concepta; denique ſe contra Eccleſiam Matrem ſuam ratiunculis undique conquiſitis, quaſi quibuſdam pugiunculis armare; Queſnellianum eſt, aut quod minùs moleſtum erit, Anticonſtitutioniſticum.

Lectorem benevolum rogo, ut prolixiorem hanc digreſſionem æqui boni conſulat, etſi non putem nexu dogmatum Ultrajectinos dexteras ſocietatis dediſſe Febronio, cùm tamen eorum Synodum benignè Appendix Febroniana tueatur, & Vindiciæ folio gazettario per Belgium, Germaniam, aliáſque Europæ Provincias diſſeminatæ criſim illam S. Sedi præjudicialem confirmâſſe videantur, è re erat præoccupationi occurrere, & ne alii in eandem ſententiam adducantur, providere.

XVIII. Præterquam quòd nova ſyſtematis Febroniani adinventio pepererit illud de intermiſtico Papam per Synodum nationalem eâ, quam illius author propoſuit, formâ inſtituendam, conſtringendi remedio, & ea criſis heteroclita de Ultrajectenſium Queſnelliſtarum conciliabulo ex illo ſyſtemate profluat, hoc etiam inde conſectarium eſt, quòd contra omnium Catholicorum mentem cum Samuele Puffendorffio neget Eccleſiam eſſe ſtatum diſtin-

ctum, seu civitatem, ideóque absurdam censeat esse quæstionem, an Monarchica, aut quævis alia forma regiminis eidem attribuenda sit, & quanquam fateatur Ecclesiam à S. Augustino dici *civitatem Dei*, nihilominùs dicat, quòd nec sit status, nec civitas, quia illi Puffendorffius *ob ejus doctrinam, peritiámque rerum politicarum, in hac parte visus est vera tradere.* Etiam hoc inde consectarium est, quòd plurimorum Catholicorum doctrinam de infallibilitate Pontificis tam vehementi acrimoniâ incessat, quasi opinionem Scholasticorum admodum novam, quæ tribus ferè sæculis ab obedientiâ etiam canonicâ Pontificis integras nationes discedere fecerit. Audacissimè asserit, quòd contrariam veritatem permulti Regulares agnoverint, sed eam tradere per statuta Religiosorum Ordinum interdicantur, & cum aliis cervicosis, qui putant se Deo & Papæ præstare obsequium, imprudenter eam infallibilitatem docentibus, eandem docere cogantur; ideóque pro futili & penitùs convulsâ reputandam contra Alexandri VIII. Decretum, contra cujus, aliorúmque summorum Pontificum in virtute S. obedientiæ, & sub divini judicii interminatione data, & quæ forsan dabuntur imposterum, Decreta frontem obduravit. Dicta assertio de infallibilitate summi Pontificis quâ auctoritate, quibus rationibus nitatur, impugnetúrque, uberiùs expendetur suo loco.

§. IX.

Quomodo ad firmandum systema Justinus Febronius se à controversiis Theologicis expediat.

1. *Vindiciæ Febronianæ contra Bardtium Lipsiensem.*
2. *Quomodo se expediat à controversiâ de sacris Indulgentiis,*
3. *Et aliis præcipuis dogmatibus.*
4. *Debet admitti certum judicium Rom. Pontificis de vero sensu S. Scripturæ,*
5. *Notis libri Canonici & apocryphi.*
6. *Error Febronii de probibitione lectionis S. Scripturæ.*
7. *Error de communione sub utraque specie.*
8. *Error de cœlibatu Clericorum.*
9. *Quid de Regularibus sentiat.*
10. *Præsertim de Patribus S. J.*
11. *Jus publicum politicum Ecclesiasticum Germanicum commendat Academiis Catholicis.*
12. *Ostenditur eò spectantia diu antè docuisse Doctores Catholicos.*
13. *Politica quibus ex fontibus petenda.*

I. Poli-

I. Politicis potiùs, quam theologicis momentis reconciliationem Catholicorum & Protestantium quærendam, curandámque esse, ita judicat Febronius, ut quæ Bardtius Theologus Lipsiensis Lutheranus opposuit, laconicâ brevitate retundendo ea, quæ reunioni per Theologiam obstant, impedimenta, levi manu credat submoveri posse; quædam in Appendice IV. ad articulos à Lipsiensi propositos obiter ex polemicis Theologis delibat, quibus prudenter pensitatis, *Bardtium cum suo pusillo grege à plurimâ parte Lutheranorum plus nostris, quàm suis tribuente putat esse deserendum.*

II. Dum de Indulgentiis movetur quæstio, hoc illi sufficit, *imprudenter* dici non redituros ad Romanam communionem Lutheranos, *quia in illâ dantur Indulgentiæ, cùm non dentur invitis, sed volentibus, nolens autem Indulgentias, imprudenter spernat volentem illas, multóque minùs videatur spernenda esse Ecclesia, dum his, qui Indulgentias volunt, indulget.* Cur Febronius non animadvertebat omnino eodem discursu Papales dispensationes vindicari posse? Quis enim Catholicorum cogitur dispensationes seu matrimoniales, seu beneficiarias, seu quaslibet alias quærere? Quis negat liberum esse unicuique Catholico se rigori legum Ecclesiasticarum accommodare sinè ullo dispensationis temperamento? Tantùm id, quod *de contemptu* in materiâ Indulgentiarum cautè *seponendo* monuit Febronius, in dispensationibus observetur, ut, qui dispensationes non vult, *sepôsito contemptu* fraternè de iis judicet, qui dispensationes legitimas petunt, & impetratis fruuntur.

III. Tota de Fide & Justificatione, de peccati originalis naturâ, ejúsque effectibus & conditione hominis regenerati doctrina inter Catholicos & Protestantes controversa Febronio paucis ita videtur expediri posse, ut *aspera ac violenta Lutheranorum opinio facilè deseratur*, si reflectat animus hominis prudentis ad planam interpretationem, quam Catholici sententiis Apostoli tribuunt. Si duo Sacramenta, inquit, admittuntur, quare non cætera usque ad nostrum septenarium numerum? Absit à me opinio, quòd tam gravibus rationibus dogmata Protestantium nitantur; ut post Polemicorum nostrorum doctas refutationes nova argumenta necesse sit quærere; hoc unum volo, non statim omnes Catholicæ doctrinæ adversos ad reunionem esse commovendos per Theologiam Febronii.

IV. De Scripturæ sacræ obscuritate per interpretationem authenticam tollendâ sic sentit Febronius, ne in scissuras æternas abeatur altercando, & inter spinas disputationis per Doctorum pugnantes interpretationes hæreatur, opus esse interpretatione authenticâ; non possum verò, inquit, illam in terris alibi quærere, quàm in Ecclesiâ, præcipuè sub Capite suo conciliariter congregatâ. Sed quid repagulum faciet erroneæ interpretationi, dum Synodus generalis convocari non potest? Quodnam tunc medium erit, si contingat, ùt contingere posse observat Melchior Canus, dissidium inter Patres

Melc. Can Lib. 2. Loc. Theol. Cap. 6. prop. 5.

Patres in Concilio congregatos, si in Ecclesiâ tunc nemo sit, qui hanc contentionem litémque dirimat? Certè non esset, inquit Canus, Ecclesiæ à Deo provisum in necessariis, nisi statuatur ad Summum Pontificem talis causæ definitionem pertinere, indéque concludit Pontificis testimonio tanquam certo indicio probari, quis liber sit Canonicus, quis contra non sit.

V. Non rectè in responsione ad Bardtium notionem libri apocryphi explicat, dum dicit eos fuisse tunc apocryphos, dum nondum ab universis fidelibus pro divinis agnoscebantur. Si qui Patres hos nondum habebant tanquam certò *Canonicos*, seu *divinitus dictatos*, minimè consequens est, pro apocryphis habitos fuisse, neque ex eo, quòd *carerent errore*, recepti sunt in Canonem, cùm & oratio Manassæ, & prologus Ecclesiastici errore careant, ideò tamen apocryphæ scripturæ esse non desinant. Ad Apostolicam traditionem progrediendum erat, quæ cùm anterioribus sæculis nondum satis eliquata esset, sinè culpâ quidam veteres de quibusdam libris errare poterant, traditione Apostolicâ librorum divinitus dictatorum nondum satis intellectâ. Postquam per posteriorum temporum Concilia Generalia definitum fuit, quinam libri pro Canonicis habendi sint, nullæ Scripturarum divinarum partes dici *deuterocanonicæ* judaicâ phrasi debebant in Sæculo XVI. neque nunc debent: nec dicere debebat Concilia, Pontifices, & Patres *unicè retulisse*, *non decidisse*, quinam libri sint Canonici.

VI. Illud etiam in ea Bardtii refutatione perperam sustinet, Laicis solùm prohiberi lectionem Bibliorum in linguâ vulgari, non autem latinâ, græcâ, vel orientali, cùm sola talis linguæ peritia non removeat semper illa, quæ lectionem sacræ Scripturæ possunt facere damnosam. Etsi Ecclesia de linguâ vulgari loquatur, cujus usus frequentiora potest causare pericula, præcipuè ad scopum intendere oportebat, quem sibi novissimè proposuit Clemens XI. dum in Constitutione *Unigenitus* Quesnelli propositiones lectionem Scripturarum spectantes septuagesimam nonam, & sex sequentes damnavit, cujus damnationis justissimam rationem Congregatio Cardinalium, & Episcoporum Galliæ per instructionem pastoralem anno 1714. Parisiis editam ostenderunt.

VII. Materiam dissidii de administratione sacræ Cænæ sub unâ specie à Bardtio Lutherano propositam autumat se non minùs theologicè, quàm historicè expendisse, persuasum habet, doctos, indoctósque Lutheranos eâ denegatione perculsos Religionem nostram vehementer aversari. Amor pacis & reunionis desiderium eò impulit Febronium, ut optet, imò roget usum Calicis negatum concedi, *res*, inquit, *disciplinæ est*, *quæso*, *concedatur*, *sequetur haud dubiè conversio ingens ad unionem*, *nec puto* (pergit) *tanti esse motiva diutiùs inhærendi præcepto*, *quod Sæculo XV. consuetudinem contrariam pro lege statuit*. Eam ex Calicis concessione utilitatem Lutherus sperare non fecit, dum ait: *si quod Concilium statueret utramque speciem*, *nos utrâ-*

Lib. de formulâ Missæ.

utrâque nequaquam uti vellemus, sed in despectum Concilii aut unâ, aut neutrâ, & minimè utrâque; maledicturi universos, qui ex statuto Concilii utrâque uterentur. Instante Ferdinando Augusto Pius IV. Calicis usum Bohemis & Moravis ante in Concilio Basiliensi concessum, indulserat, an ad mentem Febronii *conversio ingens* tunc *secuta?* Neutiquam, sed clamitabatur, tandem hunc errorem agnitum esse ab Ecclesiâ Romanâ. Ideo statim Pius V. concessionem revocavit. *At res disciplinæ est.* Negant hoc orthodoxi Theologi; sed ex Hæreticorum sententiâ dogmaticam quæstionem dicunt accepisse, eámque anathematismis Tridentinis esse definitam: annon dogmatica est Prima: an de necessitatete salutis utramque speciem omnes & singuli sumere debeant? 2. an Romana Ecclesia utriusque speciei usum Laicis prohibendo, verba Evangelii, & S. Pauli ad Corinthios perperam interpretetur? 3. an totus & integer Christus, an dimidius unâ sub specie sumatur? Frustra Febronius quæstionibus meræ disciplinæ accensere tentat illa, quæ Patres Tridentini totidem anathematismis definierunt ad legem credendi pertinere. *Seff. 21. Can. 1. 2. & 3.*

VIII. Legem Cælibatûs Clericorum nititur admodum novâ moderatione temperare, ut in scopum sum collineet; aliàs contra Ministros & Theologos Protestantium severior, quantum ad eorum Theologiam, nunc mirâ benignitate ad promovendam, quam quoquo modo speravit, reunionem invitare conatus est. Postquam cælibatum sacrorum Ministrorum aliquantum laudavit, tandem subjungit: *hic versamur in puncto disciplinæ.* Ecclesia Græca indulgentiam fecit cum Sacerdotibus, quam non fecit Latina unione salvâ. Sic & reunio fieri posset Lutheranorum, ut conjugio gaudeant, retentis quoque dignitatibus & beneficiis. Sic dispensationum detestator Febronius (quis satis admiretur?) eorum, quæ ad Pontificias dispensationes sugillandas scripserat, immemor, per dispensationem, quam sciebat post Patrum Tridentinorum in hoc puncto contra Summos Principes constantiam impetrari non posse, aliquam hominum secundùm carnis desideria ambulantium turbam Catholico Sacerdotio miscere voluit, ut pacis, ac unionis novum, & illis, in quorum gratiam id suo excogitavit ingenio, acceptabile medium suggereret contra severam veteris Ecclesiæ disciplinam, aliàs centies ab eo commendatam. Unius Toletanæ III. Synodi juvat meminisse, quæ statuit: *Compertum est, Episcopos, Presbyteros, Diaconos venientes ex Hæresi adhuc desiderio carnali uxoribus copulari; ne ergo de cætero fiat hoc, præcipitur, quod & prioribus Canonibus terminatur, ut eis non liceat vivere libidinosâ societate, & manente inter eos fide conjugali communem utilitatem habeant, & non sub uno conclavi maneant.* *Synodus Tolet. III. anno 589. celebrata Cap. 5.*

IX. Vitam Monasticam laudat, & statum Regularium; sed hoc palmarium & præcipuum munus pro singulari suo rem politicam instaurandi, perficiendi studio à Regularibus exspectat, ut quicunque eorum ad Cathedras

Academicas aſſumuntur, patriam & Epiſcopos patriæ contra Aulam Romanam defendant.

X. Jeſuitas cæteris omnibus cenſet Reipublicæ damnoſiores; atque ut omnium animis odium & abominationem adversùs eoſdem inſtillet, ſatis non fuit eos omnigenarum probabilitatum apothecarios pro Regentibus Magnatibus, Aulicis, Mercatoribus, peccatoribus languidis appellâſſe, ſed & iiſdem cum ſuperbiæ gradum tribuit, ut jactare non vereantur ipſorum maximè humeris Catholicam Religionem ſuſtentari; eâ ſe prudentiâ & ſapientiâ pollere, ut in quovis Collegio unus ſaltem vel duo ſint, qui poſſint agere primarium Principis Miniſtrum. Acerrimus probabilitatum perſecutor, *virtutis veræ cuſtos rigidûſque ſatelles* (Horat. epiſt. 1.) fidere nequaquam debebat conjecturis, ſed quòd hæc vera ſint, certiſſimè compertum habere; tunc [illegible] fas eſſet tales inſanias ad ſalutis publicæ reſtaurationem Principibus & populis Germaniæ palàm denuntiari; è re communi tunc eſſet, hoc hominum genus ob delirium à ſcholis arceri, & mitti Anticyras; ſi qua ſit ſpes inſanientes helleboro curandi, inprimis autem Kleinerum illum Heidelbergenſem, quem aliis ſuis *fatuitatibus illam etiam impietatem dicit addidiſſe*, quòd Bardtium Lutheranum in propoſito reunionem Proteſtantium cum Catholicis impediendi obfirmare maluerit, quàm qualicunque ſuâ Theologiâ eundem convertere, & quòd inverecundè jus publicum politicum Eccleſiaſticum Germanicum attingere auſus fuerit.

XI. Magiſtros juris publici politici Eccleſiaſtici Germanici gnaros, qui Germaniam novo lumine colluſtrent, & tandem aliquando ſapere doceant, monet à Principibus quærendos & conducendos; ſed, cùm Academici publicæ ſalutis & communium Eccleſiæ, Patriæque commodorum tam parùm ſtudioſi eſſe non debeant, ut nolint pro viribus eò conferre adjumentum, juſta eſt curioſitas noſcendi, quæ ſint illius tam vehementer laudati juris arcana, quorum ignoratio hactenus aluerit illa nationis noſtræ diſſidia, quibus ſic dicti Proteſtantes & Reformati à communione noſtrâ disjunguntur. Infelix ille partus, qui ante 20. annos in Germaniâ lucem vidit, ſtatim S. Sedis judicio tanquam abortivus damnatus eſt ad tenebras. Quæ in libello inſcripto: *Principia juris publici Eccleſiaſtici Catholicorum ad ſtatum Germaniæ accommodata*, ad locos theologicos pertinent, diu antè cognitos.

XII. Melchior Canus pleniùs & certiùs eò ſpectantia docuit, Canus ille, qui, etſi *Theologus*, &, quod Febronio pejus eſt, *Regularis*, ob ſublime ingenium & admirabile judicium non à Theologis tantùm Regularibus, ſed & Baillero, Dupinio, aliiſque laudari meruit, de quo etiam Gabriel Naudeus in Bibliographiâ politicâ ſcripſit: *Vix poteſt imaginatio conſequi, quantum lectione Autorum hujusmodi* (Caſſandrum & Melchiorem Canum Theologos laudaverat) *mentes Politicorum acuantur, excitentùrque ad ſaluberrimè de rebus*

bus istis consulendum, quibus non unius, aut alterius hominis modo, sed universæ plerumque Reip. salus, & belli, pacisque momenta continentur.

XIII. Quæ ad fœdera Principum pertinent, ùt *Tractatus Passaviensis*, *Pax Religiosa*, *Pax Westphalica*, Pacta conventa Principum, & Rerumpublicarum Religione dissidentium, non Fidei unionem, & credentium sub uno Pastore societatem, sed amicam inter se Germanorum Fide discordium concordiam civilem restituere, conservare, promovere, & civicos tumultus Provinciarum averruncare intendunt, ne funestis inter se motibus fracti Germani ad exteros hostes à suis finibus arcendos fiant invalidi, &, quod exitialibus bellis novissimorum temporum nondum periit, ab interitûs periculo eripiatur, quod certè summorum Principum conatibus dignum ac saluberrimum esse nemo unus Germanorum negat, sed extra scopum Febronii esse, ne ipse quidem negaverit. Quod autem ad Concordata S. Sedis & Nationis nostræ, & Regulas Cancellariæ, & particulares quarumdam Germaniæ Ecclesiarum consuetudines, specialibus Constitutionibus Apostolicis (ùt sunt Brabantinæ, Leodienses, & aliæ) tum & Synodis firmatas, non desunt idonei duces, qui, dum super his quæstio suscitatur, viam ostendant. Utriusque Juris periti ostendunt Academicis, quid Leges, quid Canones præcipiant, quomodo hi Principum Constitutionibus adjuventur. Quid igitur novi à Febronio promittitur? Quid novi Germanis exspectandum est? si autem vetus dicatur, at nunc scholis abscondita disciplina expediet, eam è latebris educi ad primas catholicas Germanorum Academias, & scholis, imò Doctoribus ejus ignaris limpidos veri fontes monstrari, simul & methodum sana & apprimè orthodoxa Catholicis Episcopis, & Principibus non tantùm, sed & inferioribus tum Ecclesiasticis, tum Laicis utilitatem certam allatura dogmata & Præcepta ex iis hauriendi ita indicare, ùt omnes intelligant, imprudenter hactenus Germaniam credidisse Theologis, & caligine depulsâ in apricum prodiisse veritatem.

§. X.

Scopus & ordo hujus Apologetici.

1. *Febronius judicatus est Romæ, ubi voluit.*
2. *Papa Febronium, vicissim Febronius Papam judicavit.*
3. *Scopus Apologetici.*
4. *Ordo & methodus ejusdem.*
5. *De Citationibus SS. Patrum.*
6. *Quare acriori stylo quædam perstringantur.*
7. *Quos Romanos, quos Antiromanos faciat novi dissidii partes.*
8. *Apologeticon censuræ & judicio Summi Pontificis submittitur.*

Febro-

Febronius ubi voluit, & per quem voluit judicatus est. Scripsit Rom. Pontifici: *Judica me, sic te conjuro, Pater sancte, me, inquam, & causam hanc nostram in verbis S. Stephani Papæ: nihil innovetur, nisi quod traditum. Vide, si toto hoc tractatu veras, an apocryphas traditiones secutus sim, confer nova & vetera, appende animo non præoccupato stateram.* Vidit. Contulit. Appendit. Judicavit Clemens XIII. sed non sicut voluit Febronius, ideo judicium hoc tanquam præoccupati animi fœtus, obstetricantibus malignantium consiliis progenitus traducitur, PATER SANCTUS Traditione desertâ ad profanas novitates devius loci sui sanctitatem ei videtur profanâsse. Appendix alia aliam secuta, addendis addenda accesserunt, ut systema Vaticano fulmine concussum sustentetur, fulciatur.

II. Judicavit Febronium Clemens adjuratus, Clementem vicissim judicat Febronius, sed contra religionem jurisjurandi, quo se (si Academiæ Catholicæ Jurisconsultus est) Rom. Pontifici ad irretractabilem obedientiam obstrinxit. Eo distant opposita hæc judicia, quòd auctor libri eum dicat totum S. Scripturæ, & SS. patrum sententiis, & purioris Ecclesiæ primorum temporum consuetudini conformem, libri autem damnator dicat ex Scriptoribus tum Acatholicis, tum Romanæ Ecclesiæ malevolis esse compilatum.

III. Cùm vulgi non tantùm, sed & Litteratorum judicia in partes distrahi adverterem, & copiosis Patrum ac Doctorum citationibus nonnihil fidei adhiberi, putavi per officium Censoris librorum ordinarii, quo Archiepiscopali Authoritate jam annis XVII. utcunque perfungor, & Theologiæ Academicam professionem, Rom. Pontificis Primatum contra Jurisconsulti tentamina esse vindicandum, quanquam hoc alii ante me doctissimè præstiterint, advertebam aliam Apologetici methodum desiderari, quæ pressiùs procedat per singula, & Lectoribus omnes illius Febroniani Operis partes exhibeat, & quâdam anatomicâ dissectione totius corporis nervos & fibras distinctè proponat, ut citationes sigillatim inspiciantur, ratiocinii contextura pensitetur, videatúrque, quid olim creditum, observatum, quid nunc credatur, observetur, & apertiùs patescat, quænam doctrinæ antiquæ & novæ, moris antiqui & novi compatio facta sit, & non Clementem XIII., sed Febronium Traditionis esse desertorem.

IV. Cùm Febronius non pauca iterum atque iterum repetat, seu quòd stabiliendo systemati repetitiones putaverit plus lucis allaturas, seu quòd nexus videretur ad legentium animis novi systematis ideas fortiùs imprimendas id postulare, necesse fuit in Apologetico nonnunquam, quæ dicta fuerant, iterum dicere. Febronius singulis sectionibus copiosos discursus & citationes cum numerorum distinctione subdidit; additamenta illa commentarium vocat; cùm autem in his multa contineantur, quæ anteriorum explicationem

non faciunt, sed nova sunt, continuo cursu omnia singulis sectionibus inserta totidem Apologetici sectionibus expenduntur, nihil prætermittendo, quod ad principalis intentionis objectum pertineat.

V. Multa SS. Patrum & Doctorum testimonia in ipsorummet libris vidi, ut de contextu, phrasi oratoriâ, mysticâ applicatione aut sensu literali scopum scriptionis dignoscerem; alia, *an ita se haberent;* exploravi ex iis, qui datâ operâ Patrum ac Synodorum propria verba proposuerunt per Confessiones, Historias, aliásve Collectiones, quales sunt Confessio Hieronymiana Schultingii, Ambrosiana Nopelii, Thesaurus Catholicus Coccii, Dumesnilii, Natalis, Hauzerii &c.

VI. Siqua videbuntur acerbiùs dicta, quæ certè pauca erunt, illud, velim, consideret Febronius, quòd sui nominis & officii & ætatis occultatione scriptioni liberiori occasionem dederit, imprimis autem frequenti suâ intemperie, quâ non singulari homini, sed integris imputat Ordinibus, imprimis autem sanctissimo Ordini Episcoporum etiam in Conciliis generalibus postremis congregatorum, tum & Academiis & Religiosorum cœtibus ignorantiam, imprudentem credulitatem & servilem captationem favoris Pontificii. Cùm in hâc urbe & Archidiœcesi hæc à curiosis lectitari, palàm laudari, ex eo libro in consortiis quædam contra Rom. Ecclesiam nostri temporis oraculorum instar depromi, ab aliis reprehendi audirem, illud poëtæ incidebat:

Semper ego auditor tantùm? nunquámne reponam?

Natum ex Febroniani ingenii partu periculum perversionis Academicorum impellebat ad Apologiam novo systemati opponendam.

VII. Quanquam à contentiosâ scriptione semper abhorruerim, tacitus tolerare non potui, ejus libri autorem, ut nobis Heterodoxos conciliet, inter nos machinari scissuram; ab eo unâ ex parte constitui Romanos & quidem pessimis superbiæ, tyrannicæ dominationis, avaritiæ & assentationis coloribus deformatos, & Monachos & paucos alios aut per similia vitia aut per stupidam simplicitatem Romanis adglutinatos; ex aliâ autem oppositâ parte florentissimas in Ecclesiâ nationes, Eruditos innumeros meliori mente præditos, genuinarum traditionum custodes, libertatis nobili studio ad resistendum Romanis feliciùs comparatos; & has partes inter se committendo per intestinas discordias foris concordiam quærere, quam etsi & Papa & omnium Ordinum in Germaniâ Catholici optare non cessant, nec cessabunt, sperare tamen nondum incipiunt.

VIII. Hæc de scopo & ordine apologetici. Poëtico præcepto: *sæpè stylum vertas*, parere per occupationes non licuit. Si quid autem distractæ & festinanti exciderit alienum ab orthodoxiâ Romano-Catholicâ, aut quoquo modo displiciturum Rom. Pontifici,

juris-

Quem penes arbitrium est, & jus & norma loquendi
de rebus ad fidem & communem Ecclesiæ totius disciplinam spectantibus, jurisjurandi religione me obstrictum scio & profiteor ad revocandum & emendandum, quod infallibili ejus judicio corrigere jubebor:

Non ego perfidum
Dixi Sacramentum.

Etiam quidquid à quocunque comperero formam sanorum verborum non habere, aut à certâ autoritate historicâ deflectere, quod humanitus contingere potest invito, lubenti animo retractare non differam.



DISSER-

DISSERTATIO I.

DE
EXTERIORE FORMA REGIMINIS,
QUAM IN
ECCLESIA CHRISTUS DOMINUS
INSTITUIT.

§. I.

De Methodo ritè intelligendi, ac interpretandi textus sacræ Scripturæ, ad hanc præprimis materiam pertinentes.

1. *Febronius se Monarchiam sacram Rom. Pontificis dicit Scripturâ & Traditione impugnare contra Scholasticos.*
2. *Hos vocat Sophistas verbosos.*
3. C. Apostolicam Sedem de Presb. non bapt. *non favet Febronio.*
4. *Neque citata Synodus Senonensis.*
5. *B. Vincentii Lerinensis sententias de Sede Apostolicâ malâ fide prætermisit.*
6. *Inanis fiducia Febronii in consensu Magistrorum.*
7. *Heteroclitum ejus judicium de Theologiâ Scholasticâ ex Lud. de Gendre.*
8. *Theologiam Scholasticam contra Mart. Lutherum defendit Melchior Canus.*
9. *Philosophiæ qualis usus in Theologiâ.*
10. *Febronii objectio, ante methodum Scholasticam Ecclesiæ non defuisse media S. Scripturam interpretandi, & dogmata explicandi, refellitur.*

11. *Lanfranco, Abailardo & Gilberto Porretano perperam tribuit initia Theologiæ Scholasticæ.*

I. Prælium, cui longo sermone quasi quâdam velitatione præluserat, ità Febronius Jurisconsultus instaurat contra Monarchiam Papalem, ut ostendat se armis omnium orthodoxorum judicio validissimis, *Scripturâ, & Traditione*, illam debellaturum. Promiserat hoc; jam fidem datam liberare instituit; ideo conatur antè monstrare, quòd his armis ipse justè utatur, illi verò neutiquam, qui eandem defendunt; sibi videbatur juxta *Catholicam universalem intelligentiam tanquam Ecclesiæ terrestri præscriptam ab ipso Deo Regulam constanti, si non scribendi, certè agendi ratione à Ss. Patribus propositam* cogitare & scribere. Eos autem, qui sibi adversantur, putabat magis *ad ratiocinia dialectica, & umbratilem recentiorum Scholasticorum disputandi modum, quàm ad sensum universalem Ss. Patrum attendere*, & contra B. Vincentii Lerinensis admonitionem peccare, qui contra errorum anfractus tanquam certam normam post Propheras, Apostolos & Evangelistas ab omnibus observandum docuit eum, quem dixi, sensum universalem Patrum.

II. Hieronymianâ phrasi Febronius hos vocat *Sophistas verbosos*. In ipsâ hujus S. Doctoris ad Paulinum epistolâ Syntaxis verborum attendenda erat; dixerat: *Grammatici, Agricolæ, Fabri, Medici*, (addere poterat Jurisconsultos) *absque Doctore non possunt hoc esse, quòd cupiunt; sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant, hanc garrula anus, hanc delirus Senex, hanc Sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. Taceo de meî similibus* (Presbyteris) *qui si fortè ad Scripturas sanctas post sæculares literas venerint, & sermone composito aures mulserint populi, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant, ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus depravare sententias, & ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem.* Sic tunc loquebatur Hieronymus, dum de Sophistis verbosis mentio incidebat. An Febronium, an hos, qui de Primatu Pontificio aliud sentiunt, illa S. Doctoris censura feriat, ex dicendis apparebit.

III. Hoc mirum, quòd ille Innocentius III. quem alibi perstringit, quòd superbè se dixerit *Canonum Dominum*, jam *egregii Monitoris* laude mactetur, dum quosdam sui temporis Doctores Cremonenses, qui facto indicio certo, quendam Presbyterum tunc piè defunctum Sacramento Baptismatis nunquam initiatum fuisse, urgebant, ut Episcopus publicis pro eo peragendis precibus interdiceret, jussit non esse audiendos propter S. Ambrosii exemplum, & quædam S. Augustini verba in defuncti patrocinium producta. Si denuo idem contingat, audacter Febronius contrarium opinantes hâc Decretali retundat. Obsequatur Innocentio, sequatur Episcopum Cremonensem, qui

C. Apostolicam Sedem de Presb. non bap.

nec

nec exemplo Ambrosii Valentiniano Augusto catechumeno sacros honores funebres addicentis, nec verbis ex Augustini libro *de Civit. Dei* productis, dubium à Doctoribus excitatum intelligens peremptum, dum Romà Rescripta venerunt, didicit & docuit causam esse finitam; nec Sedem Apostolicam tantùm consuluit, sed & ei fecit obedire Cremonenses.

IV. Quisquis (verbis loquor Concilii Senonensis) *argumentum è S. Scripturâ pro arbitrio suo formatum*, & *in sententiam à se quomodolibet electam* etiam absque ullâ pertinaciâ *detortum* dixerit *validum*, *aut superbè contemptis Patrum & Conciliorum organis jactitaverit sibi à Spiritu sancto per particularem inspirationem omnia suggeri*, non Patribus tantùm Senonensibus, sed & Tridentinis, ac Pontificiâ auctoritate nobis præscriptæ formulæ Professionis Fidei temerè contradicit. Ad Patres tanquam Spiritûs S. internuncios, & Concilia tanquam ejusdem organa non ita docuit hæc Synodus attendendum esse, quasi duobus his mediis solis Spiritus S. utatur, disertè docet laudata Synodus: *Universos, qui aliter, quàm Romana credit, & docet Ecclesia, credere & pertinaciter asserere tentant, ejusdem Concilii auctoritate velut Hæreticos & pertinaces à communione fidelium declaramus separatos.* Contra Hæresim Lutheri ea Synodus erat collecta; si tantùm de Patribus & Conciliis generatim, nihil verò de Ecclesiæ Romanæ auctoritate statuisset, modicæ, imò nullius utilitatis fuisset ea conventio. Juravimus nos S. Scripturam interpretaturos *juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet S. Mater Ecclesia*, ac nos *Ecclesiam Romanam omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram* agnituros ex animo.

V. Tunc sequimur Catholicæ Apostolicæ Ecclesiæ *universitatem*, *antiquitatem*, *consensionem* conformiter monito Vincentiano, dum *Matrem* & *Magistram* sequimur Romanam, & vocem Pastoris, quem Dei providentia toti gregi præposuit, audimus. Tunc antiquitatis religio novitatis profanationi anteferetur, dum ad illam *principalitatem* convenitur, ad quam omnes non tantùm homines Catholicos, sed & omnes Ecclesias ex Irenæi sententiâ *convenire necesse est*. Imò ipse S. Vincentius Lerinensis, cujus verba omissis iis, quæ Sedem Apostolicam spectant, produxit Febronius*, viam indicat, quâ ad unitatem Fidei sit eundum: Ut cuique, quò est religiosior, eò promptiùs novellis adinventionibus contraeundum esse ostendat. *Ab Apostolicâ Sede sumam*, inquit, *exemplum*, *ut omnes luce clarâ videant*, *beatorum Apostolorum successio quantâ vi semper*, *quanto studio*, *quantâ contentione defenderit susceptæ semel Religionis integritatem? Quondam venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginensis Episcopus primus omnium mortalium contra divinum Canonem*, *contra sensum omnium Consacerdotum*, *contra morem atque instituta majorum rebaptizandum esse censebat; cùm undique cuncti contra novitatem reclamarent*, *tunc beatæ memoriæ Stephanus Apostolicæ Sedis Antistes cum cæteris quidem Collegis*, *sed tamen præ cæteris restitit; dignum*, *ùt opinor*, ex

* *citat. c. 32. pro c. 38.*

S. Vinc. Lerinens. gallus an. 434. scripsit l. adv. profanas hæreseon novationes, qui vulgò commonitorium dicitur. Vin. Ler. l. 1. c. 9.

existimans, si reliquos omnes tantùm fidei devotione vinceret, quantum loci autoritate superabat. Quis tunc universi negotii exitus? Retenta est antiquitas, explosa novitas. * *Sed fortè tunc novitiæ adinventioni patrocinia defuerunt? Imò verò tanta vis ingenii, tanta eloquentiæ flumina, tantus adsertorum numerus, tanta veri similitudo, tanta divinæ legis oracula, sed planè novo ac malo more intellecta, ut mihi omnis ista conspiratio nullo modo destrui potuisse videatur, nisi solam tanti moliminis causam ipsa illa suscepta, ipsa defensa, ipsa laudata novitatis professio destituisset. Postremò ipsius Africani Concilii quæ vires? Donante Deo nullæ, sed universa tanquam somnia, tanquam fabulæ, tanquam superflua abolita, antiquata, calcata sunt.* Commonitorium si Febronio lubuisset inspicere, occurrissent, tum hæc jam dicta, tum & illa, quæ de Concilio Ephesino, fermè triennio antè (ut ipse dicit) celebrato commemorat; *in eo* (inquit) *Alexandrinorum Ss. Antistitum, Petri, Athanasii, Theophili, & Cyrilli tunc viventis, & Ss. Episcoporum Cappadocum Gregorii, & Basilii testimonia lecta, & Ss. Pontificum Felicis, & Julii, & ut non solum caput orbis, verùm etiam latera illi judicio testimonium perbiberent, adhibitus est*, inquit, *à meridie Beatissimus Cyprianus, à Septentrione S. Ambrosius. Ne quid tantæ plenitudini deesse videretur, geminam, inquit, adjicimus auctoritatem Apostolicæ Sedis: Xystus*, inquit, *qui nunc Romanam Ecclesiam venerandus illustrat, scribit: nihil liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati, perspicua Majorum fides nullâ cæni permixtione turbetur. Omnino Apostolicè. Sed & Papa Cælestinus pari sententiâ Gallorum Sacerdotibus objicit conniventiam, quòd antiquam fidem silentio destituentes, profanas novitates exurgere paterentur. Meritò*, inquit, *causa nos respicit, si silentio foveamus errorem. Desinat, si ita res est, novitas incessere vetustatem. Quibus Apostolicis, Catholicisque Decretis quisquis refragatur, insultet primùm omnium necesse est memoriæ B. Cælestini, deinde irrideat definita B. Xysti, sed & B. Cyrilli statuta, Ephesinam quoque Synodum, id est, totius penè Orientis judicata proculcet. Si neque Apostolica definita, neque Ecclesiastica Decreta temeranda sunt, necesse est profectò omnibus deinceps Catholicis, qui se Ecclesiæ Matris legitimos filios probare student, ut sanctæ Ss. Patrum fidei adglutinentur, immoriantur.* Ecce Febroni Vincentiani Commonitorii & verba, & sententiam.

* Idem c. 10. Common.

Idem c. 42. & 43. Common.

VI. Multorum atque magnorum consentientes sibi sententias Magistrorum se habere confidit Febronius, atqui idem non perperam Policrates, & Cyprianus se habere gloriabantur. Jactitabat eadem etiam hoc nostro sæculo Paschasius Quesnellus, dum Episcopos nec parvos, nec omnino paucos suæ novitatis profanitati præter non unam Academiam faventes numerabat; in Actis impressis & numerus & tituli & nomina orbi literato celeberrima recitantur, neque illi eloquentia defuit, quâ, quantùm verbis fieri potuit, illi, qui Bullæ Pontificiæ obediendum docebant, deprimerentur; neque omisit

ad

ad antiquitatis religionem vehementissimis contra Pontificias novationes in futuro tali, quale ipse distorto suo ingenio comminiscebatur, Generali Concilio libero, quale ad extremum longævæ vitæ suæ terminum in mentis obstinatione persistens nunquam desiit, corrigendas, damnandas. Videndum, quæ sit illa *traditio*, quam *ex usu constanti*, *ex uniformi disciplina*, *ex diutinâ multorum sæculorum observantiâ erutam* suo systemati omnino credit suffragari tantâ cum certitudine, ut quidquid verborum ex Ss. Patrum libris ad contrarium probandum affertur, dicat non nisi in speciem repugnare, tantúmque adscribi debere tum æstui disputantium, tum vitio nostri sæculi, quod *rixosum* vocat, etsi præter Anticonstitutionistarum turbas dissidium alius novum, & anterioribus sæculis incognitum non protulit, quàm quod nunc libro Febronii suscitatum esse dolent omnes, quotquot veram Catholicorum in Germaniâ pacem votis non fictis desiderant.

VII. Animadvertendum restat, quod de Theologiâ dogmaticâ & Scholasticâ Febronius indicat observandum. Ut ideam à se de Papatu conceptam feliciùs imprimat Lectoribus, censuit methodum Scholasticam Theologiæ talibus antea coloribus depingendam, ut invisam ac odiosam efficiat: prætermissâ eorum librorum inspectione, ex quibus justum de illa methodo Theologiam tractandi judicium formare potuisset, lubentissimè unico gallicè scripto tractatui cujusdam Ludovici Le Gendre acquievit: Juvat, inquit, ad noscendam Theologiæ Scholasticæ positivæ, seu dogmaticæ differentiam *ex Ludovici le Gendre tractatu relationem præsenti nostro instituto opprime convenientem adoptare.* Quid verò ille? Theologia antiqua in eo tota erat, ut Scriptura & traditio bene exponerentur; satis erat dogmata ex Scripturis & Ss. Patrum libris probari. Berengarii superbia, & Lanfranci contra eum disputantis zelotypia pepererunt Theologiam Scholasticam, pressus ille sententiis Scripturarum ad sophismata & distinctiones Logicæ Aristotelicæ animum applicuit, sperans his armis se fore victorem, certò succubiturus, si aliis, quibus prævalebat Lanfrancus, pugnare pergeret. Lanfrancus, & qui eidem suppetias afferebant, malè habentes ab auditoribus Berengario ob ingenii subtilioris novas artes applaudi, statim & ipsi non in eo tantùm, quod tunc inter disputantes tractabatur, argumento, sed & quibuscunque aliis dogmatibus fidei disputationes eâdem, qua Berengarius, methodo instaurârunt. Additur horum vestigiis eâ ætate instituisse Abailardum, & Gilbertum Porretanum, quorum errores constat Ecclesiæ judicio fuisse damnatos. S. Thomas Aquinas arguitur, quòd nimis frequenter ad probanda & explicanda fidei dogmata Aristotelem loqui faciat. Scholasticæ jam adultioris illud esse incommodum, quòd Scripturæ, Traditionis, Doctrinæ Patrum & Historiæ, & politioris literaturæ neglectus inducatur. Eos, qui methodum aliquam dogmata ex fontibus jam laudatis probandi retinendam censuêre, Scholasticis impegisse notam hæreseos, aut saltem talium

 errorum,

errorum, ut de hæresi suspecti habeantur, hos vicissim illis ludibrii causâ affricuisse turpis ignorantiæ notam, quòd tantùm Biblia sciant, & à nullo Sophismate expedire se valeant, ideóque contemptius nomen reperire nequiisse, quàm titulum Doctoris Biblici. Biblicos inter & Sophistas ex suo Ludovico le Gendre dicit Febronius diu acriter fuisse disceptatum, sed Sophistas prævaluisse tandem, neque aliam à 5. aut 6. Sæculis Theologiam esse traditam, quàm illam, quæ omissis omnibus justæ probationis in materiâ dogmaticâ subsidiis solâ dialecticâ utitur. Hoc totum, hoc solum est, quod de Theologiâ Scholasticâ scivit, aut voluit transcribere, & tanquam suo instituto apprime conveniens adoptare Febronius, ut notionem Theologiæ Scholasticæ talis, qualem ipse suâ præsensione concepit, exhibeat, nisi quòd his similia, imò graviora dicat authores historiæ literariæ gallicæ de methodo utraque memorare. Quàm verò iniquum hoc sit ratiocinium, facilè omnes intelligent, qui attenderint nullum genus disciplinæ, aut artis ex iis, qui imperitè eam tractant, quod non artis, sed personarum est vitium, justè taxari.

Ulenb. * *Hist. de Vita & rebus gest. Mart. Luth. c. 1. n. 5.*

VIII. De Luthero Biographus Ulenbergius * memorat, statim post susceptum anno ætatis 29. Wittebergæ Doctoratum, sui fiduciâ elatum carpere cœpisse S. Thomam, aliósque Scholæ Doctores, quasi quodam tragicæ scenæ aliquot post annis secutæ præludio: Duo eum stratagementa callidè admovisse, primò quòd sinceram Evangelii doctrinam per Sophistas obscuratam, & in locum Christi Prophetarum, & Apostolorum subinductos jactaverit à Scholasticis Aristotelem, aliósque Gentiles, ut Sanctis primorum sæculorum Patribus ablata restituatur authoritas, Scholasticorum deliria esse explodenda, eliminanda. Alterum stratagema hoc erat, quòd linguarum Græcæ, Hebraicæ, ac elegantioris literaturæ studia Scholasticis Scriptoribus Alberto, Thomæ, Alensi, Scoto, Durando, aliísque ignota commendârit, ut hispidi eorum styli barbariem fugitando, methodus Scholastica proscriberetur. Siquidem talis Abbatis Sancyrani post damnatas Jansenii propositiones erat sententia. Theologiam Scholasticam, quæ traditur, vocabat *doctrinam perniciosam; S. Thomam* ajebat *veram Theologiam perdidisse adductis in eam humanis rationibus, in Concilio Tridentino præcipuas fuisse partes Papæ & Scholasticorum, neque esse verum Concilium, nec fidem ejus decisionibus habendam.*

Cath. discept. de Eccl. præ. temp. Paris. impres. an. 1650.

Prima Ecclesiæ tempora & primi Doctores ex Febronii sententiâ sunt attendendi, copiosa profert exempla S. Hieronymus epist. ad Magnum, quæ ostendunt præcipuos Ecclesiæ Christianæ Vindices non è solâ Scripturâ & traditione, sed & philosophicis ratiociniis dogmata Catholica etiam contra eos, qui autoritatem Scripturarum & traditionum non respuebant, propugnâsse, multis Græcorum Doctorum pro merito laudatis inquit: *qui omnes in tantum Philosophorum sententiis atque doctrinis suos referciunt libros, ut nescias, quid in illis primùm admirari debeas, Eruditionem sæculi, an scientiam Scripturarum.* Pergit idem ostendere in latinis: *nec prava*, inquit, *opi-*

nione

stione fallaris, contra gentes hoc esse licitum, in aliis disputationibus dissimulandum, quia omnes pene omnium libri eruditionis doctrinæque plenissimi sunt. Melchior Canus præ Ludovico le Gendre inspiciendus erat, ad præconcepti de Scholasticis judicii falsitatem intelligendam ostendit: *Miseram esse Scholæ doctrinam, quæ detractâ Scripturæ sacræ authoritate syllogismis contortis de rebus divinis philosophatur, intelligo*, inquit, *Theologos quosdam, quos adscriptitios vocat, frivolis argumentis, & vanis invalidisque ratiunculis quæstiones absolvisse, & Commentaria vix lucubratione aniculârum digna edidisse, cùm in his*, pergit, *S. Bibliorum testimonia rarissima; Conciliorum mentio nulla; nihil ex antiquis Patribus oleant; nihil ne ex gravi Philosophiâ quidem; Scholastici tamen, si Superis placet, Theologi vocantur, nec Scholastici dicendi, nedum Theologi, qui sophismatum fæces in Scholas inferentes ad risum viros doctos concitant, delicatiores ad contemtum. Intelligo etiam in Scholâ fuisse nonnullos, qui tum optimè disseruisse se putant, cùm contra Doctores dixerint, ut non tam verum invenire velle videantur, quàm adversarios convincere, & rixis chartas implere, quorum disputatio tota partium studium est, contentio atque dissidium, quos ego probare nec debeo, nec possum.* Laudat Ciceronis dictum: *Cum pertinaciâ rectè disputari non potest*, & illud: *Altercando veritas amittitur.* Minimè verò iis assentitur Canus, qui ex disputationibus Scholasticorum ortam volunt pertinaciam, irritationémque omnia scalpendi, *istiusmodi malorum*, ait, *in moribus est culpa, non in Scholâ; moderati omnia sobriè, temperantérque definiunt; fuêre autem in Scholâ sinè dubio multi, qui iis vitiis declinatis rem theologicam graviter modestéque tractârunt. Propter paucorum vitia non omnes traducendi; nemo prudens universos adolescentes incusat, quoniam libido non est omnium, sed non proborum.*

Melch. Can. Lib. 8. de Aut. Doc. Schol. cap. 1.

IX. Quòd verò Theologi Philosophiâ bene utantur, imò hæc iis necessaria sit, docet, ostendit Patrum & celebrium antiquioris Ecclesiæ Doctorum exemplis Lib. 10. de Phil. auth. c. 3. Memorat Epiphanium, etiam dum Christianos instruebat, & cum Hæreticis certabat, Philosophorum testimonia retulisse. Idem de Hieronymo, Augustino, aliis; atque hos in eo Apostoli exemplum secutos fuisse, qui Epimenidis Philosophi sententiam cum laude citavit Corinthiis. Quantùm verò Scholastici Doctores tribuant ratiocinio ad leges dialecticas efformato in materiâ dogmatum, ex ipso Thomâ Aquinate discimus: *Argumentari*, inquit, *ex authoritate est maximè proprium hujus doctrinæ* (Theologiæ) *eò quòd præcipuæ hujus doctrinæ per revelationem habeantur, & sic oportet, quòd credatur authoritati eorum, quibus revelatio facta est. Nec hoc derogat dignitati hujus doctrinæ, nam licèt locus ab authoritate, quæ fundatur super ratione humanâ, sit infirmissimus, locus tamen ab authoritate, quæ fundatur super revelatione, est efficacissimus.* Ratio autem humana de rebus ad fidem & mores spectantibus potest aptè, ineptè- L. 9. c. 5.

que differere. *Stultæ & finè disciplina quæstiones* ad Theologiam Scholasticam non pertinent, *ego* (ait Dominus) *sum Deus tuus docens te utilia.*

X. At reponet Febronius, etsi Theologorum pars melior multa resecanda resecuit, nihil utilitatis prudenter expectari ex illâ, quam Scholastici æternam cupiunt, conjunctione utriusque disciplinæ, cùm in omnibus retro sæculis ad commentandum loca S. Scripturæ, & dijudicandum quæstiones capitales Religionis inveniri debuerint, inventáque sint monumenta Divini Institutoris mentem & sensum interpretantia. Responderi potest, ante Hugonem Grotium, qui materiam de bello & pace doctissimè ad certam disciplinæ formam coaptavit, *manus Davidis*, aliorúmque Regum à Deo fuisse *doctas ad prælium, eósque coiisse in fœdera.* Ante Puffendorffium, aliósque naturæ jus & præcepta fuisse cognita, non ideo eos à Febronio reprehendi, quòd certam eò spectantia cognoscendi methodum formaverint. Jam olim Clemens Alexand. in suis Stromatibus docuit, hoc Theologis à Philosophiâ commodum accedere, quòd apti per illam fiant ad convincendum eos, qui philosophicis rationibus & sophisticis argutiis dogmata orthodoxa impugnant (quod tribus quatuórve capitulis Lanfrancus, multò pluribus articulis Aquinas præstitit) nisì enim ars eos refutandi satis perspecta sit, sanæ rationis judicio tanquam ἄλογον damnari credetur, quod Catholici Scripturæ, aut traditioni docent inniti, notiora sunt Heterodoxorum nostri temporis de Eucharisticâ præsentiâ Christi argumenta à controversiarum tractatoribus elisa & refutata, quàm ut necesse sit his perstringendis inhærere. Certè cùm Grammaticam, Rhetoricam & historiam ad politè, eleganter, & doctè quæstiones Theologiæ tractandum vel ipse Febronius requirat, magis quærenda erit ea disciplina, ex quâ solidum, ad obmotas difficultates tollendas accommodum responsum haurietur. At ipse Thomas Mysteria Fidei & quidem nimis frequenter ex Aristotele probavit. Quæ verò illa & ubinam? audi, quisquis es, hæc ejus Principis Scholasticorum Doctoris Angelici verba: *utitur tamen sacra doctrina etiam ratione humanâ; non quidem* (advertatur attentè) *ad probandam fidem, quia per hoc tolleretur meritum fidei, sed ad manifestandum aliqua alia, quæ traduntur in hac doctrinâ, cùm enim gratia non tollat naturam, sed perficiat, oportet, quòd naturalis ratio subserviat fidei, unde & Apostolus dicit: in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & inde est, quòd etiam authoritatibus Philosophorum sacra doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem cognoscere potuerunt. Sed tamen his utitur tanquam extraneis argumentis & probationibus, innititur enim revelationi Apostolicæ & Prophetis factæ.*

S. Th. 1. p. q. 1. a. 8.

XI. Quæ de Lanfranco & tribus doctrinæ damnatæ authoribus afferuntur, adeò ab omni specie veri aliena sunt, ut confutari minimè necesse sit. An Photinus, Nestorius, Pelagius, Priscillianus ingenio & doctrinâ, & eloquio à naturâ benignè donati sophisticis argutiis (dum justis armis non porant)

rant) pro ſuis erroribus præliati illud monſtrum Theologiæ Scholaſticæ in Orientali Eccleſiâ contentionum theologicarum fœcundiſſimâ generare non poterant? Sic viſum Febronio, aſſerendam non eſſe tantam huic partui antiquitatem, nempe in fatis erat ejus natales obſcuriori Sæculo XI. ſervare. At ſolus non erat Berengarius; eum Abailardus & Gilbertus imitati ſunt; Lanfrancus de doctrinâ non ſuſpectus Pontificiæ Sedi, plauſibus Berengario factis invidens, & popularium plauſuum petitor hoſtem hac methodo cœpit æmulari. Hem! ille Lanfrancus ex Abbate Beccenſi Cantuarienſium Archiepiſcopus, cujus ingenium, zelúmque eruditi ejus ætatis prædicant, victum à Guitmundo & Adelmanno Berengarium tenuis judicii & eruditionis hominem fœdè relapſum diffidens argumentis, quæ Theologia illa vetus in id uſque tempus ſuggeſſerat, ſophiſticis argutiis renovare debuit certamen? Credat Juriſconſultus; nemini certè Theologo Scholæ, quæ nunc eſt, illud idoneis teſtimoniis probabitur; bellè admodum ajebat laudatus Stromatographus Clem. Alex.: *quâ fronte de his ſententiam ferimus, quæ perſpecta & cognita non habemus*? De barbarie Scholaſticorum perinde ùt de ſophiſmatibus memorare deſinat, aut Scholaſtico hoc dilemmate ſe à Scholaſticis conveniri ſuſtineat: vel omnes Scholaſtici ſunt barbari, vel aliqui, ſi omnes; eâdem ſententiâ percellendi ſunt Catharinus, Canus, Valentia, aliíque minimè pauci, ut de noſtri ſæculi Theologis non loquar. Si aliqui, ùtùt multi, contra legem Ariſtotelis vehementer peccat hoc ratiocinium, quod communi opprobrio innoxios convolvit, & inter Sophiſtam barbarum Ariſtotelis regno, quæ Lutheri phraſis erat, ſervientem ac Theologum Scholaſticum non diſtinguit, ſicut Michaël Cærularius omnibus latinis barbariem, ruſticitatem, imperitiam græco faſtu exprobrabat.

§. II.

Patrum ſententiæ de verbis Math. XVI. Quæ ſit communior eorum interpretatio?

1. *Exegeſis Februniana in textum Math. XVI. & illationes.*
2. *Quibus figuris præſignificata ſit Eccleſia Chriſti.*
3. *Chriſtus aſſumpſit Cooperatores per typum piſcationis & meſſis.*
4. *Præcipua dogmata novæ legis præſignificavit Chriſtus poſt figuras & prædictiones Propheticas.*
5. *Quare Petrum elegerit præ Andreâ & Joanne ad regendam Eccleſiam.*
6. *Oſtenditur Chriſtum aliquid ſingulare dediſſe Petro ex Iſaiæ Cap.* 22.
7. *Explicatur, quare Petrus ſingulariter ſit fundamentum Eccleſiæ.*
8. *Contraria criſis Febronii refellitur.*
9. *Oſtenditur inter voces Chriſti:* Petrus & Petra *non eſſe differentiam in textu primitivo.*

10.

10. *Christus non fecit meram nominis mutationem.*
11. *Illatio Febroniana refellitur.*
12. *Ostenditur, quomodo Sacerdotes & Episcopi immediatè sint Christo subjecti.*
13. Super Petrum, & super fidem Petri fundatam esse Ecclesiam, *idem est.*
14. *Utrumque loquendi modum assumpserunt S. Chrysostomus & Cyprianus.*
15. *Ostenditur, non in sensu literali, sed mystico S. Augustinum verba Christi ad Petrum loc. cit. explicâsse.*
16. *Mens Ss. Augustini & Thomæ Aquinatis de probatione petitâ ex sensu mystico.*
17. *Diversa significatio vocis*: Fundamentum.
18. *In Ss. Patrum sententiis attendendum, an ex proposito, an incidenter aliquid proferant.*
19. *Explicatio verborum Math. XVI. quòd Petrus nomine omnium responderit, examinatur.*
20. *Regula exegetica:* à proprietate verborum in explicatione historicâ recedendum non est, nisi absurda & falsa sequantur
21. *Tituli*: Pastor. Magister. *Quomodo tribuantur Christo & Discipulis.*
22. *Quomodo omnes Apostoli:* Lux mundi. Sal terræ. Judices tribuum Israël *vocentur.*
23. *Quæ fuerint Apostolis communia, quid Petro proprium.*
24. *Titulus* Pastoris *Christo proprius communicatur Petro.*
25. *Titulus*: Habens clavem domûs David. *Christo proprius communicatur Petro.*
26. *Febronius affert textum allegoricum Origenis.*
27. *Verba S. Hieronymi expenduntur*
28. *S. Augustinus non patrocinatur Febronio,*
29. *Nec S. Leo Papa,*
30. *Nec Theophilactus,*
31. *Nec S. Eucherius Lugdunensis,*
32. *Nec Paschasius Rathbertus,*
33. *Nec Hincmarus, nec Odo, nec Petrus Blæsensis,*
34. *Nec sententia S. Augustini à Gratiano producta.*
35. *Expenditur textus S. Cypriani productus à Gratiano.*
36. *Et auctoritas Anacleti à Gratiano citata ex Isidoricis Decretalibus.*
37. *Examinatur sententia Cajetani citati à Febronio.*
38. *Verba*: Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, *Canus explicat ex Origene.*
39. *Febronius iterum ad sensum mysticum confugit producendo textus ex sermonibus S. Leonis.*
40. *Quis sensus verborum de solicitudine omnium Ecclesiarum.*

41. *Quid post productas tres classes SS. Patrum subjungat Febronius.*
42. *Malè omisit classem eorum SS. Patrum, qui seorsim S. Petro tribuunt verba Christi*, super. hanc Petram &c.
43. *Ecclesiæ regimen Christus voluit indivisum & monarchicum.*
44. *Paradoxa Febroniana de paritate Petri & aliorum.*
45. *Spiritum S. & munus docendi etiam dedit Christus Sacerdotibus, non tamen ideo pares sunt Episcopis.*

I. Exegeseos biblicæ Febronius Jurisconsultus specimen daturus, quo suam de Papatu ideam suffulciat, sacrum textum recitat, qui, inquit, *primus omnium ad Ecclesiastici regiminis formam determinandam ponderandus venit.* Est autem ille, quo Christi gemina interrogatio proponitur: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Et, dum Discipuli responderunt: *Alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex Prophetis*, secuta statim hæc altera: *Quem autem vos me dicitis* Cui nihil cunctatus Petrus respondit: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Quâ confessione coram omnibus factâ declaravit Christus eam cognitionem non esse naturali lumine aut sensuum virtute perceptam, sed revelatione Patris æterni suggestam, beatúmque illum prædicat, quòd revelationem non spreverit, sed in Patris æterni revelantis obsequium sublimi huic veritati intellectum subjecerit. Laudi remunerationem addidit insigni hâc promissione: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, & tibi dabo claves regni Cælorum, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Inde, inquit Febronius, *Romani, eorúmque fautores concludunt, quòd S. Petrus sit lapis fundamentalis Ecclesiæ, ei soli datæ sint claves Ecclesiæ*; inferunt, *per hunc in reliquos Apostolos omnem sacram authoritatem dimanare*, & *quod de Petro & Apostolis concludunt, illud ipsum omnibus S. Petri in Romanâ Sede Successoribus applicari*, quòd ab his ad omnium terrarum Episcopos *sacra authoritas diffundatur;* utramque hanc illationem à Patrum & universalis Ecclesiæ sensu dicit alienam. Argumenta, quibus hoc demonstrare conatur, antequam expendantur, de institutâ in terris à Christo Ecclesiâ quædam consideranda sunt.

II. Ecclesiam Christi Prophetæ geminâ figurâ *regni* & *domûs* præsignificârunt. Vidit Daniel *Filio hominis Christo datam potestatem & honorem & regnum*, Dan. 7
potestas ejus, inquit, *potestas æterna, & regnum, quod non corrumpetur.* Vidit Michæas *montem domûs Domini in vertice montium, & fluent*, inquit, Isa. 22.
ad eum omnes gentes. Christum vidit Propheta *habentem clavem domûs David, qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit.* Veterum prædictiones Prophetia propinquior est secuta. Angelus ait ad Mariam de Christo: *regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Per parabolas ipse Dominus Ecclesiam suam sæpè *regnum Cælorum* vocat, in Apoc. 3. Luc. 1.

 quo

quo boni & mali colligentur. Eam indicat parabola *domûs firmiter ædificatæ, quam venti & imbres subvertere nunquam poterunt.*

III. Ut futurorum temporum conditioni prospiceret, ipse quanquam hominum auxilio non indigens, aliquos sibi cooperatores se assumpturum prænuntiavit primò sub schemate piscationis: *faciam vos fieri piscatores hominum.* Postea sub figurâ *messis & operariorum*: *rogate*, inquit, *dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Assumpsit duodecim, quos legatione suâ functuros *Apostolos* nominavit, sed tunc vetabantur *abire in viam gentium*, ut solis Judæis viam salutis ostenderent.

IV. Omnes ei regno subjiciendos conformiter Prophetarum signis, & oraculis, propinquiori vaticinio per baptismum Joannis & per Nicodemi instructionem docuit alio à se instituendo baptismo mundandos esse ab inquinamentis & sordibus peccati. Olim indicatum per *manna & aquam fluentem de petrâ* Eucharisticum convivium, per panes in deserto divinâ virtute multiplicandos propinquiùs præmonstravit, vitámque æternam hunc panem manducaturis promisit, *quem*, ait, *ego dabo vobis.* Hoc mirabili nexu vetera novis Dominus conjunxit & in extremo vitæ suæ mortalis triennio promisit ea, quæ in termino vitæ suæ, & post resurrectionem erat completurus in Jerusalem, & toto orbe terrarum. Eâdem suâ providentiâ formam *regni sui æterni*, & *domûs* à se præparandæ gubernationem se ordinaturum promisit primò per Prophetas, denique ipsemet verbis & signis, qualem œconomiam infinitâ suâ sapientiâ disposuerit, prænuntiavit, antequam opere ipso compleret. Spiritum S. promisit ipse, dedit autem postea. Gentes ad Ecclesiam aggregandas prædixit per Prophetas, tum suopte vaticinio, & mulierem de finibus Tyri sanando, monstravit gentium conversionem. Talis erat illa propinqua præsignificatio potestatis, quam & olim per summum Pontificem Judaicæ legis ostendi fecerat, & nunc suâ promissione se proximè imperititurum declaravit. Ipse usque ad consummationem sæculi apud nos divinâ virtute, & Eucharisticâ non aspectabili sui divini corporis præsentiâ mansurus visibilem promisit pastorem, qui vicariâ cum potestate regeret mortales in fidei unitate, conjunctos mortalis ipse, ut attemperatâ hominum infirmitati conditione regiminis homines homini subessent, & ipse circumdatus infirmitate pro suis & populi peccatis condolentior esset interventor.

V. Etiam ut formam facto suo præscriberet, qualis præficiendus, non Andream vocatione primum, non Joannem sibi prædilectum, & cognatione propinquum, sed Petrum eligit in compensationem promptæ obedientiæ, quâ revelationi credidit, & quod internâ inspiratione didicerat, palam omnibus enuntiavit.

VI. Hoc his verbis ad nos per Evangelium transmissis ita elocutus est Dominus, ut singulare aliquid ipsi datum intelligamus, qui ob singularem suam confessionem præ cæteris merebatur ore divino laudari; hoc verbo-

rum

rum junctura postulat, nam illo virtutis actu laudato, dixit: *& ego dico tibi* &c. Sobnæ præposito templi ob ejus superbiam jussu Domini dicit Propheta: *Isaj. 22.* *expellam te de statione tuâ, & de ministerio tuo deponam te.* Eliacimo autem: *dabo clavem domûs David super humerum ejus, aperiet, & nemo erit, qui claudet, claudet, & nemo erit, qui aperiet.* Nemo est, qui non advertat merita Eliacimi tam insigni mercede fuisse compensata. Quid verò aliud ex analogâ Christi locutione colligatur? Depositio Sobnæ est merces peccati; Eliacimum ei substitui, & per claves significatam summam potestatem accipere, est merces virtutis; quidni idem de Petro censeatur? Si autem hìc merces compensatæ virtutis intelligatur, frustra Febronius consumit operam, dum Romanis, eorúmque fautoribus heteroclitam hujus textûs interpretationem imputat.

VII. Facile erat videre, quo sensu Christus sit solus *fundamentum.* S. Augustinus in ait: *Quemadmodum apertè Christus Sanctus Sanctorum,* *S. Aug. in Ps. 86.* *ità figuratè fundamentum fundamentorum est. Fundamentum nemo potest ponere præter id, quod positum est, Christus Jesus.* Pergit S. Doctor, *quare* *1. Cor. 3.* *sunt fundamenta Apostoli & Prophetæ? quia eorum authoritas portat infirmitatem nostram.* At verò quare Petrus præ cæteris fundamentum dici possit, docet idem S. Doct. dum ait: *Petrum fundamentum Ecclesiæ* *S. Aug. in serm. 15. de Sanctis.* *Dominus nominavit, & ideo dignè fundamentum hoc Ecclesia colit, supra quod Ecclesiastici ædificii altitudo consurgit.* S. Ambrosius de fide Petri ajebat: *Petra dicitur, eò quòd primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis christiani compagem,* *S. Amb. serm. 47.* *molémque contineat.* S. Gregorius Nazianz. in Orat. de moderat. ait: *Vides; quemadmodum ex Christi Discipulis magnis utique omnibus, atque electione dignis hic Petrus petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta* (reliquos Apostolos) *fidei suæ credita habeat.*

VIII. Iniqua igitur est crisis Febronii, dum Petro dicit perperam tribui specialem appellationem *lapidis fundamentalis.* Addit quidem: solum S. Petrum, ejúsque in Romanâ Ecclesiâ Successores esse lapides fundamentales. Sed suopte, ùt solet, arbitrio; non enim hæc tralatitia appellatio ultra Ecclesiæ Catholicæ primam ædificationem se porrigit.

IX. Quanquam latinus interpres ita verterit: tu es Petrus, & super hanc Petram & græcus: σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ. & germanus: du bist Petrus und auf diesen Felsen, certum est tamen primitivo Christi eloquio non fieri discrimen, quod ab alterâ tanquam primitivâ derivativam alteram, ùt grammatici loquuntur, innuat, cùm vox *cephas*, quæ saxum, seu rupem, aut petram indicat, bis repetita sit, quod Sfondratus in Regal. Sacerd. ex versionibus *Sfond. Lib. 2. §. 4.* hebraicâ Munsteri, Syriacâ, Armenicâ, Arabicâ, Æthiopicâ, Persicâ demonstrat, imò in epistolis Pauli ad Corinthios & Galatas latinus interpres vocem: *cephas* frequenter retinuit.

X. Si autem nomina *Abraham*, *Jesus* id significarunt, quod Deus illa nomina imponendo per ea significare voluit, quare dum novum Simoni filio Jonæ nomen imposuit, sicut Joannis I. se facturum propinquâ præsignificatione, nullam tunc explicationem addendo promiserat, quomodo poterit sinè temeritate quisquam sentire, nihil Dominum voluisse, nisi meram nominis mutationem, præsertim dum Discipuli adhuc memores erant parabolæ de *viro sapiente ædificante super firmam petram*, & *stulto ædificante super arenam*, & jam Ecclesiæ institutio sub schemate *domûs ædificandæ* proponitur?

Math. 7.

XI. At sequetur, inquit Febronius, in Episcopos à Papâ, quidquid est sacræ potestatis, profluere, imo & à Petro in Apostolos dimanâsse. Miserum est sophisticas argutias incessere, & tamen, dum præconceptis ideis utiles sunt, his se involvere. Accipe, quæ sit Catholicorum Theologorum sententia: quidquid ad exercitium ordinis seu Episcopalis, seu Sacerdotalis pertinet, ἀμέσως à Christo est; pro Christo, non pro Papâ legatione funguntur, qui Sacramenta fidelibus administrant, at verò per homines, ad quos eligendi munus pertinet, Papalis potestas tali homini secundùm Ecclesiæ regulas applicatur: Episcoporum potestas iis hominibus per consecrationem fit propria, quos Papa perspectis iis, quæ fidem, scientiam, merita, electionem spectant, judicaverit ad cathedram episcopalem elevandos. Potestas Sacerdotum, qui minoribus titulis præficiuntur, iis conceditur per Episcopum, quibus ea cognoverint non deesse, quæ ad munus illud exiguntur.

XII. Hi, quibus Episcopus per mysticam χειροτονίαν tribuit sanctum Sacerdotium, hoc ritè, ùt oportet, impetrato Christum repræsentant immediatè, dum Sacrificium peragunt; Episcopi interest providere, ut citò *candelabrum ejus de loco moveatur*, qui incipit servire iniquitati, & perniciem infert animabus, atque ita nedum prima initiatio, sed & continuatio ministerii pastoralis, imò S. Sacerdotii est, & manebit Episcopo subjecta. Idem esto de Episcopis judicium, cùm expediat, esse in Ecclesiâ visibili hominem, qui, ratione sui sanctissimi muneris, officia, seu sanam fidei doctrinam, seu morum disciplinam spectantia curare negligentes, aut perfidè recusantes vel emendet, vel à statione dimoveat; modus corrigendi Episcopos, qualem S. Joannes in Asiâ exercebat, in Apocalypsi ejusdem descriptus nec erat universalis, nec perpetuus; ideo necesse erat aut omnium Episcoporum peccata episcopalia per Dei providentiam impediri, aut constitui locum, & hominem, ad quem querelæ populorum deferantur. Hæc pleniùs alibi. Nunc id unum volo, immediatè in Sacerdotes, Pastores, & Episcopos sacram potestatem derivari, dum ea juxta Christi Pontificis æterni voluntatem est data, & non impeditur canonico impedimento; intermediâ autem potestate opus esse, ut exercitium sacri ministerii observetur, an rectè seu unus, seu pauci, seu multi Episcopi eâdem utantur, an verò ad destructionem.

XIII. Expendenda restat afferta illa varietas interpretationis, quam Ss. Patri-

Patribus tribuit Febronius. Post sex Patres, inter quos Papa Gregorius M. connumeratur, dicit adhuc alios ab eruditis laudari saltem 35. tum addit sex summos Pontifices ex Natali Alexandro. Ad quid probandum tanti agminis citatio? Hi, inquit, per Petrum intelligunt fidem seu confessionem Petri. Duas ponit ex Missali Romano orationes, quarum altera dicit: *Beato Petro collatis clavibus regni cælestis ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti*, altera: *quos in Apostolicæ confessionis petrâ solidâsti.* Quanquam agnoscat alteram alteri nullatenus repugnare, paradoxâ tamen illatione concludit: *videtur esse doctrina Ecclesiæ, ut hæc non supra Petrum, sed supra Petri confessionem fundata credatur.* Citat verba Papæ Cœlestini: *legem credendi statuit lex supplicandi*, quanquam priora non minùs, quàm posteriora verba sint Ecclesiæ supplicantis. Quis non hic iterum abnorme Febronii ratiocinium, illationes sophisticas & paralogismos arguat? quid discriminis est inter hæc: virtutem aut merita alicujus à Rege compensari; ac heroëm, seu hominem virtutibus præcellentem, aut præclarè meritum compensari propter virtutes, seu merita? Dicat quis cum S. Hieronymo: *mercedem recepit vera confessio*; seu cum S. Cyrillo: *remunerationem Petrus reportavit*; verbis grammaticè distinctis omnino eadem est significatio. Scholasticus Theologus ita ratiocinari posset. Inter duo, quorum alterum alteri neutiquam repugnat, & quorum utrumque Ecclesia docet exprimere per orationes publicas, non obligat lex credendi ad alterutrum tanquam ad Ecclesiæ doctrinam; atqui talia sunt (fatente Febronio) hæc duo: Ecclesia Christi est fundata supra Petrum, &: Ecclesia Christi est fundata supra Petri fidem & confessionem, ergo lex credendi non obligat ad alterutrum Febronio præplacens tanquam ad Ecclesiæ doctrinam; ipsimet Patres citati inspiciantur, apparebit, rhetoricâ phrasi promissionem cum causâ promittendi ita aliquando conjungi, ut jam in fide & confessione Petri, jam in Petro unus idémque Ecclesiam fundatam asserat.

XIV. Idem S. Chrysostomus eâdem in homiliâ dicit: τουτέστι τῇ πίστει τῆς ὁμολογίας, *hoc est, super fidem confessionis.* Paulò post ait: ποῖα μείζονα δῶρα ἆρα ἃ ἐπηγγείλατο τοῦ πατρὸς, ἢ ἆρα ἃ ὁ υἱὸς, *quæ majora dona? an quæ Pater dedit Petro? an quæ filius?* In homil. 59. *humanum aliquid passi Discipuli in illâ horâ, quando cæteris omnibus Petrum Dominus prætulit. Quando tres præferri videbant, nihil tale passi sunt, cùm verò ad unum honor delatus est, tunc doluerunt, tum quia dixit illi: dabo tibi claves regni cœlorum. Beatus es Simon Barjona, tum etiam hic: da eis pro me & te, dum Petrum sibi in tributi solutione conjungebat* τὴν πίστιν ἀμειβόμενος *fidem remunerans.* Sic S. Cyprianus utramque explicationem assumpsit, 1. ait: *super illum unum ædificat Ecclesiam suam.* Paulò post: *Super cathedram, id est, doctrinam Petri fundavit Ecclesiam.* S. Hilarius & fidem Petri dixit Ecclesiæ fundamentum, & ipsummet Petrum hoc titulo honorat: *O in nuncupatione novi nominis felix*

S. Chrys. hom. 55. in Mat.

Libr. de unit. Eccl. sub init.

 Eccle-

Ecclesiæ fundamentum! Magnam Ecclesiasticorum Doctorum copiam Elias Dupinius citavit, ut eorum testimoniis evinceret in Petri fide, non in Petro fundatam esse Ecclesiam, ad hæc respondit jam antè laudatus Antonius Charlasius. Ingentem contra numerum Patrum Græcorum & Latinorum citant Jodocus Coccius, & Cardinalis Sfondratus loc. cit. quorum testimoniis probatur Petrum esse positum à Christo fundamentum, & à principali petrà Christo soliditatem accepisse virtutis & nominis. Sed è re non est his recitandis immorari.

Melc. Can. Lib. 6. Cap. 3. Greg. de Valentia disput. de fide q. 1. punct. 7.

XV. Pergit Febronius secundo loco eos commemorare, qui per petram intelligunt Christum. Unius S. Augustini verba recitat. Sed præterquam quòd, ùt jam supra indicatum est, Christus non latinè, aut græcè petram & Petrum distinxerit, ideóque derivatio nominis & etymologia his S. Augustini verbis indicata Syriacæ voci à Christo bis repetitæ applicari non possit, exegeticum hoc præceptum attendendum erat Febronio & omnibus, quicunque his S. Augustini verbis utuntur ad ostendendam Evangelicorum verborum significationem, hoc, inquam, præceptum: *mystica Theologia non est argumentativa*, sive quod idem est: ex allegoricâ aut quâcunque mysticâ sacrorum verborum interpretatione firma probatio Theologica formari non potest. Si totus ille sermo, seu tractatus S. Augustini citatus inspicitur, luculenter apparet, id ex proposito tunc egisse S. Doctorem, ut anagogicâ exegesi verborum, quæ tunc explicanda sumpserat, corda credentium, quorum saluti tunc laborabat, ad supernam patriam desiderandam & quærendam attolleret. Christum Dominum proponit Petro prædicentem, quâ morte esset moriturus, & interroganti Petro de Joanne: *hic autem quid?* respondentem: *Sic eum volo manere, quid ad te, tu me sequere.* In hæc ita commentatur: *Quod est per proprietatem in Christo Ecclesia, hoc est per significationem Petrus in petrâ, quâ significatione intelligitur Christus petra, Petrus Ecclesia. Universitati dicitur: sequere me, pro quâ universitate passus est Christus... Amet ergo eum Petrus, ut ab istâ mortalitate liberemur, ametur ab eo Joannes, ut in illâ immortalitate servemur. Cur Joannes minùs eum diligebat, quàm Petrus? nisi quia propterea dictum est: volo eum manere, donec venio. Veritatis contemplationem, qualis tunc futura est, minùs amamus, quia nondum novimus, nec habemus. Hæc per Joannem significata est minùs amantem, sed plùs amatum, quia id, quod per illum figuratum est, hoc efficit beatum. Nemo tamen istos insignes Apostolos separet. Et in eo, quod significabat Petrus, ambo erant; & in eo, quod significabat Joannes, ambo futuri erant; credendo ambo mala præsentia tolerabant; ambo futura bona exspectabant. Duas vitas Petrus & Joannes figuraverunt, singuli singulas. In hac temporaliter ambulaverunt ambo per fidem, illâ fruentur ambo per speciem. Omnibus ad Christi corpus inseparabiliter pertinentibus ad liganda & solvenda peccata claves regni cælorum primus Apostolorum Petrus accepit;*

Tract. 124. in Joan.

nos-

eisdemque omnibus super pectus Christi Joannes discubuit, nec iste solus, sed universa Ecclesia ligat, solvitque peccata, nec ille, quæ prædicando eructaret, de fonte dominici pectoris solus bibit, sed ipse Dominus Evangelium pro suâ cujusque capacitate omnibus suis bibendum toto terrarum orbe diffudit. S. Aug.

XVI. Ipse S. Augustinus citatus à S. Thoma ait: ex ipso sensu litterali trahi potest argumentum, non autem ex his, quæ secundùm allegoriam dicuntur. Sensus litteralis Febronio quærendus erat, mysticus meditationi aut lectioni spirituali reservandus. Epist. ad Vinc. Donat. S. Tohm. 1. p. q. 1. a. 10.

XVII. Si *fundamentum* illud inquirebatur, *cui alii aurum, argentum, lapidei pretiosos* bonorum operum, *alii lignum, fœnum, stipulam* actionum vitiosarum *superædificant*, textus Apostoli ad Corinthios, & ejusdem à Theodoreto facta explicatio erat conveniens, cùm talia super Petrum, qui salutis nostræ author & consummator non est spiritualis, non ædificentur. Ad textum: alius autem superædificat lignum, fœnum, stipulam ait: oportet superædificare, non fundamenta destruere, neque enim aliud potest jacere fundamentum, qui vult sapienter ædificare; hoc fundamentum jecit Petrus, vel potiùs ipse Dominus. Ut concludat intentum, juncturam facit sacrorum verborum suo proposito opportunam sic: cùm enim dixisset Petrus: *tu es Christus filius Dei vivi*, dixit Dominus: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ne vos ergo denominate ab hominibus, Christus est fundamentum. At constat non sic verba Petri & Christi Domini in Evangelio esse conjuncta. Ut verbis Apostoli, quæ ex proposito explicabat, accommodaret verba Evangelica, utile erat nexum inter illa facere, quem fecit. Textus Apostoli Christum principale fundamentum indicat, Theodoretus explicationem congruenter accommodat. Si spiritualis petra quærebatur, quam Moses præsignificavit, petra erat Christus. Si summum lapidem angularem, in quo coædificamur; si lapidem vivum ab hominibus reprobatum à Deo electum inquirere volebat, quis alius, quàm Christus inveniri potuit? Si denique fundamentum quærat in C. 6. ad Hebræos, quod cum cæteris citavit: non Christus est, non Petrus est, sed catechismus prima proponens fidei elementa, de quo ait: *ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum.* Neque S. Hieronymus inter ejus interpretationis assertores censeri debebat, hunc textum pro hac interpretatione aliis adjungere æquè infeliciter tentavit. 1. Cor. 10 Ephes. 7. 1. Pet. 2.

XVIII. Obstabat aliud Theologiæ exegeticæ principium in dijudicandâ Ss. Patrum interpretatione observandum, nimirum hoc: attendatur, an Ss. Patres, aut Ecclesiæ Doctores ex proposito, an verò incidenter, ùt ajunt, & aliud agentes pronuntiaverint ea, quæ ad explicanda verba S. Scripturæ ex eorum libris proferuntur.

Christus docebat: *omnis, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, & descendit pluvia,* Math. 7.

pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat supra petram. Nonne oportebat, dum hæc verba Christus ipsemet sibi tanquam Magistro certissimæ veritatis applicavit, ita commentari, ùt fecit Hieronymus? *Super hanc petram*, inquit, *fundavit Ecclesiam; ab hac petrâ Apostolus Petrus sortitus est nomen.* At verò dum ex proposito Caput 16. Mathæi commentatur, aliter loquendum erat; sic autem loquitur: *testimonio de se Apostoli reddit vicem; mercedem recepit vera confessio. Beatus es. Quare? quia non revelavit tibi caro & sanguis, sed revelavit Pater, quod caro & sanguis revelare non potuit. Quid est, quod ait: & ego dico tibi, quia tu mihi dixisti: tu es Christus filius Dei vivi, & ego dico tibi non sermone casso, sed quia meum dixisse fecisse est. Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Sicut ipse lumen Apostolis donavit, ut lumen mundi appellarentur*, cæteráque ex Domino sortiti sunt vocabula, ita & Simoni, *qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen, ac secundùm metaphoram petræ rectè dicitur ei: ædificabo Ecclesiam meam super te. Prudens lector inquiret, quomodo post tantam beatitudinem, post tanta præmia statim audiat: vade post me satana, scandalum mihi es? sed si consideret, qui hæc quærit; Petro illam benedictionem, & beatitudinem, & potestatem, & ædificationem super eum Ecclesiæ in futuro promissam, non in præsenti datam intelliget. Ædificabo*, inquit, *super te Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, & dabo tibi claves regni cælorum. Omnia de futuro. Quæ si statim dedisset, nunquam in eo pravæ confessionis error invenisset locum.*

XIX. Ad tertiam classem Ss. Interpretum progreditur, quorum sententiam dicit communiorem. Hæc ita proponitur: sicut omnes à Christo interrogabantur, ità Petrus nomine omnium respondit, & vicissim Christus ad omnes direxit sermonem, quasì ita dixisset Dominus: *tu Simon omnium nomine* respondisti, quæ Pater meus *vobis* revelavit, & ego dico *tibi non soli, sed omnibus vobis: beati estis*, tu Simon, qui corde & ore, vos cæteri, qui non quidem linguâ, sed corde hanc fecistis confessionem, *vos estis duodecim petræ, & super has totidem petras ædificabo Ecclesiam meam.* Siquidem velimus, inquit, Febronius, accuratè loqui, Petrus erat primus, non verò unicus lapis fundamenti.

XX. Orthodoxæ exegeseos vectes audacter perrumpere, & rejectâ præcipua illa Tychonii regulâ genuinæ interpretationis: *à proprietate verborum in explicatione litterali seu historicâ recedendum non est, nisi absurda & falsa sequantur.* Verbis sacris tribuere sensum suæ intentioni faventem est Febronio accuratè loqui. Eum sensum, qui tribuitur textibus; *ædificati super fundamentum Apostolorum, &: murus civitatis sanctæ habens fundamenta duodecim*, eundem, inquam, verbis Christi ad Petrum tribui debere est Febronio

nio accuratè loqui; nempe sic ex iisdem textibus argutè ratiocinatus jam antea fuerat Elias Dupinius, vir, si quisquam, Febronio accuratus.

XXI. Aliter de titulo *Pastoris*, *Magistri* loqui debet accuratus interpres, dum soli Christo hæc verbis Evangelicis tribuuntur; aliter autem, dum textus expenduntur, quibus hi tituli discipulis applicantur. Aliter Christus solus est firma *Petra & fundamentum*; aliter *duodecim fundamenta* per Apocalypsin significantur; aliter denique participatio illa nominis ad specialis virtutis remunerationem Petro applicatur. Ostendat Febronius, quid absurdi ex eâ significatione ratio non præoccupata queat educere. Supereminentem fidei confessionem, & specialem revelationi occultæ statim exhibitam obedientiam laudavit Christus, nisi à verborum proprietate recedatur; quidni specialem remunerationem spectatâ verborum subsequentium proprietate significari intelligamus? Quo indicio colligatur, tunc Petrum respondisse nomine suo & cæterorum? cæteros actum internum fidei eodem, quo Petrus, momento, & ejusdem revelationis virtute, & pari merito (solâ oris elocutione exceptâ) elicuisse? certè καρδιογνώστην eum esse necesse est, qui audacter enuntiat *in replicâ Christi* (verba sunt Febronii) cum Petro reliquos intelligi. Non ita sentiebat S. Hilarius, dum dixit *ignorantibus cæteris Petrum respondisse, & supereminentem fidei confessione gloriam promeruisse*. Non sic S. Optatus Milev. qui dixit *cæteris non agnoscentibus à solo Petro agnitum fuisse filium Dei, & claves regni cælorum cæteris communicandas Petrum solum accepisse*.

XXII. Quòd duodecim Discipuli à Domino electi rectè omnes dicantur *Apostoli*, *lux mundi*, *sal terræ*, *judices duodecim tribus Israël judicaturi*, ex ipsiusmet Christi verbis agnoscimus, *quòd* sint *Angelos judicaturi*, quòd sint *fundamenta & muri civitatis sanctæ*; diu post Christi mortem Spiritus S. per Pauli epistolas, & Joannis Apocalypsin docuit.

XXIII. Quòd Filii Zebedæi æquè ac Petrus & Andreas vocari potuerint piscatores hominum; quanquam his solis, non verò illis id promiserit, ex analogâ ratione, postquam Apostolis à Domino adnumerati sunt, concludi poterat. Quòd etiam potestatem remittendi & retinendi peccata promiserit Christus iis omnibus, & post resurrectionem omnibus dederit, & non Judæam solam, ut antea, sed omnem terram iis tanquam legationis provinciam assignârit, verba ipsiusmet filii Dei eos ablegantis demonstrant, dum eos jussit docere, baptizare, remittere peccata, ægris manus imponere, ac præter hæc facere, tum quæ ipse iis mandaverat, tum quæ per Spiritum S. iis promissum erant suggerenda; quorum aliqua in Actis & Epistolis Apostolorum exprimuntur, alia traditioni orali reservabantur. Soli Petro dixit eum nomine & significatione esse rupem seu petram, super quam sit ædificaturus Ecclesiam suam, ac per hoc Petrus solus Christi præconio factus est Ecclesiæ fundamentum.

XXIV. Soli Petro dictum est à Christo, *pasce oves meas*, *pasce agnos meos*,

 nemi-

neminem alium donavit suo divino eloquio clavibus regni cœlorum; vaticinium propheticum: *dabo vobis pastorem unum*, Christus prolixo sermone ostendit in se esse adimpletum, Ecclesiam suam vocat *ovile unum*. Oves omnes ejus ovilis Petro jamjam transiturus ad Patrem committit pascendas, non jam propter obedientiam & fidei confessionem, sed ob charitatis erga ipsum, qui se *pastorem bonum* dixerat, insignem eminentiam sibi quidem divinâ cognitione perspectam, sed suo jussu coram omnibus tertiò magnâ cum humilitate declaratam, ut & meriti præcellentia, & præmii singularitas omnibus appareret, & quod propter fidem promptámque obedientiam revelationi præstitam promitti sibi meruit, id jam propter fervidam illam omnibus retro sæculis admirabilem charitatem, humilitatémque consequeretur, ac posteritas disceret in eo, cui ovile Christi custodiendum, regendum per mortalitatis conditionem committetur, fidem inviolabilem, & charitatem eminentem exigendam esse à se tanquam Pastore & Episcopo animarum usque ad sæculi consummationem permansuro. Itaque & per prophetiam veteris legis, & propinquam, quam ipse fecit, præsignificationem, placuit Redemptori titulus Pastoris, & analogia ovium & ovilis & pastionis in pascuis (qualia ipse voluit, & per doctrinam & Sacramenta fecit) optimis. Post resurrectionem etiam, dum sæpè de regno Dei, quo Ecclesiam suam indicabat, loquebatur cum Discipulis, tituli hujus participationem singularem, ob charitatem, quæ singularis erat, Petro liberaliter concessit, totum ipse retinens, quod ei dedit Pater, dum ab eo ipsi data est omnis potestas in cœlo & in terrâ.

XXV. Placuit etiam titulus, quem * ex typo Eliacimi ab Isaia proposito Joannes, Discipulus ille dilectus, Christo in Apocalypsi Spiritu S. dictante applicuit: *Sanctus & verus, qui habet clavem David &c.*, eundémque voluit cum Petro communem habere, dum indicatam ab Isaiâ figuram propinquo ipse præsagio per promissionem Petro attribuit dicens: *tibi dabo claves*, ut significatio typi, quantum per hominem mortalem fieri poterat, adimpleretur in Simone Barjona. Si in lege aut diplomate Regis terreni quædam verba inutilia & cassa dicere irreligiosum est ob Principis majestatem, quis dicere audeat novi testamenti legislatorem non compensâsse Petri fidem & obedientiam, dum se super eum Ecclesiam suam ædificaturum, hujúsque mysticæ domûs claves David daturum promittebat, & dum oves omnes sui ovilis & gregis Petro ob ejus charitatem promittebat, & verbis nihil singulare significantibus nudam speciem compensationis expressisse? Nunc Febronianæ allegationes propiùs introspiciendæ sunt.

* *vide Huetii demonst. eva. prop. 7. n. 14. & prop. 9 c. 117. num. 20.*

XXVI. Primus est Origenes, qui dixit: *Tu es Petrus. Petra enim est quilibet Christi Discipulus, super talem petram construitur omnis Ecclesiastica doctrina, si super unum Petrum totam putas Ecclesiam ædificari, quid dicturus es de Joanne & Apostolorum unoquoque?* Utinam prima Theologiæ Scholasticæ elementa essent inspecta! puduisset hanc aliàs non malam allegoriam pro-

producere, dum de sensu litterali seu historico instituta est inquisitio. Christi promissio inter fundamentum & rem ei superaedificatam distinguit, aliud est Christus; aliud Petrus; aliud Ecclesia. Non *filiorum tonitrui*, non *Apostolorum*, seu *Christi Legatorum*, non *Principum super omnem terram constitutorum* titulus obstitit Pastoris, & ovium distinctioni. Intra ovile unum unus pastor aeternus, vicariam pascendi curam abiens ad Patrem uni commisit, sicut uni promiserat. Petra erat Christus, Simon Barjona fit petra; etiam tropologico significatu petra quilibet justus fit.

XXVII. Hieronymi sententiam supra indicatâ verborum Christi ἑρμηνείᾳ demonstratam idem S. D. in Lib. contra Jovinianum non convellit. *Ex aequo* super omnes, quantum ad praedicationis, baptismi & ordinationis officium spectat, fortitudo Ecclesiae est solidata, imò *abundantiùs caeteris omnibus singulis se laboràsse* S. Paulus in Domino gloriabatur. At verò cur unus fuerit eligendus, causam dicit certissimam, Febronio & omnibus, qui Dupinianum ac Quesnellianum in hoc puncto spiritum sequuntur, attentè considerandam: *ut capite constituto schismatis tollatur occasio*. Quomodo illam tolli posse quisquam sibi persuaserit, qui omnia per Sacerdotum Collegium, quale ipsi ideis arbitrariis comminiscuntur, volunt esse definienda, ordinanda, emendanda? Accedat numerus Episcoporum tantus, quantum hoc saeculo Gallia vidit Pontificiae Constitutioni suffragari; accedant Academiae Catholicae; Dupinus aliquis aut Febronius occasionem inveniet dicendi: *errant ab utero S. Matris Ecclesiae Catholicae, loquuntur falsa. Olim non erat sic.* Collegii fraternitatem universam dicet audiendam, tunc apparituras traditiones antiquas, genuinas modernis Romanis, & Monachis non cognitas.

XXVIII. Si S. Augustinus liberum reliquit vel allegoricum, vel historicum sensum verborum Math. 16. amplecti, bene est; ergo ejus authoritate nihil conficiet Febronius. Dum debuit quaerere sensum historicum, ei minimè liberum erat allegoriam praeferre historiae.

XXIX. Illum & sanctitate & scientiâ magnum Leonem, quanquam ceu Pontificiae suae dignitatis tuendae justo studiosiorem alibi cavilletur, hujus paradoxi Febronius dicit assertorem; dicere hoc est inconstantiam & imprudentiam Leonis incusare, eúmque & suae dignitatis, & eorum, quae ad illam tuendam scripsit, & fecit, immemorem fingere. Sed quid asserit? Certè quod quisque Pontifex pro concione repetere non abnuet; nempe hoc: *Petro singulariter cura Ecclesiarum committitur, quia omnibus Ecclesiae Rectoribus forma praeponitur.* Quisquis totam S. Leonis historiam legerit, ejúsque sermones, epistolas aliáque, facilè intelliget, nihil adversi sibi metuere Romam à Leone, quâcunque demum arte excerpantur, explicentur quaedam ejus verba, quae modestia, & humilitas, quâ dignum omnino S. Petri haeredem se probat, extorsit. Haec ipsa: *Singulariter Petro creditur, quia cunctis Ecclesiae Rectoribus forma praeponitur*, Febronius dicit sic intelligenda,

 ut

1. Pet. 5. ut *formæ fines Primatus Petri non egrediatur.* Sed qui sunt *formæ* fines? S. Petrus eos, qui particularibus Ecclesiis præpositi erant, hortatur: *pascite eum, qui in vobis est* (vestræ curæ specialiter commissum) *gregem Dei, providentes* ἐπισκοποῦντες *secundùm Deum... neque ùt dominantes in Cleris*, ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, *sed forma facti gregis ex animo.* Quod Petrus ab iis exspectabat, ut & fidei doctrinâ, & exemplo virtutum provideant particularibus Ecclesiis sibi commissis, id Leo tribuit Petro singulariter, quòd cunctis totius Ecclesiæ Rectoribus fuerit præpositus tanquam *forma*, Rectórque Rectorum. Non

Isai. 22. affectatè ad speciem externam, nec imperiosè, sed ex animo & non instar

Apoc. 3. dominantis in Cleris, sicut in supralaudato Eliacimo Christi & Petri typo

Huetius præsignificatum fuit: *erit quasi pater habitantibus Jerusalem & domui Juda,*

prop. 9. *& dabo clavem domûs David super humerum ejus, & aperiet, & nemo erit, qui*

c. 105. *claudat, & claudet, & nemo erit, qui aperiat.*

XXX. A Leone transit ad Bulgarorum in Sæculo XI. Archiepiscopum Theophilactum; hujus verba & quidem ex loco, in quo non incidenter, sed ex professo textum S. Mathæi, de quo nunc agitur, explicat, profert hæc: *licèt ad Petrum tantùm dictum sit: tibi dabo claves... tamen omnibus Apostolis olim datum est, quando dicit: quorum remiseritis &c.* Opportunè hìc Charlasii verbis uti possem, *sufficeret*, inquit, *plerumque Scriptorum à Dupino citatorum testimonia integra referre absque commentario, ut lectori pateret, quàm alieni sint à sententiâ, pro qua adducuntur, quámque malè illis conveniant interpretationes Dupini.* Exscripsit ideo integrum locum S. Gregorii, de quo tunc agebatur. Fiat nunc idem, ut appareat mens Theophilacti. Ait Loc. Cit. *remunerat Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quòd super eum ædificavit Ecclesiam. Quia enim confessus erat Dei Filium Petrus, dixit, quòd hæc confessio fundamentum futurum erit credentium, ità ut omnis homo extructurus fidei domum hoc jacturus sit fundamentum: nam licèt innumeras condamus virtutes, non habeamus autem fundamentum rectam confessionem, inutiliter ædificamus. Portæ inferi temporales sunt persecutores, qui ad infernum mittere conantur christianos. Et Hæretici quoque portæ sunt ad infernum ducentes. Multis persecutoribus, & multis Hæreticis prævaluit Ecclesia. Est autem & unusquisque nostrûm Ecclesia, quæ sit domus Dei; si in confessione Christi confirmati fuerimus, portæ inferi, hoc est peccata non prævalebunt nobis.* Hæc S. Doctor in verba: *& ego dico tibi &c.* Pergit ad illa: *& dabo tibi claves &c.* in hæc ita: *tanquam Deus magnâ potestate dicit: dabo tibi, sicut enim Pater dedit tibi revelationem, sic ego claves. Claves autem intelligas, quæ ligant & solvunt... quamvis autem Petro soli dictum sit: dabo tibi, omnibus tamen & Apostolis concessæ sunt. Quando? Cùm dixit: quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur. Cœli autem dicuntur & virtutes, quarum claves sunt bonæ operationes. Operando ingredimur unamquamque virtutum. Si autem non operor, sed solùm scio bonum,*

habeo

habeo quidem clavem scientiæ solùm, extra autem maneo. Ligatur in cœlis, hoc est in virtutibus, qui non ambulat in illis, nam sedulus in illis solutus est. Ne habeamus igitur peccata, ut non catenis nostrorum peccatorum ligati simus. Iterum hîc optaverim amore veritatis, ut sensûs historici & mystici discrimen animadvertatur. Pro more suo Theophilactus (quod ante & post illum fecerunt non pauci alii Commentatores) sensui historico spiritualem adjungit. Ad historicum hæc pertinent: *remunerat Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quòd super eum ædificavit Ecclesiam.* Ad eundem sensum pertinet, quòd *beatum* dicat *Petrum*, *quia à divinâ gratiâ scientiam acceperat.* Præterea, *sicut Pater dedit tibi revelationem, sic ego claves.* Utile erat Dupinio & Febronio præterire verba, quibus, quid Petrus & singulariter fecerit, & singulariter acceperit, indicavit Theophilactus, quærenda erant systemati opportuna. Sensus historicus erat prætermittendus, & insistendum sensui mystico, ut aliquid probationis ex Theophilacti authoritate accederet. In Bulgariâ & ubique terrarum dixit remitti peccata per eos, qui sicut Petrus, Episcopatûs gratiam assecuti sunt. Æqualiter peccata remittebant Apostoli vi verborum, quæ ad eos omnes dixit Christus: *quorum remiseritis*, non autem per verba: *dabo tibi claves*, quæ tantùm ad Petrum dicta esse ipse dicit Theophilactus. En quorsum abripiantur ingenia studio firmandarum opinionum præoccupata. Si quisquam alius illam Petri supra cæteros Apostolos eminentiam, certè Theophilactus docuit, dum dixit de Christo: *commisit Petro fidelium omnium præfecturam, Jacobus Sedem Jerosolymis accepit, sed Petrus totius terrarum orbis.* Ad textum: *DICIT EI, SEQUERE ME, posteaquam*, inquit, *Petrus ista audisset, & talibus dignus esset habitus, ut ipsi terrarum orbis committeretur, martyrioque dignus haberetur, Joannem vehementer diligens de ipso interrogat, HIC AUTEM QUID? Num particeps erit iste ovium præfecturæ? Illud enim, sequere me, propemodum hoc significat: veni, assume oves, egredere in mundum. Igitur quia videt Dominus Petrum curam agentem Joannis, & ab eo avelli nolentem, dirimit eos propter intempestivam affectionem & consuetudinem.* *Opus*, inquit, *quod tibi concreditum est, perfice, & sequere me, qui educo te ad prædicationem, & totum orbem in manus tuas trado. Illum autem si velim manere in hoc loco, Galilæâ scilicet, & non mittere tecum, quid ad te?... Qui antea non audebat interrogare de traditore, sed alteri committebat interrogationem, illi omnium præfectura concreditur, & non solùm sua alteri non committit, sed & pro illo ipso, qui maximè diligebatur, interrogat, & fit mediator apud Dominum.* Satis nunc de Theophilacto; plura alibi.

XXXI. S. Eucherius Lugdunensis in Homiliâ, quam citat ex Dupinio Febronius (eadem inde, quæ Dupinius protulit, verba producendo) Petrum vocat *Principem fidei Christianorum*, & *Principem Apostolorum*, & satis ejusdem supra cæteros Apostolos eminentiam ostendit, dum inquit: *quod*

quod Petro principaliter dicitur; cæteris quoque Apostolis dictum esse intelligi debet, & non tantùm Apostolis, verùm etiam Episcopis & Sacerdotibus. Cùm postrema suis ideis adversa uterque libenter omiserit, mirum est *principaliter* eâdem providentiâ non fuisse expunctum.

XXXII. S. Eucherium sequitur Paschasius Ratbertus, qui dixit: *non super unum Petrum, sed super omnes Apostolos, Apostolorumque Successores Ecclesia Dei ædificatur: unde David: fundamenta ejus in montibus sanctis.* Sed jam dictum est per glossam ejus textûs Davidici, per verba S. Pauli ad Ephesios, per Apocalypsim constare, quòd Apostoli & Prophetæ *fundamenta Ecclesiæ* vocari possint, si his addat Ratbertus Apostolorum Successores, immò Christianos omnes addat Origines, an ideo eadem in his omnibus fundamenti ratio? Si autem diversa est inter ipsos, diversa etiam erit in his & Christo. Si potior est ratio fundamenti, quæ Christo est propria, potior erit etiam illa ratio fundamenti, quam ipse Christus specialis remunerationis titulo ob specialem virturem Petro impertivit, cui uni & soli, quanquam adessent cœteri, dixit; *tu es rupes*, seu *petra*, *huic petræ meam Ecclesiam inædificabo.* Sic ad eadem Ratberti verba à Dupinio citata respondit Charlasius: *Quis negaverit Apostolos esse fundamenta, cùm id doceat Paulus? Quæritur jam an verba: & super hanc petram... de B. Petro sint exponenda? Nemini dubium est, diversis rationibus varia hominum genera dici posse fundamenta Ecclesiæ.*

XXXIII. Sicut idem Dupinius Hincmarum epist. 33. Odonem Cluniacensem Lib. 4. Cap. 19. Petrum Blesensem serm. 44. non productis eorum verbis fecit ejus opinionis assertores, ita Febronius nomina & loca, non verba eorum trium aliis Ecclesiæ Doctoribus adscripsit nullâ voce mutatâ, utique additurus verba, si addidisset Dupinius. Charlasii refutationem addere instituto non conveniebat, quomodo enim Febronio hæc Hincmari loc. cit. verba servirent: *B. Petrus, qui Christum verâ fide confessus, vero est amore secutus, specialiter claves regni Cœlorum, & principatum judiciariæ potestatis accepit?* Quomodo hæc Odonis Cluniacensis: *de toto mundo unus eligitur Petrus, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponitur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit Christus?* Quomodo denique hæc Petri Blesensis verba in serm. cit. quem coram Episcopis in Synodo congregatis dixit: *in præmium privilegiati amoris datum est Petro, & dictum: pasce oves meas?* Tacenda erant hæc omnia Febronio, ut, quâ fronte hos ejus opinionis assertores scripsit Dupinius, eâdem nunc idem denuo scriberet.

XXXIV. Agmen testium claudit Gratianus, qui ex Tract. S. Augustini 50. in Joan. adducit hæc verba: *Si hoc Petro tantùm dictum est, quodcunque ligaveris &c.; non hoc facit Ecclesia, si autem in Ecclesiâ fit, Petrus, quando claves*

claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit. Si in Petri personâ significati sunt in Ecclesiâ boni, in Judæ personâ significati sunt in Ecclesiâ mali. Hem! quàm validum ex hâc mysticâ interpretatione struitur argumentum? Commentabatur S. Augustinus: *pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Dicit: *non unus est Judas, unus malus corpus malorum significat, quomodo Petrus corpus bonorum, imò corpus Ecclesiæ, sed in bonis. Nam si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non diceret Dominus: tibi dabo claves regni Cælorum &c. Si hoc Petro tantùm dictum est &c.* Allegoricam facit antithesim inter Judam, omnes impios repræsentantem, & Petrum repræsentantem omnes Bonos. Ostendit malos jam facere, quod fecit Judas, bonos per Ecclesiæ Sacramentum etiam nunc absolvi, & ab Ecclesiâ Deo reconciliari, utique non abstractâ, qualis fœmineo vultu depingitur, sed per idoneos ministros ad sancta Religionis mysteria dispensanda legitimè constitutos.

XXXV. Secundò S. Cyprianum Tract. de unit. Eccles. citat Gratianus C. 24. q. 1. en verba: *loquitur Dominus ad Petrum: ego dico tibi, quia tu es Petrus &c. super unum ædificat Ecclesiam, & quamvis omnibus parem potestatem tribuat post resurrectionem suam, & dicat: sicut misit me Pater, & ego mitto vos &: Accipite Spiritum sanctum; tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suâ authoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit & Petrus pari consortio præditi, & honoris & potestatis. Sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.* Postea ostendit, eum *qui hanc unitatem non tenet, non tenere fidem, cùm & Apostolus doceat unitatem: unum corpus, unus spiritus, unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Docet maximè Episcopos tenere debere unitatem, ut *Episcopatum*, inquit, *ipsum unicum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfidâ prævaricatione corrumpat, Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia una est. Ramos suos in universam terram copiâ suæ fœcunditatis extendit, unum tamen caput est, & origo una, & una mater est fœcunditatis successibus copiosa.* Hæc Dupinius protulit, & alio in loco Febronius, sed hìc solâ citatione contentus. Quid verò inde subsidii ad probandum, quod volebat? Videt S. Cyprianum id luculenter asserere, quòd Ecclesia sit à Christo super unum (Petrum) ædificata, & quòd divina Christi authoritas disposuerit unitatis originem ab uno incipientem, quamvis par potestas data sit, dum dedit Spiritum S. & dixit: *ego mitto vos.* Certè baptizatus à Petro plus non accepit, quàm Baptizatus à quolibet alio Apostolo. Non licebat dicere, ego sum Pauli, ego verò Cephæ. Apostolicum Collegium erat consortium par honoris & potestatis, per charismata gratiarum, donum sermonis, curationum; dæmonibus singuli erant æquè terribiles. Ad omnes pertinuit: *constitues eos Principes super omnem terram. Nimis* (id est maximè) *confortatus est principatus eorum.* Duodecim portis

tis, quas vidit Joannes in Apocalypsi, nulla tribuitur splendoris diversitas, singulis portis unum ex nominibus Apostolorum Agni inscriptum. Nulla duodecim Sedium diversitas, super quibus sedebunt judicantes 12. tribus Israël. En paritatem potestatis, & paritatem honoris. At verò dum de regimine stabili & manifesto remedio à tempore Apostolorum usque ad Sæculi cosummationem duraturo providendum erat, unitatis originem ab uno incipientem constitui oportebat manifestè permansuram, quam diu aliqui possunt fraternitatem (ùt loquitur Cyprianus) mendacio fallere, & fidei veritatem perfidâ prævaricatione corrumpere. Dicit Cyprianus, maximè ad Episcopos, qui in Ecclesiâ præsident, pertinere, ùt unitas firmiter teneatur & vindicetur, & Episcopatus, seu Episcoporum ordo in Ecclesiâ Dei probetur unus atque indivisus; quomodo autem cùm Africani non pauci ab eo multorum etiam Episcoporum suffragiis adjuto diffidebant, unitas jam disrupta vindicari in Africâ poterat, nisi Pontifex Romanus Petri successor intercessisset Episcoporum utrimque ad Scripturam & Traditionem provocantium contentionibus? Ipse Cyprianus eodem in Tract. loquens de schismaticis dicit: asserentes noctem pro die, interitum pro salute, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, ut, dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. Causam indicat: hoc eò fit fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec Magistri cœlestis doctrina servatur. Quæ si quis consideret & examinet, argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis, compendio veritatis loquitur Dominus ad Petrum: *ego dico tibi &c.* & *tibi dabo claves &c.* Et iterum eidem post resurrectionem dicit: *pasce oves meas.* Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas. Hæc Cyprianus.

XXXVI. Tertium testem ex Gratianæâ collectione Febronius producit *Can. 2. Dist. 21.* Anacletum, seu Decretalis illi adscriptæ fabricatorem pseudo-Isidorum. Ideo hoc testimonium non Sæculo I. sed VIII. attribuit, ut ostendat opinionem (de autoritate annuntiandi Evangelium, & regendi Ecclesiam omnibus Apostolis ex æquo datâ) fuisse in Sæculo VIII. constantem & communem. Quid autem ille Febronio mortalium, quotquot terra tulit, mendacissimus Pseudo Isidorus dixit? En verba: *in novo Testamento post Christum à Petro Sacerdotalis cæpit Ordo, quia ipsi primò Pontificatus in Ecclesiâ Christi datus est, Domino dicente ad eum: tu es Petrus, & super &c. Et tibi dabo &c. Hic ergo ligandi atque solvendi potestatem primus accepit à Domino primúsque populum ad Dominum fide suæ prædicationis adduxit.* Hactenus erit utique Pseudo-Isidorus Febronio, qualis aliàs, mendax. Pergat: *cæteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsumque Principem eorum esse voluerunt, qui etiam jubente Domino in toto orbe dispersi Evangelium prædicaverunt, ipsis decedentibus in locum eorum successerunt Episcopi, quorum ordinatio prætaxato debet fieri ordine & modo, quos qui recipit,*

recipit, Deum recipit; qui spernit, eum, à quo missi sunt, spernit, & spernetur à Domino. Quis hic inveniat cum Febronio potestatem regendi Ecclesiam omnibus Apostolis ex æquo datam declarari, dum de potestate regendi cœteris communicatâ mentionem non facit? Quis ex his verbis exsculpat hoc mentis idolum à Febronio fabricatum attributæ Sæculo VIII. constantis & communis opinionis? An dum dixit Pseudoisidorus: *ipsi primò Pontificatus datus est in Ecclesiâ Christi Domino dicente: ædificabo. Dabo.* Quod est promittere, non dare, inquit glossa ad hunc Can. Gratiani. An, inquam, iis Christi verbis non promissum tantùm, sed re ipsâ datum esse Pontificatum, fuit communis & constans opinio in Sæculo VIII. quia hoc tunc opinabatur Pseudoisidorus? An, dum contra Evangelicam historiam dicit 72. Discipulos ab Apostolis electos esse; & quidem postquam rogaverant Dominum messis, constans & communis in Sæculo VIII. opinio fuit, quia sic tunc opinabatur Pseudoisidorus? Si perperam ita concluditur, malè propriam suam opinionem Sæculo VIII. constantem & communem dixit. Sed hæc transiliendo figet pedem Febronius in his: *cæteri cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt*, sed sejungi hæc: *ipsumque Principem eorum esse voluerunt.* Ego cum Petro ita potestatem & honorem cœteri acceperunt pari consortio, ut Petrus esset Princeps cœterorum, quod, volente Christo, etiam ipsos dicit voluisse. Minimè hæc *inversa* videantur: Cum Petro pari consortio potestatem datam acceperunt Andreas, Joannes, alii, ipse adeò Judas traditor. Et: In Choro Apostolorum Petrus fit Princeps, sicut promiserat Dominus. *Math. 16. Joan. 21.*

Tandem, ne toti Scholasticorum genti hæc verborum Christi interpretatio dictur invisa, insignem inter eos Cardinalem Cajetanum iis benignè adnumerat.

Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro?

XXXVII. Sed (fatebor enim) non injucundum est Theologo, quædam Scholasticorum pronuntiata ad hujus textûs interpretationem opportuna proferendi occasionem offerri, quanquam abunde ad vindicandum Cajetanum sufficeret, ab hoc Cardinali plus exspectare non posse Febronium, quàm à Bellarmino & Sfondrato potuissent sperare Barclajus & Maimburgus. Quæ Cajetanus contra Almainum pro supremâ Romani Pontificis authoritate edidit, nimis aperta sunt omnia, quàm ut aliquâ arte ad opinionem adversam queant inflecti. In Tractat. de comparatione autoritatis Papæ & Concilii, seu Ecclesiæ universalis impress. Colon. 1512. Cajetanus tunc S. T. Professor & Ord. Præd. Generalis laudat sententiam Magni Leonis à Gratiano propositam: *ita Dominus hujus muneris Sacramentum ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in omne corpus diffunderet.* Etiam illam sui Doctoris S. Thomæ Aquinatis sententiam prædicat: *sic Salvator* *C. ita Dominus Dist. 19. 4. C. Gent. C. 76.*

tor instituit, quòd regimen Ecclesiæ est optimè ordinatum, optimum autem est unius, est enim finis regiminis pax, quæ in unitate consistit, & constat, quòd melius est causa unitatis unus, quàm multi. Est ergo Ecclesiæ regimen institutum, ut unus præsit universæ Reipublicæ. Docet ibidem Cajetanus: *ex vi Apostolatûs data est Apostolis communiter potestas gubernativa, quæ executionem sonat, sed Potestas præceptiva, seu autboritas regiminis data soli Petro, dum ei dictum à Domino: pasce oves meas, dicuntur Apostoli non Vicarii simpliciter, sed Vicarii operis. Operis tui vicarios constituisti præesse pastores. Poterant instituere Ecclesias, & Episcopos. Docere, excommunicare &c. tanquam à Domino ad hæc opera delegati. Gratuitâ præventione Dominus dedit potestatem ordinis omnibus Apostolis, & hos constituit dispensatores mysteriorum & fidei defensores, hoc sensu omnes fratres erant, & sibi dextras societatis dederunt. Joannes Petro superstes ex Apostolatu poterat, quidquid poterat Linus, sed regiminis autboritas erat Lino tanquam Vicario Christi propria, poterat libros S. Scripturæ condere tanquam instrumentum à Spiritu S. ad docendam tali medio Ecclesiam assumptum, non verò Linus. Prævaluisset sententia Joannis in doctrinâ fidei & morum sententiæ Lini, aut Clementis, sicut modò prævalet Evangelium Joannis sententiæ cujuscunque Pontificis & totius Ecclesiæ. Salvator noster, quamvis potuisset christianam Rempublicam diversis modis regendam disponere, voluit tamen, ut non populare, non Optimatum multorum aut paucorum esset regimen, sed unius tantùm, promittens soli Petro: TIBI DABO CLAVES &c. & eidem soli promissionem exhibens, curam omnium ovium suarum committens Joannis ult. PASCE OVES MEAS; comparativa siquidem interrogatio, à quâ sermo incepit dicens: SIMON JOANNIS DILIGIS ME PLUS HIS, convincit etiam protervos, quod Petro ut distincto ab Apostolis præsentibus, ad quos refertur comparatio, & non in personâ eorum loquebatur Dominus. Petrus factus est Pastor universalis, dum dictum est: pasce oves meas, non has aut illas, sed indistinctè, ut omnes comprehenderet.*

Adductis Ss. Patrum testimoniis & solutis quibusdam argumentis infert Cajetanus: *Ex his clarè liquet, quòd Petrus solus Princeps, Caput & Pastor est Apostolorum, & quòd ei subditi fuerunt Apostoli, ùt oves Pastori.* Hoc toto tractatu, quem sub anni 1511. finem Romæ scripsit, cautissimè prospexit, ne in sæculis venturis accenseretur adversæ sententiæ assertoribus, nihilominus hâc nostrâ ætate illum hanc sortem subire fecit Febronius.

XXXVIII. Ne textûs Evangelici in hujus disquisitionis themate propositi aliqua pars præteriretur, de illis: *portæ inferi non prævalebunt adversùs eam,* dicit Febronius cum Bossueto: *Si qui interpretes ea verba ad petram quoque referunt, ii quidem pauci sunt, & pro uno mille in contrarium recensere possumus.* Unam ego cum Melchiore Cano interpretationem Origenis profeoram: *manifestum est,* inquit, *etsi non exprimatur, quod nec adversùs Petrum,* *nec*

Orig. Homil. 1. in Math.
Canus lib. 6. Cap. 3.

nec adversùs Ecclesiam portæ prævalere poterunt inferorum, nam si prævalerent adversùs petram, in quâ Ecclesia fundata erat, contra Ecclesiam item prævalerent. Si Febronius mille textus in contrarium recensere instituat, quid sit propositionem alteram alteri esse contrariam, ex Logicâ Aristotelis cautè attendat. Quæcunque Ss. Patrum aut veterum Ecclesiæ Doctorum sententiæ firmitatem Ecclesiæ commendant, & contra Ecclesiam portas inferi dicunt nunquam prævalituras, contrariæ non sunt. Erunt illæ solæ, quæ convulsâ eversâque per inferni potestatem petrâ, cui Ecclesiam suam superstruxit Dominus, negant convelli, pessundari posse domum in eâ ædificatam contra sententiam Domini, qui dixit: *& erit ruina magna.* Age Febroni, ut chiliadem tuam citò conficias, non Patres, sed Dupinios, Maimburgos, Quesnellos & Anticonstitutionistas conquire.

XXXIX. Exegesim sibi familiarem, seu methodum ex allegorico vel mystico sensu Ss. textus interpretandi suo instituto apprime convenire, adeò constanter credit Febronius, ut iterum S. Leonis sermonem producat; *Sermo* Leonis, inquit, *omnium interpretum loco quoad intelligentiam sacri textûs ac applicationem ejusdem ad genuinum & sacræ doctrinæ conformem Primatum Petri, hujusque in Romanâ Sede Successorem esse potest.* En verba S. Leonis: *in universâ Ecclesiâ: TU ES CHRISTUS FILIUS DEI VIVI, quotidie Petrus dicit, & omnis lingua, quæ confitetur Dominum, magisterio hujus vocis imbuitur. Hæc fides diabolum vincit, & captivorum ejus vincula dissolvit, hæc erutos mundo inserit cælo; & portæ inferi adversùs eam prævalere non possunt. Tanta enim divinitus soliditate munita est, ut eam neque hæretica unquam perrumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia... Rationabili obsequio celebratur hodierna festivitas, ut in personâ humilitatis meæ ille intelligatur, honoretur, in quo & omnium Pastorum solicitudo cum commendatarum sibi ovium custodiâ perseverat, & cujus etiam dignitas in indigno hærede non deficit.* Addit auditorum præsentiâ: *pietatem ei principaliter deferri, quem non solùm hujus Sedis Præsulem, sed & omnium Episcoporum noverunt esse Primatem.* His recitatis ita Febronius: hoc loco omnia ferè continentur & junctim, quæ è Patribus in speciem diversa retulimus in hunc locum Mathæi. 1. Fides Petri. 2. Fides Ecclesiæ, adversùs quam (3.) portæ inferi non prævalebunt. 4. Perseverans in Petri Successoribus solicitudo omnium Pastorum, & ovium his creditarum, sive *solicitudo omnium Ecclesiarum* in sensu Apostoli, quæ (5.) fundata est in Primatu quasi hæreditariè 2.Cor.11 à Petro in Romanos Pontifices translato. Febronius ex eâ, quam producit, parte sermonis hæc sola colligit. Iterum inconsultè perdit operam; iterum ducit argumentum à sensu mystico, dum quærere debebat sensum historicum. Tunc Petrus hæc verba dixit, quando eum hæc dixisse narrat S. Historia, sicut tunc supra pectus Domini recubuit Joannes, dum id contigisse narrat Evangelium. Erant mortales, dum hæc contingebant, jam nec ille hoc lo-

 qui-

quitur, nec iste supra pectus Domini recumbit. S. Augustinus dicit adhuc bibere Joannem de latere Christi. S. Leo dicit adhuc & quotidie Petrum loqui: *tu es Christus Filius Dei vivi*, non utique historicâ, sed mysticâ significatione: Ipse S. Leo eodem in Sermone II. ait: *manet dispositio veritatis*, & *B. Petrus in acceptâ fortitudine petræ perseverans suscepta Ecclesiæ gubernacula non relinquit, perseverat Petrus*, & *vivit in Successoribus suis*, id est: Petro concessa authoritas non est extincta. *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, si prima ejus divinæ sententiæ significatio inquiratur, explicari sic debet: universalis Ecclesiæ fides per hæresim & paganismum expugnari non potest propter ipsam Ecclesiæ promissam soliditatem. Quid verò est, fidem eâ soliditate esse munitam, ut nec hæretici, nec pagani, nec qualiscunque potestas tenebrarum eam potuerint subvertere? Multa millia naufragaverunt à fide; per diaboli fraudes vinculis iniquitatis, cui serviunt, innumeri credentes captivi tenentur. Non utique fidem in abstracto, ùt vocant, eo soliditatis imperturbabilis firmamento innixam cogitare sufficit, sicut pictor aut sculptor eam exhibet, sed in Ecclesiâ visibili aliquid esse debet, quod inexpugnabile intelligamus. Christus Apostolis omnibus *petram* ostendebat, cui tanquam petræ suam Ecclesiam se inædificaturum promisit, & tanquam *fidelis* & *verax* inædificavit, ut, quod promisit, impleret. Vidit mundus, *auferri* à nationibus fidei luce illustratis *Regnum Dei*, & *transferri ad Gentes facientes fructus suos*. Vidit mundus populos *instar parvulorum fluctuantes circumferri omni vento doctrinæ* iis propositæ per impios Episcopos, & Doctores; his dum pii & boni resistebant, vidit ambigua fieri judicia de credendis & agendis. Ascendendum fuit ad locum, quem monstravit Dominus; ibi audiri debuit, quæ sit vera verborum S. Scripturæ intelligentia, per os Sacerdotis, in cujus personâ Petrus loquitur, in quo est *solicitudo Pastorum omnium* discernens, an bonâ, an malâ doctrinâ pascant eum, qui in ipsis est, gregem Domini, & ovium omnino omnium ei à Christo commendatarum custodia perseverat, qui hæres est potestatis Petro datæ à Christo. Honorandus erat Petrus in personâ Leonis, eandémque ob causam nunc etiam in personâ Clementis hæreditario jure per Christum sancito, ideo Patres Chalcedonenses S. Leoni Dioscorum anathematizanti acclamabant, *Petrus per Leonem locutus est*, *Petrus eum anathematizavit*. Ipse S. Leo causam

Serm. 2. de Anniv. Assumpt. suæ

fam expressit his verbis: *Sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit. Manet ergo dispositio veritatis*, & *B. Petrus in acceptâ fortitudine Petræ perseverans suscepta Ecclesiæ gubernacula non relinquit*. Audiat, imitetur Febronius. Petrum honoret in Clemente: Dicat: *Petrus per Clementem locutus est, damnat Petrus, quod damnat Clemens.*

XL. Verba S. Leonis *de perseverante solicitudine omnium Pastorum*, & *ovium his creditarum* vult esse intelligenda *in sensu Apostoli ad Corinthios*. At (ut

Char-

Charlasius contra Dupinum, quem in hac glossâ, ùt aliàs, Febronius imitatur, observavit) non dixit Apostolus omnium Ecclesiarum solicitudinem sibi incumbere, non dixit hoc sibi munus à Deo esse commissum, sed suæ charitatis latitudinem significabat, quod sequentia ostendunt ejusdem verba: *quis infirmatur, & ego non infirmor, quis scandalizatur, & ego non uror?* Febronius agnoscit solicitudinem, de quâ S. Leo loquitur, & ovium commissarum custodiam *fundatam esse in Primatu à Petro in Pontifices Romanos quasi hæreditariè translato*. Non igitur solicitudo omnium Pastorum ex muneris commissi obligatione incumbens, neque commendata omnium ovium custodia ad Paulum, aliósque Apostolos pertinebat, cùm ad eos non pertinuerit Primatus, in quo fundantur. De omnibus Ecclesiis potuit Paulus pro summâ suâ erga omnes charitate esse solicitus. Ipse adeò Febronius videri vult zelum suum & solicitudinem ad omnes Germaniæ, imò totius mundi Ecclesias extendere, non ideo tamen aut ista aut hæc solicitudo talis est, qualis illa, de quâ S. Leo in hoc sermone loquitur.

XLI. Tandem quasi antedictorum anacephaleosim facturus ita pronuntiat: *hæ Patrum doctrinæ ad speciem diversæ, in substantiâ tamen non discordantes; multùm absunt, ut agnoscant formam monarchicam, vigore cujus regimen universæ Ecclesiæ ita committeretur, ut reliqui Apostoli tantùm sint vocati in partem solicitudinis Petri, cui liberum esset, Coapostolis suis; quam voluerit, portionem communicare; quam voluerit, sibi reservare. Quanquam nonnulli Patres in hunc locum Evangelistæ differentes, aut de Rom. Pontifice tanquam Primate honorificè loquentes* S. Petro, *bujúsque in Primatu Successoribus figuram sanctorum verborum retinentes eum specialiùs applicent, inde tamen haud sequitur, quòd reliquos Apostolos, horúmque Successores ab illius verâ significatione ac sensu, & à Christi Collegium Pastorum instituentis intentione excludant*.

XLII. Jure merito postulaverim, ut causam dicat Febronius, quare tribus, quas produxit, classibus Ss. Patrum non addiderit eam illorum, qui nomine petræ ipsum Petrum intelligunt seorsim, non conjunctim cum cæteris Apostolis. Hæc ab ipso etiam Eliâ Dupinio iisdem est accensita; hanc *Romani curiæque fautores, seu Monarchistæ*, ùt Febronius loqui amat, uno omnes consensu amplectuntur, &, ùt Charlasius inquit, omnes fermè Scholastici, omnes penè Scripturæ sacræ Interpretes, & tot patroni tuentur, ut vix Catholico cuiquam dubia videri possit; dum communior S. verborum interpretatio quærebatur, ea, quæ re ipsâ communior est, præteriri non debebat.

Reponet, setis per periodum: *& quanquam nonnulli Patres in hunc locum &c.* distingui à cæteris eos, qui in hunc locum differentes, aut de Romano Pontifice honorificè loquentes eum S. Mathæi locum specialiùs applicârunt S. Petro & Successoribus retentâ phrasi S. Scripturæ.

 Can-

Candidè fateatur, quòd Lectoribus, quorum paucissimi operam dant S. Scripturarum commentariis, de alio ab his tribus, quos proposuit, distincto explicandi modo indicium facere à scopo suo alienum judicaverit; obiter ideo dicere maluerit, quod aliqui innominati textum specialiùs applicent S. Petro & Successoribus, ut nec hanc classem penitùs omitteret, nec speciali distinctâ mentione instar trium cæterarum dignam esse ostenderet.

Etiam Romanis eorúmque fautoribus hos ipsos Ss. Interpretes, si vel maximè à cæteris eos distinxisset, putat neutiquam patrocinari, cùm æquè longè ac illi, qui seu confessionem Petri, seu ipsum Christum, seu cum Petro æqualiter cæteros Apostolos docuerunt significari, absint à formâ monarchicâ. Primò non ideo hæc classis omittenda erat, quam attentâ solâ historicâ significatione Romani, eorúmque fautores dicunt, & justè omnino dicunt, esse interpretationem totius antiquitatis. Secundò nemo Romanus negat, Apostolis dixisse Dominum: *euntes in mundum universum prædicate &c.* Neque negatur illud: *illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*; & quanquam Jacobus fuerit Hierosolymorum Episcopus, nemo negat, potuisse à quocunque Apostolo sinè S. Jacobi dimissorialibus, ùt nunc vocant, Hierosolymitanum ordinari.

XLIII. Dividendus erat erat inter Apostolos orbis terrarum, ut implerent mandatum Domini; Ecclesiæ regimen non ideo erat in portiones dividendum, ut portionem daret Petrus, portionem, quam vellet, sibi retineret. Talem opinionem Romanis tribuere quid aliud est, quàm nugari? *Rixam inter Pastores gregum Abrabam & Lotb* partitio finivit: *si tu ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo.* Limites provinciarum & parochiarum nunc definitos præterire nefas est. Non eadem Apostolos ratio ad certam portionem singulis assignandam constringebat, at non ideo monarchiam, seu (si nomen hoc, quod ipsi summi Pontifices æquè ùt nomen Imperatoris, Regis, *Αυτοκράτορ* pro suâ modestiâ constantissimè fugerunt, nimis invisum Febronio fuerit) uni supra omnes Hierarchiam, seu sacrum principatum supremum deferri incongruum erat, cùm à Christo ipso forma perpetuùm in regno, seu domo Ecclesiæ terrestris permansura constituenda fuerit, ut unitatis certa esset conservatio, & schismatis tolleretur occasio. Audi Febroni Leonem, quem à te laudatum citatúmque non illubenter audies: *Quisquis principatum Petro æstimat denegandum, illius quidem nullo modo minuere potest dignitatem, sed inflatus Spiritu superbiæ suæ semetipsum in inferna demergit.* Nec felicius est alterum illud ratiocinium: Patres in hunc locum Evangelistæ differentes honorificè loquuntur de Rom. Pontifice, S. Petro, ejusque in primatu Successoribus, verba textûs specialiùs applicant, retineat figuram S. verborum, non ideo tamen excludunt alios Apostolos à verâ textûs significatione, & intentione Christi instituentis Collegium Pastorum.

Gen. 13. v. 7. 8. 9

S. Leo epist. ad Episcopos per prov. constitutos.

Para-

XLIV. Paradoxa Febroniana: *Supremo omnium pares sunt omnes. Specialiùs applicatum uni est generaliter applicatum omnibus*, capiat, qui potest capere. Si unquam Collegium Pastorum Christus instituit, certè tunc fecit, dum duodecim Apostolos nominavit, at verò tunc Primatum Petro non dedit, imò neque promisit. Non dedit tunc mandatum docendi omnes gentes; imò vetuit, ne irent ad gentes. Verba autem, de quibus nunc agitur, uni Petro dicuntur ad virtutis, quam tunc solus exercebat, remunerationem. Verba Christi & Interpretum non mysticè, sed historicè eadem explicantium quisquis attenderit, de verâ significatione & sensu Ss. Patribus consonum judicium feret, quomodo Petro cæteri sint pares, & dispares, quale regimen, seu *directorium* Petro, ejúsque Successoribus tribuerint Patres. Hoc siquis tale velit, quale inter Principes & Ordines S. Romani Imperii in Comitiis observatur, per Constitutiones Pontificias, quibus erronea dogmata Jansenii, Quesnelli novissimè damnata sunt, erroris convincitur.

XLV. Tandem ineptè, ut finis principio, & mediis congruat, ex duobus textibus: *Euntes docete omnes gentes*, &: *accipite Spiritum S.* concludit, *apparere, quòd oppidò fallantur, qui uni Petro claves à Christo datas autumant*. Quis Christianorum asserit Christum dixisse: post resurrectionem soli Petro: vade, doce omnes gentes, vos reliqui hic manete, in viam gentium ne abite; aut soli Petro insufflâsse, & dixisse, accipe Spiritum S. ut solus remittas peccata? Quo ex fonte, quâ Scripturâ, quâ ex Traditione dices: *Dabo tibi claves. Super te Ecclesiam meam ædificabo. Confirma fratres tuos. Pasce oves*, unicum hoc significare; quod significant jam dicta verba Mathæi & Joannis? Hoc si feceris, non Apostolis tantùm, sed & minimis Sacramenti Pœnitentiæ ministris potestatem Petro datam facies esse communem. Math. 18 Joan. 20

§. III.

Expenditur Sensus verborum Christi Joan. XI. v. 15. 16. 17. ad mentem Ss. Patrum.

1. *Comparatio inter ultimam Cœnam & ultimum prandium Christi.*
2. *Christus post Cœnam omnes fecit Sacerdotes, post prandium fecit unum Pastorem.*
3. *Paradoxa crisis Febroniana & inepta citatio Ss. Patrum.*
4. *Febronius pugnantia loquitur.*
5. *Verba Christi:* Pasce oves meas, *Petro singulariter applicari debent.*
6. *Malè citat S. Basilii explicationem tropologicam,*
7. *Et similem S. Chrysostomi.*
8. *Perstringitur Febronianum ratiocinium ex sensu tropologico.*

9. *Quid*

9. *Quid de hoc senserit Melchior Canus.*
10. *Exhibetur sententia Ss. Bernardi, Ambrosii & Augustini.*
11. *Febronius objicit verba S. Petri post Calvinum.*
12. *Distinctionem inter agnos & oves Febronius perperam tribuit novis Scholasticis.*
13. *Quid de hac differentiâ Theophilactus senserit.*
14. *Quid S. Ambrosius, & post eum Theologi.*
15. *Explicatur, quomodo Petrus unus Pastor, & quomodo alii Apostoli fuerint Pastores per typum Cyri.*
16. *Item Jeremiæ.*

I. Dominus gloriam redivivi corporis abscondit oculis discipulorum adhuc mortalium; piscium capturâ per miraculum copiosâ, & prandio divinitus apparato eos recreat; sicut in Cœnâ ultimâ se monstravit verum esse *Sacerdotem in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, & sibi consecravit Discipulos, ut eos sui Sacerdotii æterni consortes faceret, ita post ultimum hoc prandium se ostendit illum esse *Pastorem unum*, quem dixit Propheta: *Salvaturum oves gregis sui, & dispersas congregaturum, ut in pascuis pinguibus & herbis virentibus pascantur.* Sed non sicut concænantes omnes fecerat pari consortio Sacerdotes post Cœnam, ita omnes Discipulos conprandentes pari consortio fecit esse Pastores.

II. Unitati secuturorum temporum volens prospicere tanquam Pastor æternus, & *Pastor unus* uni officium *pascendi* commisit, qui unus supra omnes charitate erga ipsum eminebat, ut à charitate esset unitatis principium. Non dixit: *Pascite;* sicut in Cœnâ; *Comedite. Bibite. Facite*; neque ut in hoc ipso prandio mystico, cujus omnes voluit pari consortio esse participes: *Venite, prandete.* Sed soli Petro, qui solus tertiò interrogatus latentem intra cor, & soli Christo perspicuum amorem cæteris notam facere suavissimam per violentiam coactus tertiò respondet ei, ter dicit: *Pasce* nempe *agnos meos, oves meas*, ut doceret velle se, ut Petrus eas sibi amore conjungat, sicut eas æternâ dilectione sibi ipse conjunxerat.

III. Quid ad istud privilegium Petri Febronius? *Hic volunt* (Qui? Utique Romani, eorúmque fautores) *independenter à corpore Pastorum illimitatam Petro potestatem solvendi & ligandi esse concessam. Si Patres consulamus, hæc verba in personâ Petri ad omnes Pastores Ecclesiæ diriguntur.* Præsto sint Patres. S. Augustinus dicit: *Dum ad unum loquitur, unitas commendatur. Solus non meruit pascere.* S. Ambr. *quas oves, quem gregem tunc suscepit Petrus? Sed & nobiscum eas suscepit, & cum eo illas suscepimus omnes.* S. Chrysost. ait: *Ad singulos nostrûm, quibus vel minimus grex committitur, hoc dictum est.* S. Basilius ait: *Hoc à Christo ipso docemur, dum Petrum Ecclesiæ suæ Pastorem constituit. Omnibus præterea Pastoribus & Magistris hanc*

dedit

dedit potestatem. Quid exinde concludit? Praeeminentiam quidem Petri hic indicari & intelligi, sed eâ salvâ reliquis tunc adstantibus *æquè immediatè & directè traditam fuisse* curam & custodiam ovium. Ecce judicium Patrum, quo suffultam vult suam de Primatu ideam. Addit: Contineat quantamcunque authoritatem & potestatem hoc verbum *pascendi*; etiam soli Petro dictum esse, non repugno; nullam eo contineri contendo, quæ non æquè, imò ampliùs contineatur his ad omnes dictis: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos; & : Euntes docete omnes gentes.*

IV. Mirabitur, quisquis hæc legerit, ingenium versatile jam huc, jam illuc incredibili varietate inflexum, jam præeminentiam affirmans, jam negans; simul volens præeminentiam salvam & destructam; simul Augustini verbis laudans unitatem à Christo ad unum Petrum loquente commendatam, simul eum sacris verbis sensum tribuens tanquam genuinum, quo Christus omnibus æquè, immediatè & directè locutus videatur. Ambrosii verbis dicens, Petrum oves & gregem suscepisse, sed nobiscum: S. Chrysostomi verbis asserens hæc verba etiam eis, quibus minimus grex committitur, imò juxta Basilium etiam Magistris dicta esse, eandémque potestatem his communicatam, & nihilominus Petri præeminentiam à Christo significari.

V. An per Isaiam Dominus nihil singulare dixit: *Qui dico Cyro, pastor meus es*, si qualemcunque Regem Hesiodus vocat ποιμένα λαῶν pastorem populorum? An capiti Imperii Romano-Germanici nihil singulare dicitur, dum salutatur *Imperator*, si supremo ejus Belliduci potest idem tribui? Iterum admonendus est Febronius, ut à sensu historico seu literali ad tropologicum desultoriâ libertate non transeat, aut hunc illi suo arbitrio substituat. *Isa. 44.*

VI. Basilius dum dixit: *Christus Petrum Ecclesiæ suæ Pastorem post se constituit, dicens: Pasce oves oves meas*, historico sensu verba Domini interpretatur; at non, dum de magistris loquitur. Tract. in C. 23. (perperam citatur 22.) *de obedient. monach.* ita describit superiorem monachorum: *Personam Christi sustinet, & est sequester, seu mediator inter Deum & homines, suorum salutem sacrificans Domino, atque hoc à Christo ipso docemur &c.*

VII. Chrysostomus ita docet: Si vis esse cum Christo, fac ejus voluntatem, id autem maximè vult, ut proximo sis utilis. Vis, ut aliunde tibi id corroborem? *Amas me Petre*, inquit, *pasce oves meas. Cùm tertiò interrogâsset, hoc amoris argumentum esse voluit* (en explicationem literalem) *Quod non ad Sacerdotes tantùm dictum est, sed & ad singulos nostrûm, quibus vel minimus grex commissus videtur: nec enim, quia minimus est, negligi debet; Pater enim meus complacuit in ipsis, habet unusquisque nostrûm ovem, ad pinguia pascua eam ducat. Cùm à lecto surgit paterfamilias, hoc quærat, ut faciat & dicat ea, quibus Religionis incrementa domui suæ adjiciat; materfamilias domum custodiat, sed magìs procuret, ut universa familia, quæ ad cælos pertinent, operetur*: Ecce tropologicam, quâ Febronius tanquam ma- *S. Chris. Homil. non 79. sed 78. Edit. Antverp.*

N chinâ

chinâ insuperabili S. Sedem Apostolicam arietando monarchicam potestatem summi Pontificis tentat evertere, *pasce oves* dictum est Petro & Sacerdotibus omnium temporum; patribus-matribúsque familias. Dictum est idem superioribus monachorum; magistris juventutis, imò illis; quibus præter oviculam unam, nempe propriam animam nulla alia est à Deo concredita, ergo Petro nihil singulare dixit Christus.

VIII. Quid hâc argumentandi ratione ineptius, & Catholico indignius? Piget ob eundem sæpè repetitum errorem eadem sæpè dicere, quòd genuinus sensus literalis non sit in tropologica SS. Patrum explicatione quærendus. Non permittunt hoc Patres, non Theologi, qui de viâ & modo rectè Sanctos PP. interpretandi doctè & catholicè tractârunt.

C. 3. L. 6. Melchioris Cani proposit 1. & 3. S. Bern. Libr. 2. de Consid. C. 8.

IX. Melchior Canus dicit: *Innocentius III.* C. solitæ de maj. & ob. & *S. Bernardus ex his verbis: PASCE OVES MEAS indistinctè prolatis evidentissimè argumentantur alienos esse ab ovili Christi, qui Petrum universalis Ecclesiæ Pastorem non recognoscunt; dubitari non potest*, inquit, *ad Petrum eam curam specialiter pertinuisse, quem Dominus, priusquam oves illi committeret, interrogavit tertiò: SIMON JOANNIS DILIGIS ME PLUS HIS? Ubi non solùm nomen expressit, sed & Patris nomenclaturam adjecit, ne ullâ posset ambiguitate Petri potestas eludi, aut perversè in alium torqueri. Non est opus rem alioqui lucidissimam externis admotis luminibus illustrare; quorsum enim dicit Dominus Simoni filio Jonæ: Tu es Petrus, id est saxum, nisi ut intelligeremus, cùm è vestigio addit: Et super hanc petram &c., ipsissimum Petrum esse, super quem esset Ecclesia ædificanda?* Post hæc perstringit Bucerum, quòd impudentissimè neget testimoniis Patrum probari posse, quòd hæc verba soli Petro conveniant.

X. S. Bernardus ita loquitur: *sunt quidem & alii cæli janitores & gregum Pastores, sed tu tantò gloriosiùs, quantò differentius præ cæteris nomen hæreditasti, habent illi assignatos sibi greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus. Nec modò ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor. Cui enim non dico Episcoporum sed & Apostolorum sic absolutè & indiscretè totæ commissæ sunt oves?* Si me amas Petre, pasce oves meas. *Quas? Illius vel illius civitatis aut regni?* Oves meas *inquit. Cui non planum non assignâsse aliquas, sed assignâsse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil... Ubi unitas, ibi perfectio. Cæteri numeri perfectionem non habent, sed divisionem recedentes ab unitate. Jacobus Frater Domini unâ contentus est Hierosolymâ, Petro universitatem cedens. Stat inconcussum privilegium tuum tam in clavibus datis, quam in ovibus commendatis.* Idem dixerat S. Ambrosius his verbis: *Nullus Apostolorum nomen Pastoris accepit, solus enim Dominus dicebat: Ego sum Pastor bonus. Hoc nomen sanctum, & ipsius nominis potestatem post resurrectionem suam Petro pœnitenti concessit, ter negatus negatori suo hanc, quam solus habet, tribuit potestatem.* S. Augustinus ait: *Sit amoris officium pas-*

S. Amb. in psal. 138. S. Aug. Tract. 113. in Joan.

pascere gregem Dominicum, si fuit timoris indicium negare Pastorem. Quid his luculentius, nisi glaucoma visum impediat?

XI. Tria Febronius objicit. 1. Verba Præfationis: *Quos operis sui vicarios.* Eadem verba citanti Almaino quid Cajetanus responderit, jam dictum est. Deinde verba Petri: *Pascite, qui in vobis est gregem Dei.* Calvinus eundem hunc textum proposuit, ut omnibus Apostolis ex æquo potestatem his verbis: *Pasce oves meas*, datam esse ostenderet. Iterum nunc illud argumentum instaurat Febronius, iterum respondetur, quod Calvino respondebatur: portio Dominici gregis per hæc: *qui in vobis est, gregem*, indicatur. *Calv. lib. 4. Instit. C. 7.*

XII. Denique quod Scholastici recenter distinctionem effinxerint inter *agnos & oves*, ut imaginariâ subtilitate antiquitati incognitâ Episcopos per oves, reliquos fideles per agnos significarent. Dic Febroni, quis ex Scholasticis novis est hujus distinctionis inventor? imò quis eâ distinctione utitur in scholâ ad sustinendam potestatem absolutam Romani Pontificis? Jam dixi Theologos scire, quàm vim hujus generis habeant argumenta. Pia hæc allegoria nova non est, placuit post Origenem S. Isidoro Hispalensi.

XIII. *Prudenter* (ait Theophilactus:) Discrimen quis inveniat inter ἀρνία, & πρόβατα, *agnos & oves*, *inter* βόσκειν & ποιμαίνειν; *quasi dicas: pascua præbere, & gregem gubernare. Agni fortasse dicuntur simpliciores, oves verò perfectiores. Oves gubernare perfectionis quiddam & magis absolutum demonstrat.*

XIV. S. Ambrosius ita hanc variationem divini Sermonis proponit: *Tertiò Dominus interrogavit, & jam non agnos lacte pascendos, ùt primò, neque oviculas, ùt secundò, sed oves pascere jubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret.* Hâc Ambrosianâ distinctione motus est inter Theologos Valentia, ut diceret: *sed etiam perfectos, adeòque Pastores ipsos Ecclesiarum, qui velut oves sunt, & matres Ecclesiarum.* Doctus à magistris antiquitatis hoc ante duo ferè sæcula docebat non tanquam novæ subtilitatis inventor; non eo sensu, ut huic allegoriæ tanquam præcipuæ basi apertam Petri supra Apostolos, Papæ supra Episcopos eminentiam superstrueret. *S. Amb. L. 10. in Luc. C. 24.*

XV. Quanquam ad Duces exercitûs Cyri pertineret magna pars operis, ad quod Dominus Cyrum destinavit, ut filios Israël instar ovium errantium dispersos congregaret in Jerusalem, suprema tamen autoritas Cyro est à Domino attributa; dum ei duobus, antequam Cyrus nasceretur, sæculis dicebat: *Pastor meus es.* Ità Petrum Dominus voluit *Pastorem unum*, qui oves percusso Pastore dispersas adduceret ad civitatem sanctam Jerusalem novam. Opus, quod executi sunt Apostoli, & alii Discipuli (eundo ad gentes, retractatâ primâ missione ad solam Judæam restrictâ per prohibitionem: *in viam gentium ne abieritis;* docendo ubique, quod post resurrectionem à Domino jussi fuerant facere, aliáque commissa perficiendo) commune erat, sed non ideo, quod Christus tantâ cum emphasi coram sep-

N 2 tem

rem testibus extremo hoc alloquio dixit, Febronius (quantâcunque contentione contendat) contra communem SS. Patrum interpretationem irritum & quasi non dictum faciet.

XVI. Hâc arte magnam partem eorum, quae Deus Jeremiae mandavit, facilè quasi nullius specialis momenti mandata ludificabitur, cùm sub idem tempus Pontifex, & Sacerdotes Legis ex officio curaverint multa, quae huic Prophetae committebantur. Longè alia fuit mens Chrysostomi, dum dixit: *Jeremiam Pater Unigeniti; hunc* (Petrum) *Christus praeposuit universo terrarum orbi.* [illegible]

S. Chrys. Homil. 55. in Math.

§. IV.

Alii textus ex S. Scripturâ per Cardinalem Bellarminum adducti expenduntur.

1. *Quinque textus à Bellarmino producti pro superioritate Pontificis supra Ecclesiam.*
2. *Quid de his sentiat Febronius,*
3. *Bellarmini de Rom. Pontifice propositiones.*
4. *Nomina, quae Christo tribuit S. Scriptura, communicata sunt Petro.*
5. *Febronius Bellarminum injustâ crisi perstringit.*
6. *Multa fidei dogmata obscurè in S. Scriptura exprimuntur.*
7. *Monarchia sacra Papalis non fuit SS. Patribus incognita.*
8. *Monarchiam & plenitudinem potestatis Pontificiae agnovit Gersonius.*
9. *Restrictio Gersonii impugnatur,*
10. *Et ejus Argumentum de peccabilitate Pontificis & Cardinalium,*
11. *Et argumentum, quod format à missione Petri & Joannis.*
12. *Quomodo Christus sit solus Magister Apostolorum.*
13. *Quod Apostoli Petrum agnoverint Magistrum & Rectorem, probatur ex Act. Apost. & S. Chrysost.*
14. *Expenduntur alii textus ex Act. Apost.*

I. Omisso, aliúmque in locum servato textu: *Expetivit vos Satanas...: ego autem rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, quo Petri supra alios Apostolos superioritatem fortiter probari Theologorum scholasticorum communis est sententia, quinque dixit à Bellarmino proferri, ut probet Romanum Pontificem esse supra Ecclesiam, etiam supra Concilium Generale. 1. Luc. XII. *Quis est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* 2dus 1. Timot. 3. *In domo Dei, quae est Ecclesia, columna & firmamentum*

mentum veritatis. 3. *Pasce oves meas.* 4. *ad Ephes.* 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos. . in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* 5. *Diligite uxores, sicut Christus Ecclesiam.*

II. Bellarminum dicit horum textuum explicatione ita à Patribus recedere, ut ne unum proferre potuerit sibi faventem. Non ex proprio cerebro, sed Scripturâ & traditione monet probandam esse monarchiam Ecclesiæ. Silentium Scripturæ in re tanti momenti, in quâ de summâ rei sacræ uni personæ per universam Ecclesiam cum illimitatâ potestate credendâ contenditur (ipsius Febronii hæc verba sunt) prudens, idque ingens dubium debet excitare de hujus asserti veritate & subsistentiâ. Addit: si Christus *Monarchiam sacram absolutam* voluisset, tam obscuris & incertis expressionibus illam non involvisset. Aliqua in Actis Apostolorum illimitatæ illius potestatis mentio foret, tantùm autem ab eâ S. Lucas aberat, ut dixerit, Petrum ab Apostolis missum esse, quâ missione cum Gersonio dicit subjectionem significari: *Miserunt tanquam subditos Ecclesiæ.*

Febronius semper sui similis eâ fide, quâ ex SS. Patribus decerptas sententias proposuit, jam ex Bellarmini *Tractatu de Conciliorum autoritate* proponit post Launoium quædam eo nexu & formâ, ut eum Cardinalem petulantibus ingeniis sacram Scripturam ad suos sensus contorquentibus, & contra unanimem consensum Patrum interpretantibus accenseat. *Bellarm. Lib. 2. de Concil. autorit. C. 17.*

III. Quid Bellarminus reipsâ docuerit, videamus. Propositionem primam hanc ponit: *Romanus Pontifex est Pastor & Caput etiam totius universalis Ecclesiæ congregatæ à Christo immediatè constitutus.* Probat hanc verbis Christi, sicut ostensum est eam probari à SS. Patribus. Ostendit, quod est in domo fundamentum, esse in corpore caput, in grege Pastorem. Ostendit ex Concilio Chalcedonensi S. ad Leonem ùt *Caput præfuisse Episcopis congregatis: Quibus* (verba sunt Patrum in epistolâ ad Leonem) *tu quidem ùt Caput præeras.* Ex Lugdunensi: Quòd Patres Concilii dixerint Pontificem *Rectorem universalis Ecclesiæ.* Ex Florentino: Quòd Patres definierint Pontificem esse *totius Ecclesiæ Caput.* Ex Constantinensi: Quòd Patres damnaverint hanc propositionem Hussii tanquam hæreticam: *Papa non est Caput Ecclesiæ*; & hanc Wicleffi: *Papa non est immediatus Christi Vicarius.* Concludit: *Christus si visibiliter adesset, Generalibus Conciliis præesset; ergo Papa jam visibiliter præest.* *Matt. 16.*

Ponit propositionem alteram: *Summa potestas remoto Papâ non est in Ecclesiâ vel Concilio aut formaliter aut subjectivè.* Probat, quia Christus dicitur *Rex*, & Ecclesia *Regnum*; regiam hanc potestatem dicit non esse à populo, ùt in regnis hominum, ideóque vicariam regni gubernationem, tota quanta est, à Christo esse, qui potestatem vicariam nunquam dedit toti multitudini, toti gregi, toti familiæ, toti corpori. *Si*, inquit, *immediata potestas* *Psal. 2. Luc. 1. Apocal. 5. V. 10*

 vicaria

viacaria foret penes Ecclesiam, inde ad Papam transiret; atque ita hic non immediatus, sed mediatus esset vicarius Christi.

Tertiam ponit hanc: *Summus Pontifex absolutè est supra Concilium Generale.* Hanc probat ex duabus anterioribus, tum & *ratione in Scripturis fundatâ* hac:

IV. Omnia nomina, quæ in Scripturis tribuuntur Christo, probant, quòd Christus sit supra Ecclesiam; eadem omnia tribuuntur Pontifici. 1. Christus est Paterfamilias in domo suâ, Papa in eâdem domo est Paterfamilias loco Christi tanquam *dispensator, quem constituit Dominus super familiam suam.* Dicit SS. Patres hæc verba Episcopis, quantùm ad particulares familias, seu Diœceses, tribuere: inde concludi, quòd Papæ rectè tribuantur, quantùm ad Ecclesiam universam. S. Ambrosius (seu Hilarium Diaconum) sic loqui: *Domus Dei Ecclesia dicitur, cujus hodie Rector est Damasus*: & S. Chrysostomum eadem verba de Petro exponere. Alterum nomen Christi esse, quòd sit *Pastor bonus*; idem Petro communicari. Si pascit, præest gregi, non subest. Tertium Christi nomen esse, quòd sit *Caput corporis Ecclesiæ*; hoc Petro communicari ostendit Concilium Chalcedonense. Quartum Christi titulum, quòd sit *sponsus Ecclesiæ*; Petro tribui per Patres Concilii Lugdunensis ostendit his eorum verbis: *Acceleret utilis, pernecessaria totius mundi provisio, idoneo celeriter eidem Ecclesiæ sponso dato*, id est, per electionem Pontificis, de quâ tunc agebatur. Infert Bellarminus contra Apostolum, & contra naturæ ordinem esse, ut sponsa præsit sponso.

Ad text. 1. ad Timoth. 3. V. 15. Joan. 10. Joan. ult. V. 17. Ephes. 4. Concil. Chal. Act. 3. Cap. ubi periculum de elect. in 6.

V. Si Bellarminum inspexisset Febronius, scribere ausus non foret, quòd Bellarminus ne unam quidem è Patribus propositi lemmatis assertorem proferre potuerit, sed variis ratiocinationibus Monarchia Ecclesiastica superstructa sit, eáque penitùs *ad Monarchiæ secularis formam.* Quid iniquius crisi tam falsâ, quâ Lectoribus Bellarminus tanquam ineptissimus Scriptor in re gravis momenti nullâ autoritate, cerebrinis tantùm ratiunculis præfidenter innixus exhibetur hâc fiduciâ; quòd sicut ipse Bellarmini probationes non vidit, ità Lectores eo non inspecto sibi fidem habituros, ac sua, Launoiique improperia contra Bellarminum vibrata potiùs quàm Natalis Alexandri modestam confutationem imitaturos.

VI. Catholico (non dicam Theologo, sed quocumque) indignum est, quod scribit: *Neque Christus suæ Ecclesiæ satis prospexisse videri potest, si Monarchiam fucram instituere volens eam obscuris & incertis expressionibus involvit, ut nullus SS. Patrum illam subodoratus fuerit.* Fallitur, si vult ad finiendas magni momenti quæstiones Scripturarum textus claros. Certè magni momenti est septenarius numerus Sacramentorum, Processio Spiritûs S. à Patre & Filio, duplicis in Christo voluntatis discretio, Christi cum Patre consubstantialitas, aliáque, non semper in Ecclesiâ Dei judicatum est expressiones esse tam claras, ut seu instabiles, seu indocti ad suam perditionem

eas

eas non possent in sensum falsum detorquere, neque interpretationes Patrum tam perfectè unisonas esse deprehensum est; an ideo Ecclesiæ suæ Christus non satis prospexit?

VII. Si autem contendat nullum omnino ex Ss. Patribus sacrum Principatum, seu, quod idem est, Monarchiam sacram subodoratum esse: necesse erit ea omnia, quæ jam ex Patribus adducta sunt, & ex iisdem, dum opportunum erit, adducentur, falsa & conficta dicere.

VIII. Adeo hæc luculenta sunt, ut & ipse Gersonius citatus à Natali Alexandro dixerit: *Potestas Ecclesiastica in suâ plenitudine est formaliter & subjectivè in solo Romano Pontifice. Plenitudo potestatis Ecclesiasticæ est potestas ordinis & jurisdictionis, quæ à Christo supernaturaliter Petro sicut Vicario suo & Monarchæ primo pro se & suis Successoribus legitimis usque ad finem Sæculi data est ad ædificationem Ecclesiæ militantis pro consecutione felicitatis æternæ.* Hæc Gersonius. Ergo Monarcha & Monarchia non sunt tam invisa nomina, ut ea prudenter Febronius exhorrescat. Lib. de pot. Eccl. Consid. 10. & 11. Nat. Ale. Hist. Ecc. Sæc XV. & XVI. Dissert. 4.

IX. Voluit quidem hanc nuncupationem Gersonius ita restringere, ut eadem potestas Ecclesiastica in *suâ plenitudine sit in Ecclesiâ, & in Generali Concilio tanquam in gerente vices ejus tum finaliter, tum quoad applicationem ad hanc vel illam personam, tum quoad usum regulandi, si in abusum verteretur.* Sed (quod præclarè contra eundem observârunt Cajetanus, Canus, Valentia, Bellarminus, aliique) non probat Gersonius, quòd vicariam gubernationem Ecclesiæ voluerit Christus esse penes Ecclesiam. Non probat, quòd Christus voluerit ovile esse supra Pastorem. Non probat, quòd Synodus etiam Generalis sit Vicaria Christi.

X. Acutè hoc etiam Cajetanus perstringit in Gersonio, quòd dicat summum Pontificem *peccabilem esse*, & quòd hanc monarchicam potestatem possit in destructionem velle convertere; similiter sacrum Collegium, quod ei quasi communitas aristocratica coassistit, *non sit in gratiâ, vel fide confirmatum.* Quærit, quomodo, cùm Gersonius dicat: *Certè debet Concilium authorisari per Papam*, confirmationis robur accedere possit ab eo, qui non est in gratiâ vel fide confirmatus?

XI. Argumentum Gersonii, quo ex Petri & Joannis in Samariam ab Apostolis factâ missione concludit subjectionem Petri, negat alicujus esse momenti: Missi sunt, inquit, non tamen ùt subjecti. Spiritus enim S. missus est à Filio juxta illud, *quem ego mittam vobis*; & tamen non est subjectus. *Malè Theologus est, qui ex missum esse infert, subjectum esse*, ait Cajetanus. Missi dicuntur Phinees Sacerdos, & Principes decem Tribuum non à Josue, non ab Eleazaro Pontifice, sed à populo; non ideo tamen Phinees & Principes populi facti sunt subjecti populo, sed politicâ subjectione Duci parebant, quoad sacra Eleazaro erant subjecti. Cajet. Tract. de comp. aut. Papæ & Con. Cap. 11. Josue cap. 22.

XII. *Nihil*, inquit Febronius, *in Actis Apostolorum conspicitur, ex quo*

colligi valeat cæteros Apostolos suspexisse Petrum ùt Magistrum & Præceptorem suum, qualem reveriti fuerant Christum; minùs ùt talem, à cujus nutu & voluntate ministerium illorum dependeret. Si vult Theologis, qui supremum, seu monarchicum in Petro & Successoribus Principatum venerantur, stolidam hanc opinionem affingere, quòd aut Christo Petrum faciant æqualem magistrum & præceptorem, aut saltem nullos Apostolici Ministerii actus sinè Petri nutu doceant exerceri potuisse à cæteris Apostolis, sciens, volens mentis prodit malevolentiam, cùm eum non lateret, quòd ab omnibus Christianis agnoscatur inter Christum & Petrum, inter Pontificem æternum, cujus regni non erit finis, & ejus Vicarium infinita Magisterii diversitas; & quòd inter functiones Apostolatûs, & supremam Ecclesiæ gubernationem iidem Theologi discrimen ex Christi verbis, & Ss. Patrum interpretatione confiteantur.

XIII. Si autem velit ex historiâ S. Lucæ non apparere, quòd Apostoli Petrum tanquam à Christo constitutum vicariâ cum potestate supremâ Rectorem & Magistrum agnoverint, falsi convincunt Gesta S. Petri per Lucam
Act. 1. descripta. Primus Petrus proponit novum Apostolum esse eligendum: *Oportet*, inquit, *ex his viris, qui nobiscum sunt, eligere unum &c.* Quæ
Homil. 3. in Act. Apost. verba S. Chrysostomus expendens exclamat: *Quàm in hoc Choro Princeps est! Quàm agnoscit à Christo sibi creditum gregem? Annon licebat*, inquit, *ipsi Petro eligere? Licebat ei, & quidem maximè, sed non facit, ne cui videretur gratificari, etiam Spiritûs S. nondum erat particeps. Considera, quo pacto Apostoli concedunt ei solium, nec ampliùs ambigunt disceptantes, quis eorum videretur esse major.*

S. Chrysost. ibid. XIV. *STANS PETRUS CUM UNDECIM LEVAVIT VOCEM SUAM.* Tacent undecim, & quæ Petrus dicebat, tacendo confirmant. Hanc in Petro laudat [illegible] *Magistri seu Præceptoris* providentiam Chry-
Act. 5. sostomus, quòd *primus novum magistrum constituendum dixerit.* Ananiam & Saphiram, à Spiritu S. illorum occultam prævaricationem edoctus punivit. Simonem magum ejecit ex Ecclesiâ. *Vos scitis*, inquit congregatis Apostolis, *quoniam ab antiquis diebus elegit Dominus per os meum audire gentes verbum Evangelii & credere. Controversiam de Legalibus definit tanquam*
S. Hier. Epist. 11. ad S. Aug. *Princeps decreti, in ejúsque sententiam Jacobus Apostolus, omnésque Presbyteri transierunt*, ùt ait Hieronymus. *Petro loquente tacuit omnis multitudo.** Quia *os Apostolorum* Petrus erat, πάντων αὐτῶν τὸ στόμα, ait Chrysostomus, *Prin-*
** Act. 15. S. Chrys. Homi. 87 in Joan.* *ceps & vertex ipsius cœtûs.* Propterea Paulus ascendit Hierosolymam videre Petrum præ aliis; *non discendi studio*, ait Hieronymus, *sed honoris priori Apostolo deferendi causâ.* Quis oculus, veritatis lucem non fugiens in Actis Apostolorum non facillimè hæc aliáque conspicit? An Catholicus bonæ mentis & formam sanorum verborum juxta Apostoli monitum habere cupiens audebit cum Febronio dicere: hi, qui Monarchiam sacram summi Pontificis

ficis eâ, quam dixi, Theologis communi significatione defendunt, nullo praeeunte Ss. Patrum, (plus dicam) contra omnium sensum in rem suam textus sacros violenter detorquent? Quis Dialecticus dicat tali Febronianâ Scriptione demonstrari, quod sanctae Religioni & Ecclesiae Christi ea Theologorum de formâ regiminis Ecclesiastici explicatio *effectivè* (ùt loqui amat styli Scholastici censor) *praejudicium inferat*? Quod Illustrissimus Bossuetus justè dixit contra Simonium, penitùs parergon est.

§. V

Demonstratio Febroniana ex verbis S. Scripturae fabricata discutitur.

1. *Septem textibus S. Scripturae Febronius jactat se demonstrare, quòd Ecclesia sit supra Petrum & ejus Successorem.*
2. *Duo primi textus etiam convincerent Ss. mulieribus & aliis, Ecclesiae regimen esse commissum.*
3. *Argumentum à Christo rogante missionem Spiritûs S. ad ejus orationem pro inerrantiâ Petri.*
4. *Ex textu I. ad Tim. 3. nihil sequitur ad intentum Febronii.*
5. *Non ad Ecclesiam idealem, neque ad totam multitudinem,*
6. *Neque semper ad Concilium generale in fidei negotio recurrendum est, sed Romam.*
7. *Ridicula Febronii illatio ex verbis Christi Math. 23.*
8. *Malè ratiocinatur ex textu Math. 18. secutus Amesium Acatholicum.*
9. *Quid ad hoc argumentum responderit Cajetanus Almaino.*
10. *Verba Gratiani:* Leges instituuntur, dum promulgantur &c. *S. Augustino perperam à Gersone adscripta explicantur.*
11. *Februoniana methodus demonstrandi ulteriùs perstringitur.*
12. *Refellitur dictum Febronii:* Naturale est Ecclesiae coire in corpus seu Collegium.
13. *Examinantur verba S. Hieronymi:* Orbis major est urbe.

I. Ecclesiam, & eam repraesentans Concilium Generale esse, ùt Febronius loquitur, supra Petrum, & ejus Successorem Romanum Pontificem, hac demonstratione probare nititur: Christus promisit Apostolis Spiritum S. *Joan. 14* Dixit: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Apostolus dixit Ecclesiam esse *columnam & firmamentum veritatis.* *Math. 18* Apostoli dixerunt: *Visum est Spiritui S. & nobis.* Christus vetuit, ne Dis- *1. ad Tim 3. Act. 15* cipuli vocentur *Magistri*, neque *Patres*. Dixit: *si peccaverit frater ... dic* *Mat. 23.* *Ecclesiae.* Christus dixit Apostolis: *Quidquid solveritis &c.* Ergo Conci- *Mat. 18.* lium est supra Petrum & Pontificem. Ecce demonstrationem Febronianam. *ibid.*

Liquebit inde, quàm providè & sapienter Clemens Alexandrinus locis suprà citatis, & cum eo antiqui ac novi Theologi Dialecticam dixerint necessariam Theologo, ne paralogismis, aut falsis ratiocinandi ac demonstrandi modis decipiatur.

Cap. 2. II. Prædixit Joël, *effundendum esse Spiritum Domini super omnem carnem, super servos & ancillas, prophetaturos filios & filias.* Hoc S. Petrus proposuit tanquam tunc adimpletum. Act. 2. Tres sanctæ mulieres apud sepulcrum Domini congregatæ quærebant Dominum, qui apparens eis dixit: *Ite, nuntiate fratribus meis.* In cœnaculo erant Discipuli, & mulieres cum Mariâ Matre Jesu. An Febronius ex eo, quod Spiritus Sanctus mulieribus promissus, & datus sit, & quod in nomine Christi fuerint congregatæ, conficiet mulieres ad regimen Ecclesiasticum pertinere, ejúsque regiminis formam à Christo illis textibus esse propositam?

III. Si Christus rogando Patrem, ut det Discipulis Spiritum veritatis, obtinuit, quod petivit, si rogando pro *eis non solis, sed & omnibus credituris,* Joan. 17. v. 20. *ut omnes unum sint*, impetravit, quod obsecrabat, quare eadem efficacia non tribuitur Orationi Christi, quâ specialiter pro Petro rogavit, ut ejus *fides non deficiat* & ut *confirmet fratres* & his contra Sathanam fiat veritatis seu fidei firmamentum?

IV. Quò illa consecutio: Ecclesia est columna & firmamentum veritatis, ergo non tantùm nihil speciale promissum, nihil speciale datum est Petro, sed & subjectus est multitudini?

V. Dixi, dico iterum: pingitur, sculpitur S. Mater Ecclesia fœmineo vultu portans claves, & tiaram, scit; probat; suóque sumptu curat Pontifex, ut eo habitu & formâ pingatur, sculpatur; sed dum fideles ab Ecclesiâ doceri desiderant, quorsum ibunt? Non ad ideam illam abstractam, neque ad totam omnium credentium multitudinem tali imagine significatam, dum dicunt se velle ad sinum S. Matris nostræ confugere; ergo erit aliquis locus, Deu. 17. aliquis homo assignandus, ad quem ire jubeantur. Sicut, dum stabat Synagoga, ibatur non ad Synagogam idealem, abstractam, sed ad Pontificem juxta mandatum Legis; ita eatur nunc ad Pontificem nostræ legis. Si pedes vacillant, aut periculosæ doctrinæ ventus te circumfert, frustra aut idealem Ecclesiam aut realem multitudinem innumeram ex omni gente, tribu & linguâ compositam quæres.

VI. Addo: frustra Episcoporum cœtum ex omni gente, & tribu & linguâ colligendum exspectabis, dum provinciam tuam novi *Doctores loquentes perversa* conturbant; remedium hoc difficillimum frustra exspectabis, ut compescantur, & *errare, ac in errorem mittere* desinant. Nôsti paucos cœtus, eósque admodum parvos Episcoporum fuisse ante Nicænum, paucos, & parvos fuisse post Tridentinum, an Christus tribus illis primis, & duobus his postremis sæculis dormitavit, aut dormivit? Minimè; ibatur tunc Romam,

mam, *unde* (ajebat Tertullianus) *nobis quoque autboritas præsto est.* Afrum illum Doctorem Cyprianus & ipse Afer secutus est, qui cunctos ex Africâ navigantes hortabatur, *ut Ecclesiæ Catholicæ matricem, & radicem Romam tenerent, & agnoscerent;* hanc vocabat *Ecclesiam principalem, unde Sacerdotalis unitas exorta est.* Hunnericus & Attila Leonem I. Totila Pelagium I. venerabantur, quanquam à Sacris Christianorum alieni; sicut Jaddum Alexander Macedo. Ab altioris dominationis occulto impulsu id pervenisse quis neget? *Potentiori principalitate Ecclesiæ Romanæ*, dicit Irenæus, *confundimus eos, qui quoquo modo vel per suî placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt*, id est, paradoxa ratiocinia conficiunt.

Tert. l. de præs. adv. hær. c. 36. S. Cypr. Epist. 8. Lib. 4.

VII. Jam illam demonstrationem Febronii expendamus: Christus dixit: *Unus Pater est in cælis*, nemo alius dicat se patrem; *unus Magister in terris* (ùt tunc erat) *est Christus;* nemo alius se dicat magistrum. Quid inde? Hoc palmarium: ergo Petrus mansit, dum vixit, subditus Ecclesiæ; ergo Papa, quamdiu vivit, non est Doctor fidelium, sed Discipulus Ecclesiæ. Erravit Paulus, judice Febronio, dum dixit *pædagogos multos; patres esse paucos*, se *patrem* esse; etiam dum dixit *ad consummationem Sanctorum in opus Evangelii* constitutos esse *in Ecclesiâ Doctores*, seu Magistros, quanquam illam paternitatem æterno Patri, illud Magisterium Christo Magistro subesse non dubitaverit. Quid justi ratiocinii à tali ratiocinatore exspectabit Theologia Catholica?

1. Cor. 4.

VIII. Non minùs abnorme est argumentum (ùt quidem vult Febronius) apodicticum ex illo: *Dic Ecclesiæ*, formatum duce ac præceptore Amesio Calvini Sectatore *Bellarmini enervati* authore; quod etiam Almainus Cajetano objecit. Amesius fretus robore argumenti ad formam id cogit Aristotelicam: *Frater peccans* judicari potest ab Ecclesiâ; atqui Papa circumdatus infirmitate est peccatis obnoxius frater; ergo ... Minorem probat: Orat nobiscum: *Pater noster*, ergo est frater. Peccato autem obnoxius, quia Petro Paulus restitit in faciem, cùm non ambularet ad veritatem Evangelii. Quid sic demonstranti Magistro Amesio, & discipulo Febronio respondeat Theologus?

IX. Sufficiet jam dicere ad resuscitatum hoc ratiocinium denuo perimendum, quod an. 1512. Cajetanus Almaino hanc objectionem Gersonianam tunc instauranti respondebat: *Ignorantiæ est ex hoc textu subjectionem Papæ velle arguere. Salvator indefinitè exprimit & personam peccantem, & peccatum, dum dixit: SI PECCAVERIT FRATER TUUS; limitatio tamen adbibenda est peccato, ut sit capax adbibitionis testium; limitare ergo etiam oportebit personam, ut sit frater subjectus habens superiorem. Cùm Papa eum non habeat, recurrendum est ad Deum, ut illum emendet, vel tollat.* Citat S. Thomam *. Textus *Evangelii* (pergit Cajetanus) *non magis dicit Ecclesiam universalem, quàm particularem. Mediolani sufficit dicere Ecclesiæ*

S. Thom. *4 Sent. Dist. 19. q. 2. a. 2. & 3. ad 2

Mediol. si eam non audierit, erit sicut Ethnicus; si non audiret totam collectionem Mediolanensium sinè Prælato, non esset sicut ethnicus; esset autem, si non audiret ejus Ecclesiæ Prælatum. Communis animi conceptio fidelium est: DIC ECCLESIÆ, idem esse, quod: Dic Prælato Ecclesiastico, ratione cujus Ecclesia ipsam potestatem habet. Nullibi in sacrâ Scripturâ habetur, quòd Dominus per semetipsum communitati Ecclesiæ immediatè potestatem jurisdictionis dedit; neque promisit per semetipsum immediatè se daturum, ùt patet in literâ. Ipse Episcopus Mediolanensis peccans non denuntiatur Ecclesiæ suæ acephalæ, sed superiori ejus. Papa deterioris conditionis non est, ergo acephalæ Ecclesiæ universali non est denuntiandus, sed recurrendum erit ad Christum, qui citò faciet vindictam. Ita Cajetanus in citato Tract. ejúsque apologiâ, Addit *nec Petrum tunc fuisse Pontificem, nec tunc extitisse communitatem Sacerdotum Diaconorum & Episcoporum, per quos integratur Generale Concilium; si autem non erat tunc talis communitas, neque Pontifex, falsum erit, quòd potestatem jurisdictionis tali communitati tunc dederit, quia non enti nihil datur.* Hæc pensitanti apparebit Febronium operam perdidisse, dum ex Tractatu Gersonii prolixum ejus de hoc textu discursum descripsit.

X. Hoc in transumpto dicit Gersonius falsa non pauca, quæ perstringendi occasio deinceps opportuna se offeret. Illud nunc indicandum, quod (ùt Gerson loquitur) *ad reprimendum præsumptionem quorumdam summorum Pontificum, vel eis adulantium* hanc ex S. Augustino sententiam proferat: *Leges instituuntur, cùm promulgantur, firmantur autem, cùm moribus utentium approbantur.* Mirum est virum adeò & scientiâ & probitate commendatum talem suæ opinioni fucum facere voluisse, ut Gratiani verba S. Augustino affingeret. Canonem, seu Capit: *in istis* Dist. 5. Gratianus desumpsit ex Libro Augustini *de verâ Relig.* Sententia S. Augustini eo in canone expressa hæc est: *Cùm leges fuerint institutæ & firmatæ, non licebit Judici judicare de ipsis, sed secundùm ipsas.* Glossator dicit: Dum Papa vult Canones condere, Episcopi possunt contradicere, & dicere, Canon iste non convenit consuetudini regionis nostræ, sed quod semel approbatum, reprobari non potest, nisi ex novâ causâ. Gratianus ipse subjunxit: *Leges instituuntur, cùm promulgantur &c,* ipsa sua hæc sic ibidem explicat: sicut moribus utentium nonnullæ leges abrogatæ sunt, ita moribus utentium confirmantur. Addit exemplum Telesphori Papæ; ille, inquit, decrevit; ut Clerici generaliter à Quinquagesimâ jejunent, sed dum illud Decretum non fuit moribus utentium approbatum aliter agentes transgressionis reos non arguit. Quid verò hæc ad Gersonis & Febronii obliquam intentionem conferunt? Quæ illa Pontificum ficta præsumptio est, quæ his verbis, si, ùt reverâ sunt, Gratiani non essent, sed ipse S. Augustinus ea dixisset, reprimeretur? Scimus tum tacito, tum expresso etiam summorum Pontificum consensu multas Germaniæ provincias licitè ovis & lacticiniis in Quadragesimâ vescendi per-

missio-

missionem habere, aliásque legibus Pontificiis contraria licitè facere *solâ legitimae* consuetudinis authoritate subnixas.

XI. Bellae huic Febronianae methodo demonstrandi conformes sunt ejusdem discursus sequentes: Uni membro minor est authoritas, quàm toti corpori; atqui Petrus, ùt ùt principalius, certè unum membrum erat, sicut & unus frater; ergo minor ejus erat authoritas. Si quid momenti tale ratiocinium haberet, facilè cujuscunque Regis aut Monarchae authoritatem deprimeret. Multò illud absurdius est, quòd S. Gregorii verba putaverit suae intentioni suffragari. Petrum dicit Gregorius *primum membrum sanctae & universalis Ecclesiae.* Paulum, Andream & Joannem nihil aliud, quàm *singularum plebium capita, & tamen sub uno Capite Christo omnes sunt membra Ecclesiae.* Insignem certè Petro supra Coapostolos eminentiam Gregorius his verbis tribuebat; quòd autem ab uno & eodem Capite Christo in Petrum & alios immensa merita defluxerint, sicut in Reges & mendicos benignâ Redemptoris nostri miseratione defluunt, perfectam omnium participantium aequalitatem neutiquam concludit. Ejusdem & artificii & roboris est hic ejusdem discursus: In nullo statu monarchico subditi unquam dicti sunt fratres sui Regis; ergo Ecclesiae tribui non potest status monarchicus. Si Alexander suos Macedones dixit commilitones, an ideo eorum Rex esse desiit? Si Christus dixit Apostolis: *Qui major est vestrûm, fiat sicut minor*; an ideo negabat inter eos aliquem fore majorem, minores alios? Si Christus dixit: *Non veni ministrari, sed ministrare.*: Si Petrum & Apostolos etiam post resurrectionem vocavit *fratres suos*: *Ite, nuntiate Fratribus meis*; an ideo desiit esse Monarcha, seu supremus Princeps? Dum Christum Pontifex imitatur, Mat. 28. humili titulo se vocans *Servum Servorum Dei*; dum omnes Episcopos, etsi Clerum & populum non habeant, sed merum Episcopalis ordinis titulum, vocat *venerabiles fratres*, *Symmistas*, *Coëpiscopos*, se Pontificis aeterni, *Principis Pastorum & Episcopi animarum nostrarum* ostendit *Vicarium*, probátque *non sic, ùt Reges gentium faciunt, se in Cleris & populis dominari.*

XII. Tandem dicit naturale esse Ecclesiae *coire in corpus seu collegium* & quidem ex Christi instituto, non ita in regnis monarchicis subditos cum Rege tanquam commembro & consodali collegium facere, collegialiter deliberare, statuere, & definire. Primùm quaero: An Ecclesia contra naturam, contra institutionem Christi tum ante Concilium Nicaenum, tum post Tridentinum peccavit, vix unquam coëundo in corpus ad collegialiter deliberandum, statuendum, & definiendum? Deinde illud vehementer postulo, ut Orientalium & Occidentalium Conciliorum Acta inspiciat Febronius, videátque, an Sylvester, an Leo, an Coelestinus, an Agatho, an Adrianus, Innocentius III. Alexander III. Clemens V. Martinus V. caeteris considentibus Orientis & Occidentis Episcopis, se tanquam consodales immiscuerint eâ formâ, quâ in Comitiis Imperialibus Principes illi, qui Directoriales vocantur,

tur, cum cæteris Principibus, aut Ordinibus Imperii deliberant, consultant, statuunt, definiunt?

XIII. Verba Hieronymi: *Si authoritas quæritur, orbis major est urbe*, si epistolæ ab Hieronymo ad Evagrium scriptæ argumentum & junctura, seu nexus verborum attenditur, unum hoc spectabat Hieronymus, ut superbiam Diaconorum se Presbyteris non æquantium tantùm, sed & illis præferentium retunderet. Cùm ad Romanæ Ecclesiæ consuetudinem provocaretur à Diaconis, ut honorem tanquam justè comparatum tuerentur S. Doctor communem aliarum totius orbis Ecclesiarum morem illi particulari consuetudini opponebat: *nec altera*, inquit, *Romanæ urbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est, & Gallia, & Britannia, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & barbaræ nationes unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis. Si authoritas quæritur, orbis major est urbe... Sed dicis, quomodo Romæ ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi præfers unius urbis consuetudinem? quid paucitatem, de quâ ortum est supercilium, in leges Ecclesiæ vendicas? Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemtibiles facit. Cæterum etiam in Ecclesiâ Romæ Presbyteri sedent, & stant Diaconi.* Diaconorum nulla Pontificia Constitutio sanciverat, sed fastus in morem induxerat; ùt judicabat Hieronymus; etsi tunc Romæ invaluisset, liberè contradici poterat consuetudini, cui ordo hierarchicus videbatur obsistere. Vide jam Febroni, quid quæratur eo loco, & quàm importunè hæc de Archidiaconis scripta ad summi Pontificis authoritatem deprimendam convertas. Sed Gersonius & Almainus, & Dupinus & Maimburgus digni tibi visi sunt, quos hac citatione ad speciem (si voces attenduntur) admodum splendidâ imitarêre.

§. VI.

Expenditur assertio Febroniana: *Claves Universitati Ecclesiæ dedit Christus. Earum potestas exercetur per Ministros Universitati subordinatos, ne excepto quidem Rom. Pontifice.*

1. *Falsum est, Sententiam esse communem Gallorum*: Claves Christus dedit universitati Ecclesiæ.
2. *Probatur per Concilia Lugdunensia I. & II.*
3. *Et Viennense,*
4. *Et per Edictum Valentiniani Imperat.*
5. *Et authoritate Synodi Aurelianensis II. & Turonensis II.*
6. *Et testimonio S. Bonifacii de Gallis,*
7. *Et Alcuini,*
8. *Et Hincmari Remensis,*

9.

9. *Et S. Thomæ Aquinatis,*
10. *Et Petri de Alliaco,*
11. *Et declaratione Legatorum Regis ac Synodi Galliæ ad Concilium Florent.*
12. *Consonant Synodi recentiores Gallicanæ.*
13. *Quid conventus Cleri Gallicani declaraverit anno 1626.*
14. *Quid Episcopi Galli 85. petiverint ab Innocentio X. in causâ Jansenii.*
15. *A S. Irenæo usque ad finem Sæculi XVII. eadem mansit sententia Gallorum.*
16. *Concluditur non ad Universitatem, sed Universitatis Rectorem pertinere regimen Ecclesiæ.*
17. *Alphonsus Tostatus à Febronio citatus refellitur.*
18. *Quid Spondanus Episcopus Gallus senserit de Tostato.*
19. *Febronius abutitur authoritate S. Scripturæ & S. Concilii Trid.*
20. *Frivolum ratiocinium Febronii refutatur.*
21. *Ecclesiam Febronius malè comparat Reip.*
22. *Iterum citat S. Augustini verba tropologicè intellecta.*
23. *Clavium potestas quomodo sit communicata Ministris Sacramenti pœnitentiæ & Parochis*
24. *Clavium potestas ulteriùs explicatur in sensu accommodatitio.*
25. *Voces abstractæ quomodo intelligendæ in hac materiâ.*
26. *Quomodo his abutatur Febronius.*
27. *Tropica & propria significatio distingui debent.*

I. Quòd potestas clavium propriè transcripta sit à Christo Universitati Ecclesiæ, ita ut usus illius potestatis sit penes Petrum & Apostolos, postea penes Pontificem & Episcopos, Febronius audacter asserit sententiam esse communem Theologorum Galliæ tam veterum quàm recentiorum, quanquam ne unum quidem hujus paradoxi assertorem proferat.

II. Falsi eum convincunt Concilia Oecumenica in Galliis celebrata. Lugdunensis I. Concilii Patres dicunt: *Christus, ne gregem sui pretio sanguinis redemptum absque Pastore desereret, ipsius curam B. Petro, ut sua stabilitate fidei cæteros in Christianâ Religione firmaret ... commisit.* Consonat Lugdunense II. S. Romanam Ecclesiam vocat *omnium fidelium Matrem & Magistram.* Hæc in eo Concilio approbata est forma professionis fidei: *Ipsa S. Rom. Ecclesia summum & plenum Primatum & Principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe sive vertice, cujus Rom. Pontifex est Successor cum potestatis plenitudine, recepisse veraciter & humiliter recognoscit.*

III. In Viennensi Papa his verbis: *Nos Apostolicæ considerationis, ad quam duntaxat hæc declarare pertinet, aciem convertentes,* his, inquam, verbis approbante Concilio declarat, ultimam sententiam in causis Fidei ad suum officium pertinere. IV.

IV. Romani Pontificis authoritatem supra omnes Galliarum Ecclesias edicto suo corroboravit Valentinianus Imp. contra S. Hilarii Episcopi conatus contrarios ab eo postea retractatos. *Tunc*, inquit Cæsar, *Ecclesiarum Pax ubique servabitur, si Rectorem suum agnoscat Universitas: hæc*, inquit, *cùm hactenus fuerint inviolabiliter observata, nostram quoque præceptionem hæc ratio provocavit, ne ulteriùs Hilario, nec unquam alteri præceptis Rom. Pontificis liceat obviare, sed illis omnibúsque pro lege sit, quidquid sanxerit Apostolicæ Sedis authoritas.*

V. Synodus II. Aurelianensis idem Pontifici exhibet obsequium. Synodi II. Turonensis Patres ita loquuntur: *Quis Sacerdotum contra Decreta talia, quæ à Sede Apostolicâ processerunt, agere præsumat? Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præceperit authoritas.*

VI. S. Bonifacius Martyr de Gallis testatur: *summâ omnes reverentiâ apicem Apostolicæ Sedis suscipiunt, illius velle, illius nolle tantùm explorant, ut ad ejus arbitrium suam conversationem remittant, aut intendant.*

VII. Sæculo VIII, Alcuinus: *Religionis cultum sic Dominus instituit, ut in B. Petro principaliter collocaret, atque ab ipso quasi Capite dona sua vellet in corpus omne manare.* Idem contra Elipandum: *Hæc vestri erroris secta Synodali authoritate Sacerdotum Christi æterno anathemate damnata, imò à B. memoriæ Adriano Papâ funditus exterminata est.*

Alc. L. de Of. c. 19. Lib. 1.

VIII. Sæculo IX. Hincmarus Nicolaum I. vocat *Universitatis Pontificem, Vicarium Dei. Neque fas est, absque Vicario Dei, absque Clavigero cæli, absque Universitatis Pontifice, absque singulari Pastore, absque unico Papâ aliquid consummetur. Tu enim tenes Claves David, tu accepisti claves scientiæ, tu quod ligas, nemo solvit; quod solvis, nemo ligat, aperis & nemo claudit, claudis & nemo aperit, vicem namque in terris possides Dei.*

IX. S. Thomas In Sæculo XIII. docuit: *Una debet esse fides totius Ecclesiæ, quod servari non posset, nisi quæstio Fidei de Fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ùt sic ejus sententia à totâ Ecclesiâ firmiter teneatur. Ad solam authoritatem summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut & alia omnia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam*

X. Petrus de Alliaco nomine totius Universitatis Parisiensis in Sæc. XIV. Clementi VIII. obedientiam offert, omnia acta, dicta & dicenda correctioni & judicio Sedis Apostolicæ, & sedentis in eâ summi Pontificis judicio submittit. *Firmiter tenemus*, inquit, *& nullatenus dubitamus, quòd S. Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri, supra quam fundata est Ecclesia, de quâ Sede in personâ Petri in eâ sedentis dictum est: Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.*

XI. In Sæculo XV. in Concilio Florentino Legati Caroli VII. Regis Francorum & Synodi Bituricensis declarant per Principem Legationis Episcopum Meldensem: *Nimio resistendi fervore Basileenses ad hanc vesaniam de-*

2. 2. q. 1. a. 10.

ve-

venerunt, quòd supremam potestatem in uno supposito consistere negent, sed eam in multitudine collocant, & sic pulcherrimam monarchiam Ecclesiæ, quæ Christianos hucusque tenuit in unitate Fidei, in una professione Religionis Christianæ, in uno ritu Sacramentorum, in unâ observantiâ mandatorum, in iisdem cæremoniis divini cultûs, atque pacem & tranquillitatem asseruit, nunc abolere & supprimere contendunt, nobilissimam politiam ad Democratiam vel Aristocratiam redigentes. Hoc animadvertens præfatus Rex Christianissimus vehementi dolore ingemiscit, ac consulto Prælatorum, & aliorum multorum Sapientum regni sui videtur sibi, quòd nullum medium est aptius ad hoc schisma extirpandum, quàm evellere ac disperdere duas extremitates, ad quod faciendum necessarium est Concilium Generale. Porro Concilium Basileense unam extremitatem nimis exacuit, quando veritatem de supremâ potestate in uno *extinguere pertentavit. Concilium autem Florentinum bene hanc veritatem elucidavit, ùt patet in Decreto Græcorum, sed pro regulando usum hujus potestatis nihil edidit.*

XII. Jam quæ recentiorum (quæ Concilium Tridentinum secutæ sunt) Synodorum Galliæ sententia fuerit, videamus. Anno 1579. Synodus Melodunensis hortatur Episcopos, ut *Clericos & Laicos omnes & singulos faciant amplecti & apertâ professione pronuntiare eam fidem, quam S. Rom. Ecclesia Magistra, columna & firmamentum veritatis profitetur & colit: ad hanc enim propter suam principalitatem oportet omnes convenire Ecclesias.*

XIII. An. 1626. Conventus Generalis totius Cleri Gallicani omnibus Episcopis commendat, ut se Pontifici subjectos agnoscant: *Hortamur*, inquiunt, *ut S. Apostolicam Sedem, Romanámque Ecclesiam, utpote in Domini Sponsione infallibili, Apostolorum & Martyrum sanguine fundatam, omniúmque Ecclesiarum Matrem omni bonore cultúque prosequantur. Ipsa enim, ut cum B. Athanasio loquamur, est sacrum illud Caput, à quo in omnes Ecclesias velut totidem membra omnis Spiritus diffunditur, quo nutriuntur & conservantur. Ss. quoque Patrem & Pontificem nostrum, quippe Ecclesiæ universalis Caput visibile, Deíque in terris Vicarium, Episcopum Episcoporum, & Patriarcham Patriarcharum honore afficiant. Is enim Successor est Petri, à quo omnis Episcopus initium, atque originem duxit, & super quem Christus Jesus Ecclesiam suam fundavit, quando illi claves regni cælorum, atque denium infallibilitatis in causis fidei reliquit, quam fidem non sinè ingenti miraculo durare in ejus Successoribus immobilem, illibatámque videmus; unde ingens illa in Rom. Pontificum decretis, mandatísque amplectendis apud omnes fideles observantia professa est. Hæc ut nihil detrimenti capiat, Episcoporum munus erit, eorum improbitatem coërcere, qui obsequii omnis, legúmque impatientes sacram hanc tot divinis humanisque legibus sancitam authoritatem revocare in dubium, cassámque reddere conantur.*

XIV. An. 1653. Episcopi Galliæ LXXXV. rogant Innocentium X. ut

quia nulli sigillatim propositioni Jansenii certa censura inusta erat, clarè distinctéque definiat, quid de singulis sentiendum, caliginem omnem discutiat, animósque fluctuantes componat: *Experta est*, inquiunt, *nuper Beatitudo tua, quantùm in errore profligando Ecclesiæ Capitis valuerit authoritas, continuò sedata est tempestas, atque ad Christi vocem venti & mare obediunt.*

XV. Sic à S. Irenæi Lugdunensis Episcopi ætate usque ad finem superioris Sæculi Gallia docuit, Ecclesiæ Universitatem Petro, & Petri Successori Rom. Pontifici fuisse subditam, claves supremam hujus regni Christi gubernationem significantes non corpori, sed Capiti datas esse, non Ecclesiam supra Ecclesiam, sed supra illam Petram, quam Christus monstravit, ædificatam esse, non oves Christi toti gregi, ovili, sed Pastori uni à Christo Pastore uno traditas esse pascendas. *Ibi esse totius Fidei arcem, totius disciplinæ metropolin, ubi est Caput Ecclesiæ.* Id Antistites Galliæ in Comitiis generalibus congregati datis ad Innocentium X. literis libenter professi sunt: *Vetustæ illius ætatis*, inquiunt, *Ecclesia solâ Cathedræ Petri communione & authoritate suffulta Pelagianæ hæresis damnationi absque cunctatione subscripsit: perspectum enim habebat non solùm ex pollicitatione Christi Petro factâ, sed & ex Actis priorum Pontificum judicia pro sanciendâ regulâ fidei à Ss. Patribus lata divinâ æquè, ac summâ per universam Ecclesiam authoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur.*

XVI. Non itaque ad Universitatem Ecclesiæ pertinere potest Ecclesiæ gubernatio, cùm Pastorem & Principem Universitatis Christus voluerit, minimè verò multitudinem ipsi multitudini commiserit.

XVII. Profert Febronius longum nullius momenti sermonem ex Alphonso Tostato Abulensi. Tostatus quasi quidam Scholasticus minorum gentium ineptè sententiam involvit sermonibus imperitis, quid enim hæc: *Videtur, quòd jurisdictio radicaliùs erat in Ecclesiâ, quàm in Prælato. Ecclesia habet Claves secundùm originem & virtutem, Prælati secundùm usum earum. Ecclesia non est ens unum per se potens habere administrationem Clavium. Si posset per se administrare, non committeret eas Prælato. Ecclesia est sicut Dominus proprietarius, reservat sibi tanquam proprietario usum, sed concedit eum Prælato tanquam usufructuario vel usuario.* Sic magnus ille Tostatus,

Ille stupor mundi, qui totum scibile scivit.

Farraginem illarum ineptiarum tanquam oracula colit Febronius, tantùm quia systemati suo communiendo videbantur opportuna.

XVIII. Jam contra Dupinum Charlasius, contra Maimburgum Card. Sfondratus ostenderant, patrocinium Tostati malè ab iis fuisse quæsitum, cùm Spondanus Episcopus Apamiarum ad an. 1443. de eo memoret, erroribus, quos Thesibus in urbe Senensi coram Eugenio Papâ defensis insperserat, à Card. Turrecremata impugnatis, ab Eugenio confixis, adeò eundem, *tunc juvenem, ingenio imperare non potuisse, ut contra Rom. Pontificis authoritatem*

inve-

invectus & injurius apparuerit studio sua tuendi: At ubi calor ille deferbuit, & juventuti prudentior ætas successit, sententiam ab eo fuisse mutatam convincunt hæc ejusdem verba ad Cap. 16. Math. *Quia Petrus erat Pastor, & populus debet talem tenere fidem, qualem Pastor confitetur, & Petrus futurus erat Universitatis Pastor, voluit Christus, ut confessio esset per Petrum solum, ut innuatur, quòd talis fides tenenda sit, qualem prædicat Romana Sedes, quæ est Mater & Caput Ecclesiarum, cui Petrus præfuit.* Satis jam de Tostato.

XIX. Pergit Febronius suum paradoxon ipsius etiam S. Synodi Tridentinæ, imò S. Scripturæ authoritate probare. Apostolus dixit se *Ministrum Ecclesiæ*. S. Synodus dicit *Ecclesiæ datas claves & potestatem conferendi Indulgentias*. Quid verò inde concludatur? Hoc: Ergo Universitas Ecclesiæ accepit propriè claves, ut per Ministros pro suâ cujusque portione, & inter eos, non supra eos per Pontificem Romanum ea potestas exerceatur, & hi omnes subordinentur ipsi Universitati, seu toti collectioni credentium. Ubi verò hoc Apostolus dixit? Ubi hoc Patres Tridentini? Nemo Catholicus est, qui non assueverit his loquendi modis: *sic canit; sic docet; sic facit S. Mater Ecclesia*, dum de hymnis, de dogmatibus, de Ss. Ritibus fit mentio. An putas quempiam esse tam stolidum, ut dicat: Multitudo seu collectio credentium compegit verba, ut talis hymnus, tale symbolum, talis ordo Pontificalis prodiret. Dic, ubi, quando summo Pontifici & Ministris approbationem, & cum cæteris fidelibus communicationem commisit multitudo credentium? Epiphonemati: *Tanta est vis veritatis!* applaudant Februniani; intelligant autem, jam non quæri, quid veri dixerit Apostolus & Concilium, sed quid vitiosa illatio illa perperam concludat. Ad Colos. 1.

XX. Ex Dupinio contra regulam bonæ dialecticæ, imò contra Scripturam & traditionem sic ratiocinatur: Ecclesia accepit potestatem conferendi indulgentias, absolvendi à peccatis; ergo hæc potestas à multitudine totius Ecclesiæ, quæ illam primò & principaliter accepit, derivatur in Ministros, & inter hos in Romanum Pontificem. Similem ferè vim veritatis habet hic discursus: Hispania fœdus iniit; claves urbium expugnatarum accepit; ergo ab universitate Hispanorum potestas & jus derivatur in Regem, & regalis authoritas immediatè non residet in personâ Regis.

XXI. Sed, adverto, tu cum Dupino tuo mavis Ecclesiam Reip. comparari, in quâ jus vitæ & mortis, belli & pacis derivatur in cives, potestate ipsâ manente penes Rempublicam tanquam in fonte & radice. Ita tu vis, quòd Christus non Rectorem unum voluerit, sed in personâ Petri Universitati Ecclesiæ claves collatæ sint, quas illa, quod tu iisdem, quibus Dupinius, verbis dixisti, Ministris, atque ipsi summo Pontifici communicat. Hoc sicut ille, ita & tu vis traditione confirmare, & antiquorum Patrum sententiis. Primus & illi & tibi testis antiquitatis est Tertullianus, qui dixit, *claves Petro & per eum Ecclesiæ relictas esse à Domino.* Nonne hinc potiùs conclu-

 den-

quia nulli sigillatim propositioni Jansenii certa censura inusta erat, clarè distinctéque definiat, quid de singulis sentiendum, caliginem omnem discutiat, animósque fluctuantes componat: *Experta est*, inquiunt, *nuper Beatitudo tua*, *quantùm in errore profligando Ecclesiæ Capitis valuerit authoritas*, *continuò sedata est tempestas*, *atque ad Christi vocem venti & mare obediunt*.

XV. Sic à S. Irenæi Lugdunensis Episcopi ætate usque ad finem superioris Sæculi Gallia docuit, Ecclesiæ Universitatem Petro, & Petri Successori Rom. Pontifici fuisse subditam, claves supremam hujus regni Christi gubernationem significantes non corpori, sed Capiti datas esse, non Ecclesiam supra Ecclesiam, sed supra illam Petram, quam Christus monstravit, ædificatam esse, non oves Christi toti gregi, ovili, sed Pastori uni à Christo Pastore uno traditas esse pascendas. *Ibi esse totius Fidei arcem*, *totius disciplinæ metropolim*, *ubi est Caput Ecclesiæ*. Id Antistites Galliæ in Comitiis generalibus congregati datis ad Innocentium X. literis libenter professi sunt: *Vetustæ illius ætatis*, inquiunt, *Ecclesia solâ Cathedræ Petri communione & authoritate suffulta Pelagianæ hæresis damnationi absque cunctatione subscripsit: perspectum enim habebat non solùm ex pollicitatione Christi Petro factâ*, *sed & ex Actis priorum Pontificum judicia pro sanciendâ regulâ fidei à St. Patribus lata divinâ æquè, ac summâ per universam Ecclesiam authoritate niti*, *cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur*.

XVI. Non itaque ad Universitatem Ecclesiæ pertinere potest Ecclesiæ gubernatio, cùm Pastorem & Principem Universitatis Christus voluerit, minimè verò multitudinem ipsi multitudini commiserit.

XVII. Profert Febronius longum nullius momenti sermonem ex Alphonso Tostato Abulensi. Tostatus quasi quidam Scholasticus minorum gentium ineptè sententiam involvit sermonibus imperitis, quid enim hæc: *Videtur*, *quòd jurisdictio radicaliùs erat in Ecclesiâ*, *quàm in Prælato*. *Ecclesia habet Claves secundùm originem & virtutem*, *Prælati secundùm usum earum*. *Ecclesia non est ens unum per se potens habere administrationem Clavium*. *Si posset per se administrare*, *non committeret eas Prælato*. *Ecclesia est sicut Dominus proprietarius*, *reservat sibi tanquam proprietario usum*, *sed concedit eum Prælato tanquam usufructuario vel usuario*. Sic magnus ille Tostatus,

Ille stupor mundi, *qui totum scibile scivit*:

Farraginem illarum ineptiarum tanquam oracula colit Febronius, tantùm quia systemati suo communiendo videbantur opportuna.

XVIII. Jam contra Dupinum Charlasius, contra Maimburgum Card. Sfondratus ostenderant, patrocinium Tostati malè ab iis fuisse quæsitum, cùm Spondanus Episcopus Apamiarum ad an. 1443. de eo memoret, erroribus, quos Thesibus in urbe Senensi coram Eugenio Papâ defensis insperserat, à Card. Turrecremata impugnatis, ab Eugenio confixis, adeò eundem, *tunc juvenem*, *ingenio imperare non potuisse*, *ut contra Rom. Pontificis authoritatem* inve-

invectus & injurius apparuerit studio sua tuendi: At ubi calor ille deferbuit. & juventuti prudentior ætas successit, sententiam ab eo fuisse mutatam convincunt hæc ejusdem verba ad Cap. 16. Math. *Quia Petrus erat Pastor, & populus debet talem tenere fidem, qualem Pastor confitetur, & Petrus futurus erat Universitatis Pastor, voluit Christus, ut confessio esset per Petrum solum, ut innuatur, quòd talis fides tenenda sit, qualem prædicat Romana Sedes, quæ est Mater & Caput Ecclesiarum, cui Petrus præfuit.* Satis jam de Tostato.

XIX. Pergit Febronius suum paradoxon ipsius etiam S. Synodi Tridentinæ, imò S. Scripturæ authoritate probare. Apostolus dixit se *Ministrum Ecclesiæ*. S. Synodus dicit *Ecclesiæ datas claves & potestatem conferendi Indulgentias*. Quid verò inde concludatur? Hoc: Ergo Universitas Ecclesiæ accepit propriè claves, ut per Ministros pro suâ cujusque portione, & inter eos, non supra eos per Pontificem Romanum ea potestas exerceatur, & hi omnes subordinentur ipsi Universitati, seu toti collectioni credentium. Ubi verò hoc Apostolus dixit? Ubi hoc Patres Tridentini? Nemo Catholicus est, qui non assueverit his loquendi modis: *sic canit*; *sic docet*; *sic facit S. Mater Ecclesia*, dum de hymnis, de dogmatibus, de Ss. Ritibus fit mentio. An putas quempiam esse tam stolidum, ut dicat: Multitudo seu collectio credentium compegit verba, ut talis hymnus, tale symbolum, talis ordo Pontificalis prodiret. Dic, ubi, quando summo Pontifici & Ministris approbationem, & cum cæteris fidelibus communicationem commisit multitudo credentium? Epiphonemati: *Tanta est vis veritatis!* applaudant Febroniani; intelligant autem, jam non quæri, quid veri dixerit Apostolus & Concilium, sed quid vitiosa illatio illa perperam concludat. Ad Colos. 1.

XX. Ex Dupinio contra regulam bonæ dialecticæ, imò contra Scripturam & traditionem sic ratiocinatur: Ecclesia accepit potestatem conferendi indulgentias, absolvendi à peccatis; ergo hæc potestas à multitudine totius Ecclesiæ, quæ illam primò & principaliter accepit, derivatur in Ministros, & inter hos in Romanum Pontificem. Similem ferè vim veritatis habet hic discursus: Hispania foedus iniit; claves urbium expugnatarum accepit; ergo ab universitate Hispanorum potestas & jus derivatur in Regem, & regalis authoritas immediatè non residet in personâ Regis.

XXI. Sed, adverto, tu cum Dupino tuo mavis Ecclesiam Reip. comparari, in quâ jus vitæ & mortis, belli & pacis derivatur in cives, potestate ipsâ manente penes Rempublicam tanquam in fonte & radice. Ita tu vis, quòd Christus non Rectorem unum voluerit, sed in personâ Petri Universitati Ecclesiæ claves collatæ sint, quas illa, quod tu iisdem, quibus Dupinius, verbis dixisti, Ministris, atque ipsi summo Pontifici communicat. Hoc sicut ille, ita & tu vis traditione confirmare, & antiquorum Patrum sententiis. Primus & illi & tibi testis antiquitatis est Tertullianus, qui dixit, *claves Petro & per eum Ecclesiæ relictas esse à Domino.* Nonne hinc potiùs conclu-

dendum erat à Petro ad multitudinem, quàm inde ad Petrum claves transiisse?

XXII. S. Augustinus, quod jam aliàs monui, in Tract. 50. à sensu literali ad tropologicum divertit, dum dixit: *Non unum esse Judam non unum esse Petrum. Per Judam malum corpus malorum significari, per Petrum corpus bonorum, seu omnes bonos, qui ad Ecclesiam pertinent. Si hoc*, inquit, *Petro tantùm dictum est: Quæcunque solveris &c. non facit hoc Ecclesia: si, cùm excommunicat Ecclesia, in cælo ligetur excommunicatus; cùm reconciliatur ab Ecclesiâ, in cælo solvatur reconciliatus, Petrus, quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit.* Concedunt omnes Catholici non solùm Petrum, non solùm Papam pollere illâ excommunicandi & reconciliandi potestate, sed & omnes Catholici negare hoc debent, quòd ipsa universitas credentium hanc potestatem excommunicandi & reconciliandi acceperit.

XXIII. Negare illud etiam debent Catholici, quòd eadem sit *clavium* significatio intenta à Christo Petrum alloquente, quæ quibuscunque in Ecclesiâ Sacramenti pœnitendæ Ministris tribuitur à SS. Patribus, & à Theologis, aliis, etiam, qui cum Romano Pontifice de Primatu & clavium potestate sentiunt, sicut dum dictum est Cyro: *Pastor meus es*; & Petro: *Pasce oves meas*, eadem verborum significatio non fuit, quæ tunc intelligitur, dum Rectores Parochiarum *Pastores* vocantur, & munere *oves Christi pascendi* funguntur. Per theologicam accommodationem tot millia hominum claves à Domino accipiunt, quot Sacramenti pœnitentiæ ministerio applicantur; nimis autem absurdum est dicere, quòd singuli tot millium *gerant Ecclesiæ personam figuratâ generalitate*; sed (dum Ecclesia totam collectionem credentium sonat) singuli eorum figuratâ specialitate personam gerunt Ecclesiæ. Justâ hinc illatione concluditur; quòd non in uno aliquo parochiæ pastore, non in uno aliquo Sacramenti pœnitentiæ Ministro, non in septuagenario numero Discipulorum, non in duodenario numero Apostolorum, sed in Petro propter Apostolatûs sui Primatum acceperit Ecclesia claves regni cœlorum à Christo juxta S. Augustini sententiam, ergo grande aliquid & longè sublimius attribuit Principi Apostolorum, dum *eum pene ubique solum totius Ecclesiæ* dicit *meruisse gestare personam*, & *propterea meruisse audire: Tibi dabo claves.* Ecce, quid Petro singulare, quid commune aliis Apostolis & Discipulis; quid Romano Pontifici singulare, quid commune aliis Episcopis & Parochis, & Sacramenti pœnitentiæ Ministris ex Patrum, ex omnium bene de Pontificio Primatu sentientium consensu tribui debeat.

XXIV. Claves domûs David in Eliazimo per figuram significatas habet Christus, *sanctus & verus*. Eas promisit & dedit homini uni, ita tamen, ut eas habeat Christus, & teneat. Nemini aliorum hominum, nulli cœtui aut universitati hominum de clavibus locutus est. Gregis sui se dixit Pastorem

bonum

bonum. Manet ejus Paſtor æternus. Uni homini Petro paſcendas oves ſuas commiſit, nulli homini, nulli multitudini de officio paſcendi oves ſuas locutus eſt. Accommodatitio ſignificatu multa millia fuerunt, ſunt,& erunt, quibus datæ ſunt, & dabuntur claves, & quibus datum fuit, & dabitur munus paſcendi oves Chriſti. Confundere ſignificationes vocum non permittit ars hermeneutica. Spiritum S. accipere, ligare, ſolvere, docere, curare infirmos non ſpectat ad ea, quæ ſoli Petro ſunt dicta. Excommunicare, Satanæ tradere, reconciliare ad omnes Apoſtolos pertinet; *poterant hæc ſinguli.*

XXV. *Communitas, Univerſitas, Generalitas, Eccleſia, Collectio* ſunt ideæ abſtractæ nihil indicantes viſibile, acceſſibile, niſi in perſonis, quas Chriſtus hominibus ad fidem vocatis præpoſuit. Præcepta Domini: *Dic Eccleſiæ; audite; obedite*, non jubent adire univerſalitatem, ſed *Præpoſitos*; hi *vigilare, regere; & rationem reddere* tenentur *pro animabus.* Siquis Diœceſanus ſcandalum Condiœceſani defert ſuo Epiſcopo, dicitur Eccleſiæ. Si Epiſcopus tale ſcandalum approbat, defertur Rom. Pontifici; qui hoc facit, dicit Eccleſiæ.

XXVI. Macte nunc Febroni! collige, aut, quod mavis, ex Dupino pro more tuo deſcribe Patrum ſententias abſtractam vocem: *Eccleſiæ* exprimentes, imò (ut compendium laboris oſtendam) ipſorummet Summorum Pontificum, à Gregorio M. uſque ad Pontifices noſtræ ætatis, homilias, epiſtolas, conſtitutiones inſpice, invenies copiam immenſam ſimilium expreſſionum; ſed nemo unus deprehendetur, qui paradoxa hæc tua doceat: *Univerſitas credentium accepit claves propriè; principaliter; radicaliter; radicaliùs. Prælati* (inter quos Papam tanquam unum *de portionibus gregis dominici participantem* numeras) eas *ab Eccleſiâ habent uſualiter, uſufructualiter.* Earum *clavium poteſtas ab Eccleſiâ tanquam à radice, fonte, principio in eos derivatur.* Si propoſitiones illæ: *Claves non tam Eccleſiæ, quàm in Eccleſiæ totius commodum datæ ſunt Petro. Jeſus dedit Petro perſonale privilegium, non Petri morte finiendum, ſed Primatui perpetuò adhæſurum;* ſi, inquam, hæ, ùt fateris, bonæ & veræ ſunt, falſa per te eſt aſſertio, quâ principalitatem toti univerſitati, ſeu omnibus collectim credentibus attribuis. Diſce tandem diſtinguere inter ſignificationem clavium, cui perſonale Petri privilegium innititur, & ſignificationem acommodatitiam clavium, cui Confeſſariorum quorumcunque facultas innititur; ſinè operoſâ ponderatione intelliges, quid Petrus, quid Paulus acceperit, quid Parochi, aliique. Lege Tract. 2. in Joan. nihil eorum, quæ inde producis, invenies.

XXVII. Figuratam ſeu tropicam locutionem à propriaſis eſt diſcernere, ut comprehendatur, quid interſit inter hanc ſimplicem: *Perſona Petri abſolvit;* & hanc complexam *Pax Eccleſiæ dimittit peccata, & alienatio à pace Eccleſiæ retinet peccata.* Quinam Scholaſtici doceant, principaliter in tota univer-

 ſitate

ſitate Eccleſiæ reſidere poteſtatem jurisdictionis; toti Eccleſiæ claves immediatè datas eſſe à Sponſo, fruſtra ex Febronio ſciſcitabor. Fruſtra quæram, cujus ſit determinare in caſu particulari: An caſus talem habeat hypotheſin, ut Concilium generale, ſi quod legitimum alicubi terrarum jam exiſteret, eſſet diſpenſaturum, vel non; aut: An PP. Nicæni, vel Tridentini fuiſſent diſpenſaturi, ſi tunc illis caſus iiſdem terminis conceptus, iiſdem circumſtantiis (ut loquuntur Scholaſtici) veſtitus fuiſſet propoſitus; aut: An præſumatur Concilii oecumenici conſenſus, vel non. Quocunque ſe vertat, aut Pontifici dabit plus, quàm vult, aut omnes diſpenſationes nunc τοῖς ἀδυνάτοις accenſebit. De Conciliis & diſpenſationibus ulteriùs tractabitur ſuo loco.

§. VII.

Refellitur paradoxon Febronii de æqualitate Apoſtolorum, & formâ Regiminis Eccleſiaſtici.

1. *Falſa interpretatio Febroniana verborum Chriſti*: Qui major, fiat ſicut minor.
2. *Refellitur ex Græco textu.*
3. *Ex falſo falſum infert Febronius.*
4. *Interpretatio Cardinalis Orſi defenditur.*
5. *Æqualitas Apoſtolorum ſophiſticè probatur à Febronio* ex ep. ad Gal.
6. *Maimburgo reſpondit Sfondratus argumentum hoc ex pharetrâ hæreticorum eſſe.*
7. *Tertulliani ſententia de reprehenſione Petri factâ à Paulo.*
8. *Quid S. Hieronymus de hâc re ſenſerit.*
6. *Quid S. Gregorius.*
10. *Febronius ineptè repetit ſententias SS. Cypriani & Hieronymi.*
11. *Concilii Hieroſolymitani hiſtoria malè à Febronio proponitur.*
12. *Refutatur.*
13. *Febronius malè explicat verba*: Tacuit omnis multitudo.
14. *Alia imaginaria Febronii de hâc Synodo commenta.*
15. *Oſtenditur Petro locuto cauſam fuiſſe finitam.*
16. *Jacobi Apoſtoli declaratio in Synodo facta expenditur.*
17. *Lex de abſtinendo à ſanguine & ſuffocato data Noemo.*
18. *Explicatur verbis S. Auguſtini.*
19. *Febronius fingit* S. *Jacobi ſententiam prævaluiſſe ſententiæ S. Petri.*
20. *S. Hieronymus S. Petrum vocat Principem Decreti. In ejus ſententiam iiſſe dicit Jacobum & cæteros.*
21. *Reflexio Cardinalis Bellarmini vindicatur.*
22. *Card. Orſus defenditur contra cenſuram Febronii.*

23. *Ex-*

I. Verissimum est œconomiam à Christo in Ecclesiâ institutam deinceps non esse mutatam; quæ verò instituta fuerit, ex Christi verbis agnosci. Verum est etiam dubium *seriùs esse motum* inter Catholicos, cùm ante Concilii Constantiensis tempora intra sinum S. Matris Ecclesiæ Gersonius præcessorem non habuerit.

II. Originem disputationis deducit à contentione Apostolorum: *Quis eorum videretur esse major*, quâ divinitus perspectâ dixit ad eos Christus: *Reges gentium dominantur eorum* &c. verba: *sed qui major est vestrûm, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator*, Febronius ita interpretatur: Qui in vestro cœtu prior est, seniórve, sit velut junior, & qui res dirigit, ministrum se esse cogitet.

III. Heteroclitæ hujus commentationis absurditas ex græco textu facilè apparebit; en verba: ἀλλ' ὁ μείζων ἐν ὑμῖν γενέσθω ὡς ὁ νεώτερος, καὶ ὁ ἡγούμενος, ὡς ὁ διακονῶν. Μείζων omnibus grammaticis idem, quod *major*. Super ætate non contendebant hi, quibus constabat, quis eorum esset natu-major; neque de ordine altercabantur, cùm ipsa electio facta à Christo Math. 10. seriem seu ordinem ostenderit: *Nomina*, inquit textus, *duodecim Apostolorum sunt hæc: primus Simon, qui dicitur Petrus*; uni supra cæteros tribuenda autoritas invidiam faciebat. ὁ Νεώτερος comparativum est à νέος, *novus*, quanquam etiam ætate juniorem significare aliàs possit, hic tamen idem, quod latinis *posterior* seu *æstimatione, dignitate minor* significat, sicut ἔσχατος *postremus*, ut formetur antithesis à Christo intenta, & materiæ, de quâ tunc sermo erat, congrua. ὁ ἡγούμενος sicut ὁ ἡγεμὼν dicit *Principem* & cum imperio agentem, non verò *ordinatorem* rerum *inter æquales* tractandarum.

IV. Callidè ad scopum, quem intendebat Febronius, fabricatâ novâ interpretatione audacter assertâ facile illi erat ita concludere: Unde per se corruit, quod relativè ad hunc locum ingerit Cardinalis Orsi: Monarchiam Ecclesiasticam instar Monarchiæ sæcularis, quantum ad fastum dominandi, superbúmque apparatum, institutam non esse, sed quoad vim principatûs in eo positam, ut universa Respublica unius mente & imperio regatur.

Si

Si autem sincera & communis aliorum interpretatio attendatur, qualem Concilium Constantiense damnando Wicleffi & Hussi propositiones, & Florentini definitio, & S. Facultatis Parisiensis doctrina contra Marci Antonii de Dominis propositiones proscriptas postulat, verissima dici debet laudati Cardinalis explicatio.

Ad Gal. C. 2. V. 7. & seqq. V. Apostolorum æqualitatem dicit satis clarè per epistolam ad Gal. probari; sed sophistico subtegmine contextum est hoc ratiocinium: *Paulo creditum est Evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis. Paulo & Barnabæ dederunt* Apostoli *dexteras societatis. Paulus restitit Petro in faciem*, sive: Ea, quæ ad Gal. 2. narrantur, non explicant inæqualitatem Apostolorum; ergo æqualitas Petri & cæterorum ex S. Scripturâ est satis clarè probata.

Act. 15. Sophisticè concluderetur ex verbis Petri: *Qui novit corda Deus, testimonium perhibuit dans illis* (gentibus conversis) *Spiritum sicut & nobis, & nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum.* Ergo Petro & Apostolis omnes Antiochenos & fide & gratiâ fuisse omnino æquales, est clarè satis per S. Scripturam, ipsiúsque Petri apertam confessionem probatum. Profectò si dixisset de Apostolis S. Petrus: *Misit me Christus, sicut & illos; mihi, sicut & illis dedit Spiritum S. & nihil discrevit inter me & illos*, demonstrationem omni Aristotelicâ fortiorem sibi à S. Petro oblatam confidentissimè jactitaret Febronius.

VI. Cùm idem Cap. 2. ad Gal. Maimburgus produxisset, respondet Sfondratus, argumentum petitum esse ex pharetrâ Hæreticorum & hostium Ecclesiæ, Cerinthi, Porphirii, Gnosticorum, & Lutheranorum, ac millies à primorum sæculorum Catholicis esse refutatum: Quis pudor, inquit, cum illis Catholicum signa jungere ad Vaticanum impugnandum, & toties rejecta repetere? Sed hoc solenne Maimburgo, dicam ego Febronio, in hâc certandi ratione Dupini pedissequo.

Tert. C. 23. de præscrip. VII. Tertullianus dicit de S. Paulo: *Ascendit Hierosolymam Petri cognoscendi causâ ex officio & jure. Dexteram ei Petrus & alii dederunt concordiæ & convenientiæ in eadem fide & prædicatione, & inter se distributionem officii ordinaverunt, nec ut aliud alter, sed aliis alter prædicaret. Cæterùm si reprehensus est Petrus, quòd, cùm convixisset ethnicis, postea se à convictu eorum separabat personarum respectu, utique conversationis, non prædicationis vitium fuit. Quoniam perversissimi isti illam reprehensionem ad hoc ostendunt, ut suspectam faciant doctrinam, respondebo quasi pro Petro: ipsum Paulum dixisse factum se omnibus omnia, Judæis Judæum, non Judæis non Judæum, ut omnes lucrifaceret. Adeò pro personis, temporibus & causis quædam Apostoli reprehendebant, in quæ & ipsi æquè pro temporibus, personis & causis committebant, sicut si & Petrus reprehenderet Paulum, quòd prohibens circumcisionem circumciderit Timotheum. Viderint, qui de Apostolis judicant.*

Epist. 89. ad August. VIII. S. Hieronymus alloquitur Paulum sic: *Qui tibi ignoscis in circumcisione*

cisione Discipuli venientis ex gentibus , ignosce Petro præcessori tuo, quòd aliqua fecerit metu fidelium Judæorum.

IX. S. Gregorius ait: *Petrus factus est sequens minoris sui, etiam ut in hoc præiret, quatenus qui primus erat in Apostolatûs culmine, esset primus & in humilitate.* S. Greg. homil. 14. in Ezech.

X. Insertis S. Cypriani & S. Hieronymi sententiis jam suprà responsum est, ipsos, quo consortio & honore Apostoli sint pares, quid Petrum supra alios extulerit, satis indicâsse. Quod Charlasius Dupinio, aliis alii responderunt, Febronius iterum audiat: Si ille Primatus, quantumcunque modicus, quem Petro & Rom. Pontifici benignè concedit; si, inquam, ille aliquid sonat honoris, út disertè concedit, quomodo ipso etiam Febronio censore sunt non potestatis tantùm, sed etiam honoris pari consortio præditi?

XI. Ad Concilium Hierosolymitanum transeo. Historia Concilii ad ideam Febronii callidè admodum compingitur: Paulus & Barnabas finguntur *condisputantes* cum Antiochenis, quasi pares cum paribus, cùm tanquam theodidacti certum dicerent, circumcisione opus non esse, seditio non minima commota est contra eos, & quia textus dicit: Statuerunt, ut Paulus & Barnabas, *& quidam alii ex aliis*, seu quidam adversæ partis ascenderent Hierosolymam super hac quæstione ad Apostolos & Seniores, fingitur eos ab Antiochenis *esse deputatos* & coram Apostolis pro & contra fuisse acriter super eâ quæstione disputatum. Petrum fingitur *perorâsse non quasi definiturum, sed quasi argumentis persuasurum, & deliberare cæpisse.* Inspicienda sunt verba Petri, ut elucescat hujus expositionis falsitas, dixit *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii & credere.... nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices Apostolorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi.*

XII. Quid hic habet figuram deliberantis? Quid in his verbis est, quod non spiret eloquentiam Principis Apostolorum à Deo inspirati? Effectum videamus: illi Antiocheni, qui ad causam, quæ seditionem tumultuosam Antiochiæ suscitaverat, acriter defendendam venerant, & vehementi calore coram Concilio causam acturi videbantur, solius Petri verbis auditis repentè obmutescunt: *Tacuit omnis multitudo.* Tum Paulus & Barnabas ad alia sermonem vertunt narrando mirabilia per eos facta eo in itinere.

XIII. Fingit Febronius, non tacuisse multitudinem, *quasi adfuisset conclusum*, sed quasi Pauli & Barnabæ interpolatione distractam ad eos vertisse auditum, etsi nulla S. textûs particula eam Febronii divinationem sustineat.

XIV. Fingit Paulum & Barnabam *in confirmationem argumentorum, quæ protulerat Petrus*, incepisse narrationem rerum à Deo per ipsos gestarum inter gentes, quanquam hæc ad quæstionem, quæ tumultum Antiochenum

 conci-

concitaverat, finiendam non pertinerent, & omnes tam ex Judæis, quàm ex gentibus conversi de fide christianâ, signis & prodigiis confirmatâ, minimè dubitarent. Fingit Paulum & Barnabam, qui sententiam suam tanquam à Deo inspirati Doctores usque ad natam seditionem audacter aperuerant, & jam malebant, ut partis adversæ propugnatores in Concilio convincerentur, ideo tunc, quid de illâ quæstione judicarent, non aperuisse, quia erant *partes contestantes*. Fingit in discursu Jacobi Apostoli divisionem inter ea, quæ *facti*, & ea, quæ *juris* sunt. Jacobum recapitulâsse narrata à Petro, & tum ad probandum id, quod *juris*, produxisse testimonia S. Scripturæ.

XV. Addit Febronius: non dixisse Jacobum: *Petrus locutus est, causa finita est.* Sed animadverti debebat, post Petri verba super circumcisionis necessitate nec partem adversam, nec S. Jacobum ullo verbo fecisse mentionem; ergo Jacobus tacendo de hac quæstione cum cæteris, quotquot aderant, agnovit causam esse finitam, etsi apertâ expressione verborum, quâ postea Patres Chalcedonenses usi sunt: *Petrus locutus est*; & S. Augustinus: *Causa finita est*, nec Jacobus, nec (qui forsan adfuerant) Joannes & Mathias, nec Presbyterorum quisquam significaverit cessare quæstionem. Tacendo consentit, penes quem est facultas & arbitrium loquendi, datâ occasione opportunâ.

XVI. Propter vocationem & Judæorum & Gentium ex Prophetâ Amos, & S. Petri narratione probatam, Jacobus declarabat ethnicos conversos *non esse ultra inquietandos*; addebat *à contaminationibus simulacrorum & fornicatione & suffocatis & sanguine abstinendum.* Horum primum ad legem naturæ pertinebat; ut relapsus periculum evitaretur, fuit innovata.

XVII. Alterum conversis inhibendum denuo erat, cùm gentiles Asiatici naturalem fornicationis fœditatem non satis agnoscerent. A sanguine & suffocatis, ad imprimendum homicidii horrorem diu ante Mosaicam legem Deus Noemum & posteros abstinere jusserat. *Gen. 9.*

XVIII. De hujus legis innovatione S. Augustinus ait: *Apostoli decretum illud condentes elegisse mihi videntur pro tempore rem facilem, & nequaquam servantibus onerosam, in quâ cum Israelitis etiam gentes propter angularem illum lapidem Christum aliquid communiter observarent; at ubi Ecclesia gentium talis effecta est, ut in eâ nullus Israëlita carnalis appareat; quis jam hoc christianus observat, ut turdos, vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est, aut leporem non edat, si manu percussus nullo cruento vulnere occisus est? Et qui fortè pauci ista tangere formidant, à cæteris irridentur.* *Lib. 32. cont. Faustum cap. 13.*

XIX. Fingit denique votum S. Petri *quâdam restrictione* fuisse circumscriptum, Concilii verò *definitionem accuratè juxta votum S. Jacobi fuisse expeditam, ideòque dubitare quosdam, annon plus hîc fecerit authoritas Jacobi, quàm*

quàm Petri. Quis adeò vecors esse possit, ut tale dubium concipiat, si perpendantur Petri verba: *Deus in nobis elegit per os meum audire gentes & credere*; & subita diffidentium conversio à tumultuariâ Mosaicæ legis defensione ad concordiam; & plenum reverentiâ silentium, postquam Petrus verba fecerat? Quæ verò hîc restrictio adhibita?

XX. Circumcisionis necessitatem tuebantur Antiocheni ex Judæis conversi Pharisæi autem totam legem Mosaicam volebant observandam decerni, negavit Petrus *tanquam Princeps Decreti, in ejúsque sententiam Jacobus Apostolus, omnésque Presbyteri transierunt*, ùt ait Hieronymus. Nihil addit S. Jacobus præter ea, quæ ad jus naturæ pertinent, & legem datam Noemo. Quòd verò in conclusō Concilii S. Petri cùm ei si summi Pontifices Conciliis quibusdam Generalibus ipsi præsederint, nomen non memoretur, formam fecit perpetuò in Ecclesiâ observatam, nunquam tamen Decretis nomen & titulus Pontificis præfigatur. *Hier. ep. 11. ad S. August.*

XXI. Quod de Cardinali Bellarmino additur, eum sensisse, quòd quæstio à Petro, aut alio quolibet Apostolorum potuerit determinari extra Concilium, certissimè affirmatur, at verò iniqua est ea illatio Febronii: *Ergo Bellarminus sic quasi lusisse Apostolos statuit, ac simulatè ab iis institutam esse credit quæstionem de re, quam exploratam habebant.* An Christus lusit, aut simulatè instituit quæstionem, dum dixit: *Quem dicunt homines esse Filium hominis? Quem vos me esse dicitis? Unde ëmemus panes, ut manducent hi?* An Christus illusit Apostolis, dum de Spiritu suo dixit: *Ille vos docebit omnia?*

XXII. Neque justior est censura, quâ Cardinalem Orsum perstringit, dum ait: Hoc sanè loco fidem Cardinalis Orsi desidero ita scribentis: *cùm Petrus certam de quæsito sententiam pronuntiâsset, Jacobus eam ad Scripturarum amussim exegit, non quòd eam haud satis firmam judicaret, sed ut, quos Petri authoritas non moveret, in eandem sententiam, sacrâ veterum Scripturarum authoritate pertraheret.* Luculenta est Febroni hujus ratiocinii soliditas, frustra ad judicium prudentum provocas; frustra mones, *qualiter Eminentissimus agnoscat fuisse tum, qui unius Petri è Cathedrâ decidentis authoritate se non sivissent trahi.*

XXIII. Creditur inter illos *quosdam alios ex aliis* præsentem fuisse Cerinthum. Certum est interfuisse Pharisæos, aliósque recenter conversos ex Judaismo S. Scripturis Prophetarum à primâ ætate addictos. Dic, quare ipse Christus ad fidem suis verbis apud audientes pleniùs conciliandam citaverit Prophetas?

XXIV. Dic, quæso, quare Petrus, postquam dixit se *speculatorem fuisse gloriæ Christi in monte Sancto, & vocem de cælo delapsam cum magnificâ gloriâ audivisse: Hic est Filius meus dilectus?* quare, inquam, postea dixerit; *Et nos firmiorem habemus propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes* *Pet. 2. c. 1*

dentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat. An Petro, Jacobo & Joanni, speculatoribus illius gloriæ, & qui suismet auribus perceperunt vocem de cœlo delapsam, minùs credendum, quàm Prophetis? Erant tunc certè, quibus Prophetarum oracula præ orali instructione Christi & Apostolorum ad persuadendum efficacia videbantur; accommodato ad infirma eorum, quos docebant, judicia loquendi modo congruè utebantur. Agnosce tui hujus de Bellarminis & Orsis judicii debilitatem.

XXV. Illud ei simile exemplum esto, quod ex Petri simulatione, quæ tantùm in eo consistebat, quòd agnoscens Christianum lege Mosaicâ de ciborum delectu non obstringi, manducaverit ipse cibos eâ lege vetitos, sed dum conversi Judæi ab illis abstinebant, se ab eorum mensâ *segregaverit, aut subtraxerit*, ne coram aut resistere cogeretur, aut permittendo tacitè consentiret, quòd, inquam, Febronius ex eo concludat: Ergo *quoad actiones relativas ad Ecclesiarum gubernationem nemo eorum habuit inspirationem sufficientem, ergo necessarium erat Concilium, ut controversia de Legalibus terminaretur.* Nihil hoc ratiocinio potest esse infirmius. Scire debebat, non in Pentecoste ad omnes & singulas actiones, quæ gubernationem spectant, instructum formatúmque fuisse S. Petrum; didicit postea non per Concilium, sed per visionem grande mysterium vocationis gentium. Didicerunt Apostoli *in illâ horâ*, quâ stabant coram Principibus & Sacerdotibus, *quid, & quomodo loquendum esset.* Concilio antea opus non erat.

XXVI. Non est reprehendendus S. Augustinus, quòd pro suo in S. Christi Martyrem & præclarum Doctorem Cyprianum affectu, tum ut proterviam Hæreticorum Donatistarum ad Cypriani exemplum temerè provocantium retunderet, comparationem cum Petro, sed modestè admodum instituerit, quanquam disparitas maxima intercedat; ast minimè toleranda est illa pessima illatio: Petrus non rectè putavit, quòd subtrahere suam præsentiam posset à manducantibus Judæis conversis, aliquanto, sed levi conversationis, non prædicationis vitio; ergo Petrus credebat aliter controversiam circa legales cæremonias definiendam non esse, quàm Ecclesiæ congregatæ judicio, seu per generale Concilium.

XXVII. Æquè infelix & abnorme illud ratiocinium est, quod contra Bellarminum, qui Concilium quidem utile esse asseruit, sed non necessarium, ita instaurat: Judæis conversis contra Petrum disceptantibus, quòd introisset ad gentes, & cum ethnicis manducâsset, exposuit visionem, quâ de cœlo
Act. 11. fuit edoctus etiam gentibus annuntiandum esse Evangelium: *his auditis tacuerunt & glorificaverunt Deum.*

XXVIII. Quid ratiocinii ex illâ narratione exspectemus? Percipire curiosi. *Tacuerunt, certi facti per revelationem à Petro narratam; non tacituri, si sententiam Petrus de proprio deprompsisset*, quod ex supramemorato Solymæo Concilio demonstrat, ergo τὸ *tacuerunt potiùs probat, quòd non agnoverint*

in

in Petro potestatem gubernandi totam Ecclesiam. Annon hoc est arrogare sibi facultatem ex quolibet colligendi quodlibet? Satis jam ostensum est, in Concilio Solymæo *tacuisse omnem multitudinem* de quæstione, propter quam advenerant Antiocheni cum Paulo & Barnabâ, quanquam post magnam illam conquisitionem Petrus nullis suffragiis antea collectis, auditisve *sententiam de proprio deprompserit*, ut Febronii verbis loquar. Dicat Febronius, an, si quis ei vehementer contra Monarchiam Romani Pontificis disputanti, subitò visionem aliquam sibi vigilanti aut dormienti factam pro eâ Monarchiâ vindicandâ in publico cœtu virorum gravium, contra eam sine dubitatione opinantium opponeret, & statim se Febronium, omnésque sibi antea summo consensu adstipulatos occulto imperio ad silentium & sententiæ mutationem commoveri adverteret, annon repentè fateretur divinâ vi persuasisse narrantem, quod sinè argumentis, sinè testibus, sinè novo miraculo tanquam à Deo dictatum, mandatúmque asseruit?

XXIX. Si Petro dicenti eos Deum tentare, qui christianam libertatem volunt jugo circumcisionis & Mosaicæ legis opprimere, si, inquam, Petro hæc dicenti, seu *depromenti de suo* statim deferendum non erat prompti assensûs obsequium, quomodo sinè testibus, sinè ullâ probatione visionem sibi soli factam asserenti dandus erat incunctanter assensus, nisi altior quædam de Petri authoritate opinio animis audientium fuisset impressa? An privati cujusque hominis etiam sancti narratio de Christi Apparitione, & datis ab eo mandatis, *certos facit* audientes ita jubere *Salvatorem*? Ipsum illud *tacuerunt* dicis *non esse positum sinè causâ*. Concedo, & quis omnium, qui S. Scripturam reverentur, non concedat? Lepidissimè infers: Ergo innuitur, quòd unus Petrus non gubernet Ecclesiam.

XXX. Sequitur aliud ratiocinium: Ecclesia est gubernanda eo modo, quo est gubernata per Apostolos, & in decursu novem priorum Sæculorum per eorum Discipulos & Successores; atqui Ecclesia universalis est gubernata non à Petro solo, sed ab Apostolis conjunctim cum illo, & Episcopi particulares Ecclesias gubernârunt inconsulto Rom. Pontifice, ergo sic Ecclesia est gubernanda. Forma discursûs est justa, sed subsumpta propositio tota falsa falsam generat illationem. Cogita S. Clementis ad Corinthios epistolam. Iter S. Polycarpi. Sententiam S. Irenæi. Asiaticorum dissidia. S. Victoris Papæ ad Theophilum Cæsareensem missum de Synodo convocandâ mandatum. Africanorum Synodos à Sede Apostolicâ reprobatas. Primis tribus Sæculis exortarum hæreseon damnationem. Pleniùs hæc, & quæ S. Cyprianum attinent, expendendi occasio dabitur.

§. VIII.

Febronii de sacro Concilio Tridentino asserta, Regimen Ecclesiasticum spectantia, perstringuntur.

1. *Febronii commentum: In epistolas Isidori per sex aut septem sæcula ab omnibus esse juratum,*
2. *Refellitur.*
3. *De titulo Papali:* Pontifex Ecclesiæ universalis.
4. *Quid de ejus usu senserit Cardinalis Lotharingus.*
5. *Fingit Febronius Tridentinos Patres disputâsse, an Episcopi sint Papæ Vicarii.*
6. *Fingit* Gallos & Hispanos stetisse ab unâ, Italos ab alterâ parte.
7. *Quæ fuerit sententia Præsulum Hispanorum.*
8. *Febronii asserta de Card. Simonettâ, & de Lainio S. J. Generali.*
9. *Ejusdem de Gentiano Herveto.*
10. *Dictum Regis Hispaniæ ad suos Præsules Tridento reversos.*
11. *Authoritas Episcoporum aucta fuit per Conc. Trid.*
12. *Adolphus Archiep. Colon. Concilio Trid. interfuit, illud laudavit.*
13. *Febronius secutus est Petrum Suavem seu Sarpium in relatione de disputatione X. mensium super titulo Papali.*
14. *Ejus relationis falsitas.*
15. *Sarpiana mendacia à Card. Palavicino ostensa.*
16. *Sententia Archiepiscopi Granatensis.*
17. *Febronius sibi objicit argumenta Simonis Flor. & Lainii, & ad ea respondet.*
18. *Ostenditur, non debuisse inter formas regiminis eligi Monarchicam.*
19. *Quid senserit Calvinus.*
20. *Quid Synodus Africana scripserit ad S. Cælestinum.*
21. *Febronius explicat regimen Ecclesiæ per Christi* assistentiam exteriorem.
22. *Refutatur.*
23. *Febroniana explicatio verborum:* Conversus confirma fratres tuos, *refellitur.*
24. *Febronii assertio,* Successoribus Petri minùs quàm Petro convenire inerrantiam, *refellitur.*
25. *Quales objectiones formet Febronius contra se ex Concilio Trid.*
26. *Quid respondeat ad verba sess. 14. de Pœnit. C. 7.*
27. *Sarpius Decreto Concilii de reservationibus casuum dicit obstitisse Colonienses & Lovanienses Theologos.*
28. *Ei consentit Febronius. Refutatur.*
29. *Concilii Tridentini decretum de promotione Episcoporum probat authoritatem summi Pontificis.*

30. Sar-

30. *Sarpii figmentum de Cardinali Lotharingo à Febronio adoptatum.*
31. *Quomodo Sarpius explicet verba Tridentini* : Salvâ semper Sedis Apostolicæ authoritate.
32. *Refutatur à Cardinali Palavicino.*
33. *Quomodo hæc verba explicet Barthelius allegatus à Febronio.*
34. *Quomodo Gibertus ea explicet.*
35. *Febronius postremorum Conciliorum generalium Patres dicit innocenter fuisse delusos epistolis Isidoricis.*
36. *Refellitur.*
37. *Commentum Febronii de Legatis Pontificiis, qui Concilio Trid. interfuerunt.*
38. *Commentum de depressâ in Concilio authoritate Episcoporum refellitur.*
39. *Exemptionum privilegia per Concilium sunt restricta.*
40. *Quæ per Concilium concessa sint Episcopis authoritate delegatâ.*
41. *Quid laudis tribuat Febronius Legatis Pontificiis.*
42. *Ratiocinium Petri Giberti refutatur.*

I. Inverecundè Febronius asserit per sex aut septem sæcula fuisse ab omnibus in epistolarum ab Isidoro contextarum verba juratum; inde Ecclesiam eâ pressam fuisse caligine, ut singulari divinæ providentiæ adscribendum sit, quòd Pontifex Romanus in Concilio Tridentino declaratus non fuerit *universalis Ecclesiæ Episcopus & Rector*, postquam ea quæstio magno fervore in Concilio fuit agitata.

II. Si omnes in earum epistolarum verba jurârunt, dicat Febronius, quare, dum ea quæstio Tridenti movebatur, nec Papa Pius IV. nec Legati Præsides Concilii, nec Romanarum partium Episcopi ad eas Decretales provocaverint, sed ad Concilia Oecumenica, Florentinum & Lateranense, imò & ad Lugdunensia? An commentitiæ caligini omnes hæ Synodi, quas Ecclesia colit tanquam legitimas & œcumenicas, erant involutæ? An earum Patres omnes illo Febroniano juramento fidem Decretalibus Isidoricis obstrinxerunt?

III. An. 1563. Cardinali Lotharingo significatum est jussu Pontificis consuetam Cæsari esse hanc formam Inscriptionis literarum: *Pontifici Ecclesiæ universalis*, eundémque titulum non semel tunc à Septemviro Brandenburgico & aliis Acatholicis inscriptum esse Rom. Pontifici. Florentini non tantùm, sed & antiquiorum Conciliorum Decretis, ac Patrum sententiis expressum esse. Pius IV. præscripsit Legatis, ut *nihil minus de suâ authoritate, aut minùs clarè dicatur, quàm quod dicunt Synodus Florentina, Concilia & Patres antiquiores*; nolle se tamen, ut *cum animi alienati duritie decertetur*, sed, *ubi arduitas sinè dissidio insuperabilis deprehenderetur, satis futurum, si nec de suâ, nec de Episcoporum potestate quidquam exprimatur, & illæ tantùm* *Card. Palav. Hist. Conc. Trid. Lib. 19. Cap. 15. Lib. 20. Cap. 3.*

tùm definitiones edantur, in quas Patres unanimi consensu conspiraverint, & Præsides ea agant, quæ in obsequium Dei & in rem Christiani generis cessura existimabunt, modò S. Sedis Apostolicæ authoritas haud vulneretur. Vide Febroni aliud nihil volitum per Pontificem, ejúsque jussu per Legatos, nisi quòd Florentini Patres decreverunt, *ne aliis quidem verbis.*

IV. Cùm *pars multò maxima assentiretur, ipséque Cardinalis Lotharingus coram Cardinalibus Osio & Simonettâ ingenuè fassus esset, affirmantem sententiam, quòd ille titulus Rom. Pontifici conveniat, sibi probari, sed vires non suppetere ad Gallos, aliósque à sententiâ pernegante dimovendos*, solùm habita est *ratio paucorum, qui ne decima quidem pars Concilii erant, movitque Pontificem & Legatos, ne ad firmandum Decretum procederetur.* Sciebat hæc prudentissimus Cardinalis Lotharingus, etiam satis perspectum habebat ex alterutrius partis delectu animas non periclitari, ideo quod ex Natali Alexandro scribit Febronius, *damnationis periculum* timuisse Cardinalem, nullam veri speciem habet.

Idem L. 19. C. 13. & in Appar. ad Hist. c. 9.

V. Neque illud etiam, quòd ea fuerit quæstio Tridenti mota, an Episcopi sint *Vicarii summi Pontificis.* Nec minùs à vero aliena est assertio illa, quâ audacter affirmat contra historiæ fidem, quòd *nulla Tridenti proposita fuerit materia, de quâ tam sæpè & tam ferventer fuerit disceptatum.* Luculenta illa concordiæ studia iterum atque iterum per Legatos à Pontifice declarata Febronium falsi convincunt.

VI. In eo etiam à veritate longè abest, quòd *Hispanos cum Gallis ab unâ parte stetisse dicat, Italos ab alterâ.* Hoc eâ cum confidentiâ memorat, quasi commissas acies ipse coràm spectâsset. Ostendit Palavicinus *Gallos vocem quamlibet recusâsse, quæ summi Pontificis prærogativam sonaret, quæque aut Florentinum comprobaret, aut officeret Basileensi.*

Lib. 21. Cap. 4.

VII. Hispani (inquit) tum de legitimâ Florentini firmitate, tum de prærogativâ Pontificis supra Concilia consentiebant; sed contendebant, ut *apertè definiretur Episcoporum institutionem, eorúmque jurisdictionem esse juris divini, tametsi à Rom. Pontifice dependentem: Itali ferè universi, & pauci quidam etiam ex memoratis nationibus, aliisque Præsulum frequentiâ ibi* (Tridenti) *carentibus sententiam magis propitiam Pontifici in singulis illis capitibus tuebantur.*

VIII. Lepidum est, quod Febronius proponit perorantem Cardinalem Simonettam de probro & præjudicio totius Italiæ. De Societ. J. præposito Generali Lainio profert hæc tantùm, quòd dixerit complurium hortatu se admonitum fuisse: *ne in vituperationem assentatoris Pontificii caderet.* Addenda erant hæc ejus verba: *Non tamen idcirco ab obligatione defendendæ veritatis me solutum censeo*, & quòd contestatus sit *Deum sibi testem adesse, Judicem Vivorum & Mortuorum, se secundùm conscientiam loqui, nunquam assentandi gratiâ verbum à se prolatum, semper se usum sinceritate loquendi*

sub

sub Paulo, *sub Julio*, *sub Pio*, *dum Synodo interfuit*, *eâdem usurum imposterum*; *nullam sibi causam esse aliter agendi*, *utpote nihil aut quærenti*, *aut speranti*, *aut metuenti*.

IX. Æternùm bene sit Gentiano Herveto, quòd *cum famâ singulari in Synodo Trid. steterit*, aut sederit; ast cur non Lainio, sed socio illius? cur non statim, sed *anno sequenti* scripsit? Serò medicina paratur *miseris illis Episcopis præcipiter ad exitum suum ruentibus?* Dic, amabo, qui illi *miseri*, quarum gentium Episcopi nuper tunc natæ sodalitatis opem flagitârunt crudeliter iis negatam tunc, dum *præcipiter ad exitum suum ruebant*?

X. Si forsan Hispani erant, quibus Tridento in patriam reversis narrat Febronius Philippum Regem dixisse: *Prælati*, *qui Tridentum iverunt ùt Episcopi, inde redierunt ùt Parochi*; sciat, quòd econtrario tantam potestatis accessionem assentiente Pontifice obtinuerint cum aliis Episcopis Præsules Hispaniarum, ut non tantùm incredibile sit prudentissimum Hispaniæ Regem ea dixisse, sed credi debeat in hanc sententiam locutum fuisse Regem de suorum Regnorum Episcopis: *Hi homines Concilium tanquam tot Parochi adiêre, iidem ceu tot summi Pontifices rediêre*. Ita hoc regium apothegma recitat Palavicinus. *Palav. Appar. ad Hist. C. 9.*

XI. Certè si Episcopis tanquam Ordinariis locorum vindicata judicia. Exspectativarum abolitio. Reservationum limitatio. Quibusdam regulis adstricta exemptorum correctio. Indulgentiarum examen. Uniones beneficiorum tenuium, aliáque permulta tum jure Ordinarii, tum potestate per legem stabilem conciliarem delegatâ Episcopis à S. Concilio concessa considerentur, non modicam intelligimus & imminutionem Pontificiæ potestatis, & Episcopalis potestatis accessionem.

XII. Neque de Germaniæ nostræ Episcopis illud Febronius affirmaverit: solum optimi Archiepiscopi Electoris Coloniensis Adolphi, qui Concilio sub Pontificatu Pii IV. interfuit, & non diu post hic Coloniæ Synodum saluberrimam grandi cum fructu suorum subditorum celebravit, unius, inquam, illius testimonium nobis instar millium est, inanem fuisse illam laudati à Febronio Herveti formidinem.

XIII. Per integros 10. menses dicit Febronius laboratum fuisse de titulo Rom. Pontificis, *an sit universalis Ecclesiæ Episcopus & Rector*. In eo, ùt in aliis, secutus est Petrum Suavem Polanum; hic, ùt memorat Palavicinus, nullam dicit Concilii actionem tantâ curiositate à mortalibus fuisse exspectatam, quò semel intelligeretur, quidnam *decem menses* in contentione detinuisset tot Præsules Tridenti, & in negotio tot Aulas Principum, cùm in eo nihil reperiri possit, quod non modò tam longam temporis moram, sed ne brevem quidem tam insignium Capitum occupationem tunc mereretur. *Lib. 21. Cap. 13.*

XIV. Jure merito ad hæc Palavicinus: *Scriptor stultè mendax est*. Quis unquam poterat tam distortè ratiocinari, cùm universis mortalibus innotesce-

ret, Patrum contentionem & Aularum negotium non de unâ, sed de pluribus quæstionibus decidendis, aut omittendis fuisse; in comperto erant celebres turbæ jam ante Sessionem 21. suscitatæ de Residentiâ Episcoporum, quem articulum pro suo concordiæ studio aliqui evitandum desiderabant. In comperto erant tum promissio de articulo illo ante Sessionem 23. resumendo, tum continua Hispanorum postulata, ut hæc promissio impleretur. In comperto erat, & Seripandum egisse, ut omitteretur articulus, *cujus juris esset institutio Episcoporum*, & enata ex turbis inde subortis necessitas illum articulum expendendi, & disceptandi de authoritate Pontificis. Quis, inquit, nisi eorum ignarus existimare poterat post eos decem menses tandem prodiisse partum, cui Petrus Suavis illud Horatianum accommodabat.

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Ipsemet Suavis (quod ejus verbis probat Palavicinus) agnovit, quòd Patrum pars major parata esset ad ampliandam authoritatem Pontificis; unde rectè infert Palavicinus concordiæ rationem præ propriis commodis à majori Patrum parte legitimè sperandis valuisse Rom. Pontifici.

XV. Ex eâdem Historiâ Pauli Sarpi refert Legatos Præsides post alteram demum Congregationem ante Sessionem 23. ex Patrum suffragiis observâsse, cujus sequelæ & præjudicii sint quæstiones *de Rom. Pontificis & Episcoporum jurisdictione*, ex quarum decisione sequeretur; *Claves soli Petro non fuisse datas, Concilium esse supra Pontificem, Episcopos esse Pontifici æquales &c.* eóque comperto Legatos omnem nervum intendisse, *ne plura Italorum suffragia NB. Hispanis accederent.* Palavicinus *inter mendacia, quæ Petrus Suavis, seu Sarpius narrationi harum rerum intexuit*, hoc memorat, *animadvertisse Legatos post duos priores generales conventus, per eam definitionem longè gravius detrimentum illatum iri Apostolicæ Sedi, Aulæque Romanæ, quàm ipsi putaverant, adeóque se tanquam malecautos in reprehensionem incursuros, hinc verò studuisse, ut Patres inde removerentur.* Ostendit jam initio & non post duos Patrum cœtus ipsis innotuisse consecutiones, quæ ab aliquo turbulento ingenio confici poterant ex eâ definitione. Ostendit Hispanos longè aliud cogitâsse. Illud autem frivolum est, quod Febronius de suo addidit, Legatos adeo de Italorum suffragiis fuisse solicitos. His commentis illud simillimum est, quòd non Pontifici, non Legatis, sed Cardinali Lotharingo tribuat consilium de omittendâ illâ quæstione, nempe *an Papa sit universalis Ecclesiæ Rector*, & quòd cum aliis Hispanis reposuerit Granatensis ea, quæ illis affingit Febronius.

Palavic. Lib. 18. Cap. 15.

XVI. Petro Suavi exprobrat Palavicinus cur obtegat silentio Archiep. Granatensem verbis gravidis, apertísque affirmâsse, *Rom. Pontificem Concilio non subjacere, & esse Numen quoddam in terris?* Dixerat Suavis majorem numerum pro sententiis Pontifici propitiis pugnasse adversùs Granatensem; ad hoc Palavicinus: ***Animadvertere Suavis debebat à se imprudenter proprias machinas percelli, cùm***

Lib. 20. Cap. 17.

cùm ipse, & non Pontifex datâ eâ hypothesi libertatem Concilii violâsset, cùm in Republicâ magis integra libertas non sit, quàm ubi prævalet id, quod majori parti probatur. Addit: *Cur silentio præterit Sotum in eâ epistolâ (quam Suavis dicit ab eo scriptam) profiteri supremam Rom. Pontificis authoritatem supra Concilium, & suasisse, ut id apertè pronuntiaretur ad refutandum oppositum opinamentum tanquam seminarium schismatis.* In quibusdam aliis Granatensem Lotharingo concordem fuisse refert Palavicinus, ùt de *Reservationibus.* De *formâ eligendi Pontificem.* De *Cardinalium Electionibus.* De *Exemptionibus.*

XVII. Ut fortiùs Principatum sacrum Rom. Pontificis impugnet, tria objicit sibi argumenta: primum Simonis Florentini, alterum & tertium Lainii. Simoni hoc tribuit argumentum: Monarchiæ forma perfectior est cæteris, ergo hanc elegit Christus. Lainio hæc duo; Christus rexit monarchicè, ergo vicarium voluit monarcham. Item: Christus Petro dedit infallibilitatem his verbis: *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; ergo Petro dedit absolutam & universalem potestatem. Ad 1. respondet à Theologo regimen Ecclesiæ ad humanæ politices regulas non esse reducendum, sed ad voluntatem Christi. 2. Non esse certum, an status monarchicus sit optimus. 3. Antiquos Pontifices sic non cogitâsse, Cœlestinum Papam ab Africanis Patribus è Synodo generali reprehensum, quòd *videretur velle imitari formam monarchicam.* 4. Etsi hæc forma esset melior, eam Ecclesiæ non congruere, cùm per totum mundum diffusa sit, unúsque omnibus nequeat intendere. Denique formam istam ad despotismum deducere. Addit: Nec merè aristocraticam formam convenire, sed talem Primatum, qualem ipse describit.

XVIII. Animadvertendum erat in Theologiâ christianâ authoritatem rationi præpollere. Argumentum à majori præstantiâ formæ monarchicæ ex Aristotele à Theologis assumi velut accessoriam quamdam rationem, quam *congruentiæ* vocant. Quòd neque nobis cum Republicanis hac de re sit dissidium. Quam quisquis civis in ea societate, cujus membrum esse vult, à Majoribus constitutam viderit formam regiminis, eam, procul omni cupiditate res novas moliendi, tranquillè revereatur tanquam optimam. Si Christus tribus suæ Transfigurationis, & Captivitatis testibus dixisset: *Vobis tribus dabo claves. Super vos ædificabo Ecclesiam meam. Vos tres pascite meas oves*; jam TRIUMVIRATUM tanquam optimum defendi jus fásque esset, & aliam *congruentiæ* rationem daremus; sicut si Christus pro his, quæ nunc habemus, Sacramentis alia signa instituisset, aliis congruentiæ rationibus jam Theologi uterentur. Quid verò Christus voluerit, per Scripturam & Ecclesiæ traditionem nobis indicatur. *Valentia de Fid. punct. 7. §. 33.*

XIX. Calvinus dixit nequaquam expedire, ut unus toti Ecclesiæ præficiatur, sicut non expedit unum in temporalibus toti mundo dominari. Experientiâ satis compertum est, quòd ad extremos terminos terræ à Pontifice Ro- *Instit. L. 4. C. 7.*

Romano decreta fidei & morum transire possint, & cum evidenti commodo nostræ unitatis Catholicæ transeant. Historiæ Ecclesiasticæ documentis convincimur, eos, qui in remotissimis terræ plagis contra fidem peccant, posse *abscindi*, ne sanos *conturbent*, aut inficiant. Non ideo necesse est ad mercenarios partem Papalis sollicitudinis devolvi, si Papa corpore præsens illis locis esse non possit, cùm ab Episcopis particulares Provinciæ regantur juxta voluntatem summi Pastoris, qui vices Christi gerit monarchicâ totius ovilis, quod perfectè unum est, gubernatione. Pontifex sibi nec vult, nec potest arrogare *vim imperatoriam, quam Reges gentium affectant*. Non exspectavit, neque nunc exspectat Ecclesia Dei, quale cum Dupino & paucis Febronius vult, regimen Ecclesiasticum Schismatibus suscitandis, fovendis accommodum.

XX. S. Cœlestino Papæ supremam authoritatem in Ecclesiâ Dei luculentâ significatione asseruit oecumenica Synodus Chalcedonensis. Non Cœlestino Pontifici, sed Faustino Legato Pontificio, & Presbyteris cum eo in Africam missis indignabantur Præsules Africani. Quæ de *fumoso typho sæculi* in synodicâ suâ epistolâ dixerunt, ipse nexus verborum evincit, ad Faustinum pertinere; de eo querebantur, quòd *congregationi obstiterit*, *diversas injurias ingesserit*; *à probitate & Apostolicâ moderatione summi Pontificis* exspectabant, ut Faustinus & Clerici executores citò Romam revocarentur. Alia his deteriora exempla querelarum de Legatis Pontificiis proponit Petrus de Marca, & Natalis certis historiæ documentis probata ab ipsis etiam summis Pontificibus S. Gregorio VII. aliisque agnita. Sed è re Febronii erat, parcere Faustino, ut fumosi typhi labem S. Cœlestino, & per eum S. Sedi aspergeret. Accedebat, quòd cùm jus Legatos in Africam mittendi Cœlestinus Canoni Nicæno tribueret, & Patres Africani in Canonibus Nicænis nihil de eo constitutum reperirent, novitas declinanda iis videretur; sed comperto, quòd Sardicenses Nicænis ab Innocentio & Zosimo adnumerati fuerint, & in his Sardicensibus ita dispositum esset, acquieverunt Cœlestino, quod fatetur Petrus de Marca, sed quoad tempus à Cardinalibus Bellarmino, Perronio & Baronio discrepat.

de Concord. L. 7. C. 15.

XXI. Ad 2. respondet Febronius supposititium esse, quòd Christus parem suæ potestatem primo ex ejus vicariis (quâ reprobatâ suâ phrasi Rom. Pontificem indicat) reliquerit. Præter *influxum interiorem gratiarum* per operationem Spiritûs S. profluentem à Christo ponit Christi *assistentiam exteriorem*, vi cujus per Apostolos, Pastores & Doctores obfirmantur fideles contra errores, & ducuntur ad unitatem fidei, & Ministri munera sua fideliter exercent juxta mensuram cuique datam à Deo. Animadvertere debebat, quòd si per *to parem suæ* intendit affingere Rom. Pontifici, & qui ejus potestatem sacram monarchicam profitentur, insanam illam opinionem, quòd Petrum ejúsque Successorem Filio Dei Incarnato pares censeant potestate, & quod dixit Christus: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ. Omne judicium Pater dedit*

Filio

Filio, dicere possit Rom. Pontifex, malignior est calumnia, quàm ut refelli mereatur. Si autem intelligitur propriè principatus unus unius Capitis & Principis supra alios Ecclesiæ Principes eminentis, ùt à Christo constitutus, ita dependens à Christo, vera erit comparatio ad mentem S. Leonis, qui ait: *Omnes hic* (Petri Successor) *propriè regit, quos principaliter regit & Christus.* *S. Leo Serm. 2. de Anniv. sua Ass.*

XXII. Quantùm *ad exteriorem Christi assistentiam* si Febronius comprehendat Papam Episcopos & fideles docentem supremâ authoritate, dum errant, aut obfirmantem contra errores. Si potestatem Pontificis, quacunque se porrigit Ecclesia Dei, ad extremos usque terminos terræ extensam complectatur, & Ministris munera sua fideliter exercentibus Papam tanquam Rectorem anteponat, vera erit assertio; hoc verò si nolit, & à suo quemque Episcopo credat doctrinam semper securam & indubitabilem exspectare posse, nimis enormi errore fallitur, aut sciens veriora vult fallere. Vidit Sæculum XVI. Episcopos & Archiepiscopos apostatas à summo Pontifice depositos, vidit non paucos Doctores, imò totas Academias à fide naufragantes, vidit Germania nostra simplices tantis scandalis conturbari per *magistros erroris, loquentes perversa, ut abducant discipulos post se*; quæ tunc erat exterior Christi assistentia? Certè non alia, quàm quæ per Rom. Pontificem Coloniensibus, alisque communicabatur, ut, qui stabant, non caderent, sed adversùs errores obfirmarentur. Præstantissimi P. Dionysii Petavii librum de Hierarch. Ecclesiast. lege, perlege Febroni, idoneus est Doctor ad dandam *formam sanorum verborum.*

XXIII. Ad 3. Omissâ textûs priore parte: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*, & posterioribus verbis propositis respondet: *Christus mandat Petro se negaturo, ut ab hoc, quem ei prædicebat* (falsum est, quòd tunc prædixerit) *lapsu relevatus fratres impediat, ne suâ probrosâ morte scandalizati infirmentur in fide, curetque, ut in ea maneant constantes.* Addit, nullâ ratione hæc applicari posse ad judicia doctrinæ à solo Petro, multò minùs à Successoribus ferenda. Nunquid Febroni, hoc ratiocinium est justæ formæ: qui curare debet, ut fratres maneant in fide constantes, ad judicia doctrinæ certa & orthodoxa semper debet esse expeditus, & in materiâ fidei nunquam ipsemet esse obnoxius errori, quoties aliquis fratrum vel errat, vel dubitat, atqui Petrus hoc curare debebat, ùt fateris, & fateri Christi verba te cogunt, ergo quoties aliquis fratrum erat vel erraturus, vel dubitaturus, ad judicia doctrinæ orthodoxæ debebat esse paratus. Si Dominus mihi revelaret, me, quoties de aliquo fidei dogmate dubitaverim, à te confirmandum, de judicio doctrinæ tuæ certum me fore necessum est. Quòd ad probrosæ mortis scandalum verba Domini restringas, de tuo deprompsisti. Si restrictionem illam voluisset Dominus, sermo ad Joannem erat convertendus, Petro & Jacobo reliquorum fugam imitatis, Spectator Crucifixionis

fixionis futurus erat, & heroicâ Matris Domini fortitudine, magis autem gratiâ intus operante confirmandus in fide, & Matri uniendus erat ut filius; ergo per signa divinitatis, quæ in moriente & mortuo Redemptore Joannes erat spectaturus, efficaciori contra scandalum Crucis argumento fratres confirmandi erant, quàm à timidis fugâ dilapsis, ad quos historia illa fando erat perventura.

XXIV. Quod addit, successoribus Petri multò minùs, quàm Petro posse applicari promissam his verbis ἀναμαρτησίας in doctrinæ de fide judiciis, ipsâ, quam asserit, *exteriore* Christi *assistentiâ* perpetuâ *usque ad consummationem sæculi* fulcire nititur. Ostendat, si potest, Febronius, quæ illa exterior, sensu aliquo perceptibilis assistentia nostro jam sæculo esse possit, quæ nos faciat orthodoxiæ securos, si recentibus exemplis convincamur, Doctores, quosdam, & Episcopos munera sua fideliter non exercere. Majores nostri, dum à duobus Archiepiscopis ad Lutheri scholam ab uno, ad Calvini scholam ab altero ire jubebantur, ierunt Romam; ibi, quid credendum, quid faciendum, fugiendúmque, docebantur. Si de Italo ignoto, saltem æquè ac de Germano notissimo dubitari debuisset, quid remedii ad exteriorem assistentiam Christi ullibi terrarum reperiendam assignare potuisset nova Theologia Febroniana?

XXV. Concludit ex Actis Tridentinis à se productis patescere, quòd non sit constitutus à Christo talis status, ut *unus regat, reliqui eidem ministrent.* Satis erit iterum dicere, quòd sit fœda & Catholico penitùs indigna calumnia.

Tria ex Concilii Tridentini Decretis profert faventia Rom. Pontificis autoritati, nimirùm tres textus sequentes. Primus est Sess. 14. de pœnit. Capit. 7. *Unde meritò Pontifices Maximi pro supremâ potestate sibi in Ecclesiâ universâ traditâ causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare.*

Secundus est Sess. 24. Ref. Capit. 1. *Eadem S. Synodus tot gravissimis Ecclesiæ incommodis commota non potest non commemorare, nihil magis Ecclesiæ Dei esse necessarium, quàm ut beatissimus Rom. Pontifex, quam solicitudinem universæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debet, eam hìc potissimùm impendat, ut lectissimos tantùm sibi Cardinales adsciscat, & bonos maximè, atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis præficiat, idque eò magis, quòd ovium Christi sanguinem, quæ ex malo & negligentium sui officii immemorum Pastorum regimine peribunt, D. N. J. C. de manibus ejus sit requisiturus.*

Tertius Sess. 25. totum Capit. 21. *Postremò S. Synodus omnia & singula sub quibuscunque clausulis & verbis, quæ de morum refutatione atque Ecclesiasticâ disciplinâ tam sub fel. recordat. Paulo III. ac Julio III. quàm sub Beatmo Pio IV. PP. MM. in hoc S. Concilio statuta sunt, declarat, ità decreta fuisse, ut*

in

in his salva semper authoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur. Eadem clausula expressa est Sess. 7. in initio de Reform.

XXVI. Ad 1. respondet C. 5. §. 4. non exprimi, à quo, quibus gradibus, & quibus in partibus ea potestas suprema Romano Pontifici sit tradita. Nihil obstare, quominùs dicatur ab Ecclesiâ, aut Concilio supremo esse permissam hanc potestatem, sicut tributa est facultas dispensandi. Et C. 7. §. 6. dicit, verosimiliùs *potuerunt* intelligitur, *consentientibus Episcopis*, cùm aliter Papa non possit eorum facultatem limitare, quam acceperunt à Christo. At verò Patres Concilii apertè dicunt: *meritò pro summâ potestate sibi in Ecclesiâ universâ traditâ;* quis nisi ad pervertenda verba Concilii obfirmaverit animum, dicat dependere assertam potestatem Papalem seu peccata reservandi, seu dispensandi, à consensu seu permissione illorum, qui, si reipsâ illam autoritatem judicâssent ad se, seu ad Concilium pertinere, certè declarâssent? Tantùm autem ab hoc aberant, ut summæ in Ecclesiâ universa potestati attribuerint *ad ædificationem* Ecclesiæ: *Magnopere*. inquiunt, *ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibusvis, sed à summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur, unde meritò &c.* Febronium aut Sarpium esse oportet, ut quis authoritativum, quod ajunt, consensum Episcoporum ex his verbis eliciat.

XXVII. Quæ Sarpius objicit Reservationis Decreto, profert Palavicinus. *L. 12. c. 11.* Primum est Colonienses & Lovanienses Theologos obstitisse, ne Synodali definitione Papalis reservatio firmaretur, cùm *incognita fuerit SS. Patribus, & ad aucupium pecuniæ eam hæretici dicant inventam, idque non diffiteatur Cardinalis Campegius.*

XXVIII. Quanquam Pallavicinus fidem faciat, nullum hujus indicium ullibi in Actis Concilii apparere; neque de Coloniensibus, qui Concilio interfuerunt, Joanne Groppero postea Cardinali, & Everhardo Billichio Carmelitâ, postea Episcopo; neque de Lovaniensibus Tappero & Hesselio earum Academiarum Doctoribus Theologis vel minima suspicio formari potuerit, quòd ea, quæ Polanus seu Sarpius iisdem affinxit, seu domi docuerint, seu Tridenti senserint; quanquam etiam notissimus Febronio P. Natalis Alexander fœdum illud de Coloniensibus & Lovaniensibus Theologis commentum, quantùm ad quinque puncta iisdem à Sarpio imputata, confutaverit, solus tamen Sarpius est Febronio instar mille testium, ut demonstrare sibi videatur, ità Colonienses & Lovanienses monuisse, imò illud eorum, quod Sarpius confinxit, *monitum prudens & eruditum* vocat; adeò autem & à prudentiâ, & eruditione orthodoxi Theologi abest, ut meritò Pallavicinus & Natalis, & utriusque Academiæ Theologi indignentur, tali calumniâ temerè pulsatos fuisse insignes illos Theologos. Omnes olim Sacerdotes absolverunt, an ideo contra Pontificum & Conciliorum poste- *In Hist. Eccles. XV. & XVI. Diss. 12.*

poste-

posteriorum dicta, & praxim totius Ecclesiæ jam erit necessarius consensus Sacerdotum, ut, quod acceperunt per ordinationem, inhibeatur per Episcopos? Rectè & verè ait Pallavicinus, si supremo Pastori licet coarctare potestatem Sacerdotum, quantùm ad homines, quidni liceat, quantùm ad causas? ex Melchioris Cani Relectionibus de pœnitentiâ constat Wicleffum Reservationibus Papalibus obstitisse, contra eundem illas probâsse Waldensem autoritate Innocentii III. qui 450. annis Tridentinum antecessit. Omitto alia testimonia antiquitatis, quæ Canus adduxit, qui huic ipsi Sessioni interfuit. Id nunc sufficiat, Tridentinos Patres ad autoritatem *sanctissimorum Patrum nostrorum* provocâsse, & utilitatem reservationum ab illis assertam posuisse basim hujus Decreti, quod certè sufficere debet, ut jure merito dicamus Jurisconsulto, qui se Catholicum vocat, non posse non esse turpissimum, quod ad potestatem Pontificiam arctiùs, ùt omnibus votis peroptat, & quâ potest, contentione adnititur, quantùm in ipso est, constringendam, denuo instauret calumnias hostium Romani Pontificis.

XXIX. Caput 1. de Reform. Sess 24. adeò illustria exhibet Patrum Tridentinorum erga S. Sedem & Rom. Pontificem reverentiæ documenta, ut luculentiora non potuerint ab ipsomet SS. Patre exspectari. Episcoporum & Cardinalium creationi saluberrimè prospicitur, ut *in domo Domini nihil sit inordinatum, nihilque præposterum*; docet omnes, qui ad promotionem Episcoporum *quodcunque jus quâcunque ratione habent à Sede Apostolicâ, aut alioquin* (ex patronatu laico) *operam suam præstant, mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles judicaverint, non precibus, vel humano affectu aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint.* Cùm uniformis ratio ex nationum ac morum varietate ubique haberi non possit, voluit S. Synodus, ut in provinciis forma congrua examinis, seu instructionis *SS. Romani Pontificis arbitrio approbanda* statuatur, & cùm inquisitionem de personâ promovendâ perfecerint, *omnino ad SS. Rom. Pontificem transmittant, ut ipse summus Pontifex pro gregis dominici commodo Ecclesiis possit utiliùs providere.* Cardinales optat S. Synodus, ut *ex omnibus christianitatis nationibus assumantur à Romano Pontifice, quantùm commodè fieri poterit, prout idoneos repererit.* Postremò dicitur: *S. Synodus non potest non commemorare, nihil magis Ecclesiæ Dei esse necessarium, quàm ùt Beatissimus Rom. Pontifex, quam solicitudinem universæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debet, hic potissimùm impendat, ut lectissimos tantùm sibi Cardinales adsciscat, & bonos maximè atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis præficiat, idque eò magis, quod ovium Christi sanguinem, quæ ex malo Pastorum regimine peribunt, de manibus ejus sit requisiturus.* Finge Febroni, Monarchæ Hispanorum à præcipuis Regni, cui Monarchico imperio præest, Proceribus optimè ad publica commoda intentis tale de Episcopis cuique vacanti Ecclesiæ, de Præsidibus cuique provinciæ

vinciae praeficiendis, & adlegendis totius regni administris, & exercituum Ducibus designandis consilium eâdem modestiâ proponi; an credis, monarhicam potestatem audito tali consilio nutaturam? Non aliis profectò restrictionibus potestas illa suprema circumscriberetur, quàm iis, quas ille praefixit, *per quem Reges regnant*, *per quem legum conditores justa decernunt.* Si ad Papae judicium pertinet discernere, quis sit Pastor idoneus; si animas eorum, qui per negligentiam Pastorum pereunt, Dominus de manu ejus requirat, si universae Ecclesiae debitor est per officium; si S. Synodus non loquatur Pontifici cum imperio, sed, quid Christus, Princeps Pastorum jubeat, Patres Concilii reverenter aperiant, sicut quisque Episcopus extra Concilium particulari suggestione Romano Pontifici dicere poterat, & nunc adhuc potest, recta erit ea consecutio: ergo hoc S. Synodi Decretum penitùs contrarium est falsae ideae Febronii.

XXX. Sed quid opponit? Unum hoc ex Sarpio suo, quòd reverso in Galliam Cardinali Lotharingo Galli paeana festivum cecinerint ob *certamen decem mensium contra praetensam Rom. Pontificis potestatem*; sed obscuratam dixerint hanc gloriam, quòd passus sit haec verba: *Solicitudinem universae Ecclesiae* inseri Decreto & non fuerit substituta illa accuratior & nemini non arrisura: *Solicitudinem omnium Ecclesiarum.* Huic improvidae intermissioni Sarpius & Febronius imputant, quòd non omnibus numeris absoluta & perfecta fuerit victoria Lotharingi. Ad eas usque nugas delabi necesse est eos, qui undequaque conquirunt media praeconceptam opinionem tuendi.

XXXI. Ex verbis: *Salvâ semper Sedis Apostolicae autoritate*, Sarpius concludit nec plures, nec pauciores causas, quàm Pontifex voluerit, Episcopis ademptum iri.

XXXII. Ad haec Pallavicinus respondet, Neminem unquam hâc de re in Synodo dubitâsse; haec sub initium Decretorum de Reform. C. 7. & sub finem addita, ut de expressâ mente Synodi constaret, licere Pontifici pro arbitratu agere; intendisse tamen Patres, ut non nisi rarò & gravi de causâ judicium Ordinarii per avocationem impediatur. Antequam ad extrema Decreta S. Synodus procederet, in generali Congregatione fuit deliberatum, an sint haec verba praemittenda Decretis Seff. 24. an sub finem addenda; concorditer eò convenêre, ut *absque novâ suffragatione ad calcem totius emendationis adderentur*. Salvum ergo arbitrium & voluntatem Rom. Pontificis S. Synodus hâc minimè obscurâ significatione declaravit per domesticam providentiam Episcopis & omnibus in communione cum Ecclesiâ Romanâ existentibus tunc, & exituris, ostendens omnia, quae morum reformationem & Ecclesiae disciplinam attinent, praecepta & constituta non ad Pontificem tanquam unum de subditis directa esse, sed salvam illius autoritatem semper intelligi.

XXXIII. Certum est omnino, quod Febronius adducit ex Barthelio; *alia*

quoque Concilia, etsi id non expresserint, salvam semper voluisse autoritatem Rom. Pontificis, cùm hoc sit legitimi Concilii characteristicon, at verò quòd *eâ tantùm ratione hoc additum dicat* Barthelius, *quia autoritas Pontificis maximè à Protestantibus fuit impugnata*, eò minùs subsistit, quò certius est in materiâ de moribus & disciplinâ Ecclesiasticâ ad eos, qui sunt extra communionem Catholicorum, Patribus Concilii neutiquam fuisse reflectendum. Quis enim, si Synodus Anglicana conderet statuta rituum & disciplinæ, iisque anteponeret, & postponeret: Omnia & singula sub quibuscunque clausulis & verbis, quæ de moribus & ritibus in hâc nostrâ Synodo sancita sunt, ita decrevimus, ut salva semper sit, & intelligatur Aulæ nostræ Regiæ autoritas; quis, inquam, Britannorum diceret, hoc tantùm propter Romano-Catholicos esse additum? Cætera, quæ addit Barthelius, nemo Catholicus negat. Quis enim nescit, expressâ Generalis Concilii Tridentini derogatione opus esse, ut vitium subreptionis effugiatur? Sed cui bono Febronius hoc additamentum adglutinavit?

XXXIV. Præterea cur conferendus Gibertus? Supponit, quòd Papa judicare possit in quibusdam circumstantiis se validas habere causas, propter quas aliquando expediat aliquod Decretum Tridentinum non observare. Rectè. Quid tunc? Concilium, inquit, tunc libenter consentit. An fortè sicut *Chrysantus* & *Musonius* Nicænis Decretis, narrante Nicephoro, post mortem subscripserunt: *Consentimus*? An quia non contradicerent, si adhuc Tridenti sederent? At verò sic etiam Patres Nicæni & Ephesini consentiunt Clementi XIII.

XXXV. Tandem Febronius iterum ad perstringendam ignorantiam Patrum, qui in postremis Conciliis generalibus convenerunt, eodem ductus philautiæ spiritu relabitur; in Acta publica eorum Conciliorum irrepsisse dicit errores ex Decretalibus Isidoricis; *illi Patres nostri innocenter delusi sunt* (judice Febronio) *per documenta falsa coruscantia splendidis nominibus primorum, sanctissimorùmque Pontificum; hodie* ô beatum Sæculum! *scrutamur in fontibus acta* non jam, ùt nuper, octo vel novem, sed *septem vel octo primorum sæculorum*, jam *de genuinâ potestate Pontificis, quatenus reverâ ex Deo est, didicimus multò certiùs judicare, quàm illi Patres nostri.*

XXXVI. Quis hic non desideret modestiam christianam, imò veracitatem Jurisconsulti catholici? An omnes, quotquot Tridenti, & antè Lugduni, Florentiæ, & in Laterano consederunt, imò Constantiæ sub Martino V. an omnes de primis sæculis nihil viderunt præter Isidoricas Decretales? An (iterum dico) captiva liberanda veritas Febronium, & similis audaciæ magistros exspectabat? Ostende, quis Legatorum, quis Patrum, quis Theologorum, ùt vocabantur, *minorum* aliquod dogma illis epistolis tanquam suæ assertionis fundamento vel unico, vel præcipuis accensendo superstruxerit. Ostende unum aliquem, si potes, in illis Decretalibus errorem

rorem ab aliquo generali Concilio (à Nicæno uſque ad Tridentinum, ſæcula omnia decurrendo) damnatum. Oſtende aliquem Rom. Pontificem, qui eas juſſerit tanquam Fidei regulam certam, tutámque habendas eſſe? Nihil horum potes, da ergo gloriam Deo, ſanctis generalibus Conciliis exhibe reverentiam, & criſeos illius hæteroclitæ tandem te pudeat, ſi vis dici & eſſe Catholicus. Si quædam S. Dionyſio, S. Chryſoſtomo, S. Auguſtino quæ eorum non erant, tribuerunt S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura, Scotus, & hi, qui eos ſecuti ſunt, an ideo falſa docuerunt?

XXXVII. Quòd Legati Pontificii omnes nervos intenderint, ut Monarchia abſoluta Romani Præſulis apertis verbis declararetur, commentum eſt ùt multa alia, Febronianum. De Legatorum verſutiâ, ùt, quod directè nequibant, obliquè inſinuarent; de Hiſpanorum reſiſtentiâ; de jugo illegali & catenis ſervitutis Ciſalpinorum Epiſcoporum; de Italis catenas pro religione exoſculantibus quæ obtrudit Febronius, ſunt phraſes Sarpianæ tantò avidiùs exſcriptæ, quantò petulantiùs Rom. Pontificis regimen tyrannidi comparant.

XXXVIII. Luculentum hoc etiam ſingularis adversùs S. Sedem Apoſtolicam eſt malevolentiæ argumentum, quod, quanquam obiter inſpectis Tridentinis de Reform. Decretis aut (ſi hoc fuiſſet juriſconſulto nimis operoſum, vel moleſtum) ſolo Decretorum indice perluſtrato facilè vidiſſet multa per hanc S. Synodum ſacro Epiſcoporum ordini acceſſiſſe mero ſub titulo Ordinarii, pudor eum non cohibuerit à mentione repetitâ de Philippo Hiſpaniæ Rege, & ficto illo, de quo ſupra dictum, apopthegmate quòd Epiſcoporum autoritatem S. Synodus uſque ad Parochorum conditionem, ſuccíſis eorum prærogativis, depreſſerit. Thuanum ſolâ doctrinâ, minimè autem orthodoxiâ commendatum teſtem induxerit ad probandum, quòd, quidquid per Concilium noviter Epiſcopis acceſſit, titulo delegatæ juriſdictionis ad eos devenerit. Quis adeò eſt modicè verſatus in Tridentinis Decretis, qui non promptiſſimè Febronium convincat, magno Regi Catholico temerè affingi opinionem de illâ juris Epiſcopalis immani depreſſione, neque verum eſſe, quod verbis Thuani probatum ivit de reſtrictâ per delegationis titulum poteſtate, quam vocant, ordinariâ?

XXXIX. Exemptiones omnes per Concilium ſublatas non fuiſſe conſtat, Collegiis Univerſitatibus, Monaſteriis datum eſt, ſuis, ùt antè, Privilegiis frui; neque caſſata ſunt omnia privilegia, quæ Synodus vocat honoraria, neque illa, quibus à reſidentiâ quidam eximebantur. Epiſcopis moleſtum erat coërcitiones per exceſſus privilegiatorum fieri difficiles, ſcandala multiplicari, ab exemptis Regularibus aliquando pernicioſas fieri prædicationes.

XL. His obſtaculis, ne diſciplinæ vigor flacceſceret, data eſt Epiſcopis plena poteſtas exemptos quomodolibet ſeu prædicatione, ſeu publicis extra Monaſteria ſcandalis ordinem diſciplinæ turbantes compeſcendi, non ordinariâ,

sed delegatâ autoritate. Placuit Concilii Patribus, displicuit Thuano & Febronio. Quid magis facile & expeditum, quàm Episcopalibus mandatis inserere: *Autoritate nostrâ ordinariâ, aut Apostolicè delegatâ*, quoties Episcopus suspicatur delinquentes judicium Episcopi propter exemptionem contemturos. Etiam quoties reum Episcopus condemnaverit, vel de eo inquirere cœperit, & falsis precibus impetrata fuerit remissio apud Sedem Apostolicam; postquam enim summariè per se ipsum tanquam Sedis Apostolicæ delegatus cognoverit gratiam obtentam esse per narrationem falsi, aut per veri taciturnitatem, facilè sibi & Ecclesiæ suæ consulet, eam remissionem, aut pœnæ inflictæ imminutionem rejiciendo, sicut S. Synodus concedit, si apud Ecclesiam suam ipse resideat. Si qui titulos honorarios in Curiâ Romanâ impetraverint, aut indultum de non residendo, Episcopus autoritate delegatâ per opportuna remedia, non obstante privilegio, facillimè potest bono regimini Ecclesiarum sibi subjectarum prospicere. Super dispensationum impetratarum causis summariè & extrajudicialiter Episcopus autoritate delegatâ cognoscit; & dum statuta Apostolicè approbata dispositioni Episcopali opponuntur, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus potest super subreptione, obreptione & defectu intentionis exercere judicium. Si ultimarum voluntatum commutatio, quæ non nisi ex & justâ necessariâ causâ fieri debet, in Curiâ Romanâ facta fuerit, summariæ cognitioni Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati relinquitur, an gratia impetrata possit effectum habere. Pauca sunt alia de Clausuris Monialium exemptarum, de unionibus beneficiorum. De jure patronatûs. De visitationibus. De sufficiendis curatis pro necessitate populi, quæ omitto. Iterum te, Febroni convenio. Si vis tale paradoxon suffragiis eruditorum communire, Thuanos tibi & Sarpios quære, semper tibi gravissimorum S. Concilii Patrum consensus obstabit, quorum suffragiis id effectum est, ut simul salva in omnibus esset Sedis Apostolicæ, & Episcoporum autoritas. Sed dum negas concedendam eam autoritatem S. Sedi, aliud beneficium vis Trid. Patribus misericorditer indulgere, quòd innocenter delusi fuerint, & vis veritatis præter agentium *intentionem in gratiam* ejus, quam tu *genuinam & nativam* vocas, *formæ regiminis Ecclesiastici*, & *veri*, quale tu asseris, *juris Episcoporum declarationem perruperit*. Hoc jactitas Cap. 6. §. 1. tui libri à te demonstrari, cujus inanissimæ præsidentiæ tuæ imprudentia ostendetur.

Sess. 5. C. 1. & 2. Sess. 6. C. 3. de Reform. Sess. 25. C. 14. de Reform. Sess. 13. C. 5. de Reform. Sess. 24. C. 9. Sess. 6. C. 2. Sess. 24. C. 5. de Reform. Sess. 24. C. 14 de Reform. Sess. 22. C. 6. de Reform.

XLI. Præter illam de toto cœtu Patrum Tridenti congregatorum tui judicii fatuitatem hoc Legatis Præsidibus adoles incensum: *Si fortè peccaverint Legati excessu zeli politici pro suâ Curiâ, debetur eis hæc justitia ex alterâ parte, quòd in materiis doctrinæ se satis continuerint, & circa Patrum vota, & Synodi decisiones impartiales gesserint.* Mirare Lector stylum hominis Scholasticorum barbariem aliàs deridentis.

XLII. Tum in *animum Concilii* penetrat applicatâ clavi Petri Giberti, sedilem-

dilemmate: Patres Concilii invitârunt Hæreticos ad Concilium oblatâ securitate. Sciebant Hæreticis *unam ex separationis causis* esse *despoticum regimen Papale*, vel ergo Concilium *non egit consequenter ad suum propositum, vel nulla est probabilitas, quòd mero Pontificis arbitrio voluerint subjicere sua Decreta.* Quid est Febroni in hac Gibertinâ observatione *præclarum?* imò quid argumento illo bicorni cogitetur informius? Invitans aliquos, ut se accedant, eósque enixè rogans, ut se conveniant cum pollicitatione benignæ audientiæ & omnis securitatis, tunc non agit consequenter ad propositum suum, dum agit aliquid suæ pollicitationi adversum, aut contumeliis, conviciis eos incessendo, quos benignè se auditurum promiserat, aut impedimenta securitatis oblatæ contra fidem datam vel interponendo, vel ab aliis posita non removendo; at verò ex invitatione & promissione securitatis inferri non potest: ergo ad removendum illud, quod inter alia præbuit causam dissidii & secessionis, se invitator obstrinxit. Scit Febronius inter causas, quas Gibertus fatetur plures fuisse, dissensionem de dogmatibus censeri unam, eámque non minimam; debebat ergo cum Hugone Grotio improbare, quòd ante Concilium Leo X. propositiones Lutheri damnaverit, & præfestinatâ censurâ Lutherus fuerit declaratus Ecclesiæ hostis, & postea convocatum fuerit Concilium, ad eum & ei adhærentes denuo cum Ecclesiâ Romanâ jungendos. Scire debuit Gibertus, si verè fuit eximius Theologus, quid Catholici respondeant. Tantùm nunc dico, adhuc egisse Concilium consequenter ad propositum, etsi Patres neutiquam intenderint apostatando à suâ sententiâ discedere. Primum itaque membrum laborat falsitate suppositi, in altero æquivocationis est vitium, & alia fovetur falsa hypothesis, si to *merum arbitrium* eandem habet significationem, sicut merum arbitrium aut exeundi, aut domi manendi, hac horâ aut loquendi, aut tacendi. Nemo tale merum arbitrium aut Pontifici, aut cuicunque Monarchæ sæculari tribuit, ut quidquid ad leges condendas, ad promovendam salutem publicam seu Ecclesiæ, seu Monarchiæ sæcularis pertinet, mero tum Rom. Pontificis, tum cujuscunque Principis aut Regis arbitrio subjiciatur. Ne ipsi quidem summi Pontifices & Reges tali sensu sibi vendicant dominationem; arbitrium *regulatum*, ùt vocant, contra id, quod absolutè *merum* dicimus, distingui omnino debet; at Febronius Monarchiam, contra quam certat, vult talem cogitari, quæ sit tyrannidi propinqua, *non invidiosa nefandis, nec cupienda bonis*; & arbitrium tale, ut *stet pro ratione voluntas effrænata.*

§. IX.

Febronii assertio de infallibilitate Ecclesiæ verbis S. Scripturæ & ratiociniis eruditorum Acatholicorum Anglicanæ communionis demonstratâ discutitur.

1. *Ad Fidem Febronius dicit requiri exteriorem Christi assistentiam, & authoritatem publicam inerrantiæ dono munitam.*
2. *Hoc non est applicabile Angelis & Ss. Mulieribus annuntiantibus Resurrectionem.*
3. *Talem authoritatem publicam Febronius tribuit Ecclesiæ per promissionem Spiritûs S. & verba*: Ædificabo Ecclesiam meam &c.
4. *Febronius prætermittit verba:* Tu es Petrus, & super hanc petram.
5. *Febronius ineptè applicat verba*: Si Ecclesiam non audierit.
6. *Sufficit Rom. Pontifici esse rebellem, ut* fiat sicut ethnicus & publicanus.
7. *Ostenditur hoc duobus Decretis Concilii Trid.*
8. *Febronius malè ratiocinatur ex verbis Christi*: Ego vobiscum sum, &c. Qui vos audit &c.
9. *Item ex verbis Apostoli*: Columna & firm. veritatis, & *verbis S. Augustini.*
10. *Authoritas Ecclesiæ Romanæ, & authoritas Ecclesiæ Catholicæ sunt distincti loci Theologici.*
11. *Febronius frustra nos facit sperare securitatem per Concilium generale.*
12. *Item per suscitandos à Deo fideliores Ministros.*
13. *S. Augustini laudatur dictum.* Quod universa tenet Ecclesia, traditum rectissimè creditur.
14. *Præsidentia Febronii perstringitur.*
15. *Trium eruditorum Britannorum ratiocinia producit.*
16. *Lockii ratiocinium de Catholicis & Acatholicis.*
17. *Ratiocinium Saywelii.*
18. *Ratiocinium Guillelmi Cave.*
19. *Febronii illationes ex his Scriptoribus Britannicis.*
20. *Febronius consonat Saywelo in hoc, quòd Romano-Catholici multa addiderint superflua, non dicendo, quæ sint illa superaddita.*
21. *Febronius dicit Protestantes multa reformâsse in doctrinâ, nihil in moribus.*
22. *Febronius abutitur verbis S. Vincentii Lerinensis.*
23. *S. Cyprianus sententiam suam de Baptismo putavit antiquam, cùm esset nova.*
24. *Hugo Grotius dixit Rom. Ecclesiam adoptâsse quædam superflua absque eorum indicio, ùt Saywelus.*

I. Ite-

I. Iterum Febronius instaurat assertum de *exteriore Christi assistentiâ* ad conservandam puritatem & unitatem Fidei necessariâ. Firmissimum assensum dicit requiri ad Fidem: Cùm *indocti & instabiles depravent*, quæ sunt in Scripturis *difficilia intellectu*, legitimâ authoritate opus esse. Ad hanc non sufficere *persuasibilia humanæ sapientiæ verba*, sed authoritatem debere esse *publicam* talem, cui omnis humana ratio submittere se debeat, hominibus accommodam, simul & nesciam erroris, ideo nec divinam tantùm, nec tantùm humanam, sed humanam à Deo communicatam, directámque, & perpetuo inerrantiæ dono munitam. 2. Pet. 3. 1. Cor. 2.

II. Vera sunt hæc omnia, si tamen inter Ecclesiæ primordia, & firmatum ejus statum discrimen fecisset, cum sub initium Christus ministerio Angelorum & mulierum usus sit ad fidem certam Resurrectionis communicandam Discipulis, quanquam nec Angelis, nec mulieribus publicam authoritatem dederit.

III. Hanc iis, quos dixi, titulis præditam authoritatem attribuit, ùt jam aliàs, *Ecclesiæ à Spiritu S. illuminatæ*. Promissam demonstrationem ex verbis S. Scripturæ orditur per verba Christi promittentia Spiritum S. Hoc ponit *infallibilitatis principium*. *Institutionem* autem Ecclesiæ infallibilis dicit perspicuè legi in verbis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Rectè & verè hoc etiam. Joan. 14

IV. Sed suo more priorem partem quasi supervacuam, & speciale nihil significantem ita præterit, ut ad extremam solam de inferno contra Ecclesiam non prævalituro velit esse attendendum.

V. Tum eo spectare vult illa: *Si Ecclesiam non audierit &c.* Quanquam, quod jam supra dictum est, iis Ecclesiæ universitas non significetur.

VI. Certum est aliquem, soli legitimo suo Præposito rebellem, pertinaciter qualicunque vitio publico addictum, etsi hoc nullum cum fide nexum habeat, à communione proscribi posse, etsi etiam nullatenus antè audita fuerint populi suffragia; eâdémque viâ & ratione posse Præpositum, quantuscunque fuerit Episcopus aut Patriarcha; Rom. Pontificis Decreto fieri sicut *Ethnicum & publicanum.*

VII. Juxta S. Concilii Tridentini Decretum *omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, aliique Prælati summo Rom. Pontifici veram obedientiam spondere & profiteri debent*, cui declarationi S. Synodus ibidem hæc addidit: *Si quis ex supradictis omnibus; quod absit, renuerit, Episcopi Comprovinciales statim summum Rom. Pontificem sub pœnâ divinæ indignationis admonere teneantur, interímque ab ejusdem communione abstineant.* Certè hoc Decreto profitebatur S. Synodus summi Rom. Pontificis authoritatem & potestatem supremam Episcoporum excessus puniendi, sicut & jam antè declaraverat, *causas Episcoporum, cùm pro criminis objecti qualitate comparere de-* Sess. 25. C. 2. de Reform. Sess. 13. C. 8. de Reform.

debeant, coram Pontifice Maximo referendas esse, ac per ipsum (quod notet Febronius) *terminandas.*

VIII. Addit Febronius ad suam demonstrationem pertexendam verba Christi: *Ego vobiscum sum &c. Qui vos audit, me audit &c.* Sed quis, nisi cum Febronio sapiat, aut desipiat, ex his demonstrabile credet, quod ipse vult? Christum per Spiritum S. & per admirabile Sacramentum amoris nobiscum esse & manere nemo negat. Etiam, quicunque suo Parocho aut Confessario per vitiosam aliquam contradictionem obluctatur, Christum censetur spernere, & dum audit, audire.

IX. Addit Febronius notissimam à nemine non admissam sententiam, quâ Ecclesiam vocat *columnam & firmamentum veritatis*, & sententiam S. Augustini, quâ dixit, *nos tunc scripturarum tenere veritatem, dum facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, & Ecclesiam, si quis Scripturarum interpretatione falli metuit, consulendam esse.* Verissimum est, tunc teneri veritatem Scripturarum, dum credimus, facimus, quod universæ placet Ecclesiæ. Singulis fidelibus certum est sibi hoc esse credendum & faciendum, quod omnibus & doctis & rudibus notum est debere fieri, aut credi. E. g. quod infantes debeant baptizari; quòd anima nostra sit immortalis; quòd sint in Christo duæ naturæ, una persona. At S. Augustinus non dixit, neque verum est, quòd non aliàs teneatur veritas Scripturarum, nisi universa Ecclesia, seu omnes & docti & rudes fideles eam agnoscant, & sibi illam placere significent, ùt an duæ naturæ sint confusæ, ùt voluit Eutyches, unica Christi voluntas, quod placuit Monothelitis, an Baji Jansenii, Quesnelli afferta de adjutorio gratiæ sint falsa. Certè in his potest teneri veritas Scripturarum, etsi ab omnibus rudibus, aut Theologiæ imperitis hæc non sciantur, neque his distinctè horum notio, aut secura affirmatio placeat, aut displiceat.

X. Hinc est, quòd meritò inter locos Theologicos numeretur *Authoritas Ecclesiæ Catholicæ*, alius tamen necessarius sit *de Ecclesiæ Romanæ authoritate.* Verissimum etiam illud est de obscuritate quæstionis, dum quis falli metuit per explicationem Scripturæ, *consulendam esse Ecclesiam*; at S. Augustinus non dixit, neque verum est totam universitatem fidelium adeundam esse; sed sicut in veteri Lege Deuteronomii, ita nunc certum nos locum, certam personam accedere oportet, si doctis, sed perversis Doctoribus adjutus Episcopus perfidè S. Scripturas interpretando vacillare faciat infirmos. Experientia hoc docuit Colonienses & Spalatinos, dum à lapsis Archiepiscopis ad errores alliciebantur.

XI. Frustra Febronius per *tale Concilium generale, in quo omnia ordinatè aguntur juxta formam primi Concilii Hierosolymitani, ubi ex Scripturâ & traditione Episcopi plenâ libertate pronuntiant*, sperare nos jubet eam securitatem, dum ipse, nec Tridentinum, nec alia, quæ proximè antecesserunt,

XII.

generalia Concilia illo præconio digna, imò crisi magistrali perstringenda, variorúmque defectuum incusanda censuit.

XII. Potest judice Febronio multitudo Episcoporum *spretâ ministerii dignitate prodere veritatem*, tunc, inquit, *Deus quosdam è fidelioribus Ministris suscitabit, qui reclament contra prævaricationem.* Sed ne Quesnellus quidem opportunius medium, viámque magis facilem ostendit, se suásque opiniones non tantùm contra Papalem, sed & Synodalem damnationem præmuniendi. An tu credis Febroni illos *quosdam* spiritu & virtute Eliæ aut Danielis repentè à Deo donandos & supra multitudinem prævalituros? An credis tali medio repressa esse Concilia Ariminense & Ephesinum II.? An aut nihil tunc fecit S. Sedes Apostolica, aut si quid fecit, an orthodoxi Episcopi Orientales, non quid summus Pontifex, sed quid illi pauci suscitati à Deo reclamatores de prævaricatione dicerent, attenderunt? An iniquitas sensim detecta, & paulatim tunc didicit Ecclesia Christi erratum esse Arimini & Ephesi? Piget infanda illa prolixiùs perstringere?

XIII. Sententiis S. Augustini: *Quod universa tenet Ecclesia, traditum rectissimè creditur*, & S. Vincentii Lerinensis, *non licere contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium Consacerdotum, atque instituta Majorum novam doctrinam inducere*, nemo unquam Catholicus contradicet. Si quid enim tota tenet Ecclesia, & semper retinuit, necesse est à primâ Ecclesiæ origine initium habere, & inde ad nos pervenisse. Si quid omnes Episcopi, omnes Sacerdotes laudârunt tanquam communem regulam, nemo contrarias suas adinventiones hesternas audacter anteferet. His duabus & notis & certis sententiis propositis, monet se tractaturum in Cap. 6. sui libri, quid agendam sit, dum *contra communem stant non pauci graves & probi*, quales fuerunt in causâ baptismatis S. Cyprianus, eíque adhærentes. Ordo dicendorum Deo dante eò ducet, ut pro merito expendantur.

XIV. *Totum*, inquit, *opus nostrum in eo versatur, ut ejiciamus ex animis Italorum & quorumdam aliorum ideam status Monarchici in Ecclesiâ*; præsidentior eo Rege Medorum, qui *cum omnibus Ducibus & bellatoribus suis habuit mysterium consilii sui, dixítque cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugaret imperio.* Solus sibi Febronius sufficere visus est, ut absque aliis bellatoribus *Italos & quosdam alios* cogat ex animis ejicere *ideam plurimùm*, ùt loquitur, *vacillantem, tam egregiè in Concilio oppugnatam*, ut ne tunc quidem *caput attollere potuerit.* Piget repetere, quæ dixi de falsò imputatâ Hispanis communi opinione; de fictâ illâ egregiâ oppugnatione factâ in Concilio, & de textibus S. Scripturæ, quos *in alium & genuinum suum sensum* à se in hoc Cap. explicatos inanissimè gloriatur.

XV. Pro sui systematis confirmatione promissam demonstrationem per ratiocinia trium Britannorum à sacris Catholicis alienorum, Locke, Saywel, ac Cave ridendò dicam, an deplorando conatu instaurat.

XVI. Lockius ratiocinatur: Protestantes docent contra Romano-Catholicos, quòd sola S. Scriptura sit regula Fidei, & quòd N. B. nullis in terris reperiatur infallibilis interpres S. Scripturæ; ergo illi, qui dicere possunt, quod juxta monitum Apostoli: *Omnia probate, quod bonum est, tenete*, diligenter scrutati fuerint Scripturas, & negant se in iis reperire *Consubstantiationem, ubiquitatem Corporis Christi*, non possunt à Protestantibus vocari Hæretici aut pseudodoxi, nisi vel infallibili testimonio, vel miraculis Protestantes ostenderint, suam explicationem esse certam. Si ad fundamentalia dogmata dixerint esse attendendum, idem jus dicit esse Calvinianis, quod Protestantibus, ut qui articuli sint, qui non sint fundamentales, definiant. Catholicos Romanos dicit in ratiocinio sibi magis constare, dum Ecclesiam Romanam dicunt infallibilem, consequenter eos justè vibrare anathema contra eos, qui Ecclesiæ Romanæ contradicunt, consequentiam dicit admisso principio, unde fluit, esse ineluctabilem. Quid ad hæc Febronius? utitur Lockius æquivoco; si per *Romanam* intelligat illam particularem Ecclesiam Italiæ, dubitatur valde inter Catholicos. Si contra intelligatur *Romano-Catholica*, non diffitebitur Lockius in hac Ecclesiâ solâ esse authenticam interpretationem Scripturarum. O egregium sui thematis *contra Italos, & quosdam alios* asserti demonstratorem! Celeberrimus Lockius dixit: Romano-Catholici, qui Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram profitentur, possunt Christianos, qui Ecclesiæ Romanæ communionem renuunt, dicere Hæreticos; illi autem, qui solam S. Scripturam habent pro regulâ Fidei, non possunt. An autem Ecclesia Romana sit infallibilis, in quæstionem vertitur, ergo infallibilitatis privilegium tantùm est datum multitudini fidelium spectantium ad Ecclesiam Christi.

XVII. Audiamus Saywelum: In dubiis & arduis semper debent fideles recurrere ad Episcopos. Si omnes Episcopi possent coire in cœtum, communi suffragio judicarent de rebus Ecclesiæ, cùm hoc sæpè fieri nequeat, laicus debet audire parochum, parochus Episcopum, Episcopus Synodum Provinciæ, Synodus Concilium generale. Sed quid faciendum, dum sperari non potest conventio omnium Episcoporum? Respondet: Concilium est unus, sed non solus modus, cùm Dominus non dixerit: Obedite pastoribus congregatis. Sufficit ad Scripturas, ad antiquorum scripta, & usum receptum attendere. Ingrati sunt posteri, & summæ injuriæ rei, si Patres spernant. Apostolus dixit: *Oportet esse hæreses. Exurgent viri loquentes perversa*, sed hoc nequit dici de Conciliis generalibus. Si de Scripturâ & traditione oritur quæstio, Pastores afflatu divini Spiritûs testimonium dant veritati. Romanenses auferant, quod superaddiderunt; Reformati restituant, quod abstulerunt, non erit contentio. Si Pontifex Rom. Canones non transiliret, & Ecclesia Reformata Ordinem Episcopalem restitueret, pax tam miserè non turbaretur. Si non in apertis verbis, tamen certis rationi-

tionibus Pastorum firmitas ostenditur in tradendâ veritate, promisit Deus portas inferorum non prævalituras contra Ecclesiam in genere, sed Pastores dedit, ne circumferamur omni vento doctrinæ. His jubemur obedire, eos honorare, eorum fidem sequi; promisit Christus se cum illis futurum. *Non faciet* (inquit Propheta) *avolare à te Doctorem tuum, erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Mons Domini exaltabitur super omnes montes.* Quo significatum est Ecclesiam in angulis & latibulis non esse abscondendam. Comparationes domûs, horti, exercitûs, in quibus omnia debent esse ordinata, significant unitatem Ecclesiæ; hinc Deo (pergit Saywelus) curæ erit, ut *instabiles & indocti* non ducantur in hæreses per Pastores, & per Concilium verè œcumenicum; neque solvatur Ecclesiæ pax per defectionem Episcoporum.

XVIII. Caveus post Scripturam sacram proximum locum tribuit Ss. Patribus, quatenus consentiunt, & veritatem traditam suo judicio comprobant. Patres dicit honorandos non ùt judices, sed ùt testes, nempe ut nobis testimonium dent, quid eo, quo vixerunt, tempore sit creditum; quæ tunc hæreses ortæ, quomodo, & à quibus, & quo eventu impugnatæ sint; eóque dicit eorum testimonia validiora, quò fuerint vetustiora. Addit, hoc argumento Tertullianum, Augustinum, aliósque Religionem Christianam defendisse, & suadente Sisinnio utiliter hoc medio usum fuisse Theodosium Augustum. Laudat Vincentium Lerinensem, quòd hunc modum Ecclesiam & Fidem defendendi luculenter docuerit, & quidem adeò copiosè per totum suum Commonitorium, ut integrum hoc exscribendum esset, si omnia huc spectantia forent indicanda. Sed in hoc id, quod supra in §. 1. contra Febronium notatum fuit, dissimulandum non est, quod ea, quæ Sedem Apostolicam spectant, uterque pro suo causam propriam defendendi studio callidè prætermiserit, culpâ tamen omnino dispari ob Religionis disparitatem. Ex his Sayweli & Cavei ratiociniis thema suum se demonstraturum promisit Febronius, sed quomodo fidem liberârit, Lector æstimet.

XIX. Illud certè non Romano-Catholicis tantùm, sed & Protestantibus, & Britannicis lepidum videri debet arguti disputatoris, non tam se probâsse, quàm demonstrâsse actitantis artefactum, quod Febronius ex his duabus Lockii propositionibus: *millies & millies à Protestantibus contra Catholico-Romanos propugnatum esset, quòd nullus reperiatur in terris Scripturæ sacræ interpres infallibilis.* Et: *Catholici Romani docent Ecclesiam Romanam esse infallibilem; sed an hoc verum sit, in quæstionem vertitur*, ex his, inquam, concluserit: Lockius non diffitebitur, quòd *sola Ecclesia Romana Catholica jure divino per Scripturam evidenter expresso, & per sanam rationem firmato semper usa sit*, & in eâ solâ vel in nullâ Ecclesiâ sit vera fides. Idémque ipse Febronius Andreæ Wintonensis verbis recitatis: *Date Concilia legitima, date Patres concordes, & in eorum sententiam ibimus*, concluserit: ergo juxta

Protestantium principia omnia iterum sunt in incerto. Quod Lockius dixit, demonstrat Romano-Catholicam Ecclesiam solam veram esse. Quod Wintonensis dixit, demonstrationem subvertit.

XX. Saywelus præter multa Romano-Catholicis placentia hoc dixit gratum Febronio: *Tollendum id, quòd Romanenses superaddiderunt.* Cùm nullum indicium fecerit, quæ sint illa, Febronius ideam obscuram facit distinctam & claram: *Romanenses superaddiderunt Monarchiam*; grave illud *superfluum cæteris omnibus intolerabilius potest, imò debet debellari.* Succidat arborem illam magnam.

Quod si non potuit, magnis tamen excidit ausis.

Saywelus dixit: *pax non turbaretur, si Pontifex Romanus limites Canonibus ab eo juratis præscriptos non transiliret.* Nullum Saywelus certorum Canonum indicium fecit. Febronius supplet; eorum assignationem facit, ùt videri vult, demonstrativam. Saywelus protulit Prophetiam: *Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum*, Concilio tamen generali negat opus esse, sed obediendum Pastoribus etiam extra illud. Febronius hoc assertum temperat divinè admodum: *Hoc & suo certè modo verum est salvâ subordinatione inter Pastores Episcopos, Synodos Provinciales & Generales.* Non plùs ultra. Hic jubet ille Plato quiescere, quantum ad crisin Saywelii. Unum hoc superest: *Ratiocinio celeberrimorum Angliæ Eruditorum demonstratum est, quòd infallibilitas tantùm sit penes multitudinem omnium credentium.* Lectores ridete, *afferte, quidquid est cachinnorum domi.*

XXI. Tandem Jurisconsultus Catholicus quasi suæ Religionis (si tamen verè ex nobis est) penitùs immemor dicit Protestantes reformâsse haud pauca *in doctrinâ*, constare autem, quòd nihil reformaverint *in moribus*; imò evidens esse, quod ipsimet Catholici soli sint, qui fræna libidini & licentiæ laxaverint per relaxationem veteris disciplinæ. Dic Febroni, quî secernas mores à doctrina, disciplinam à dogmatibus, facienda, omittenda à credendis, practica à speculabilibus? Dic, quâ mente scripseris Protestantes intra sola dogmata, seu ea, quæ merum intellectûs nostri assensum exigunt, hæsisse, dum secessionem à nobis fecerunt? Explica & evolve contortas, miseréque complicatas illas tuas ideas *de opinionibus*, de *capite evidentiæ*, de *capite authoritatis*, de *loquendi formulis antiquitus usitatis*; quis Protestantium, quis Catholicorum dixit agi de opinionibus mutandis, & de nullâ re aliâ, dum ab unâ communione ad aliam disparatam lubet transire? Quis quærit rationes evidenter certas? Quis dixit, agi tantùm de formulis loquendi, de usibus supprimendis, quos supprimi nulla suadeat necessitas?

XXII. Dic Febroni, quid bonæ & ingenuæ mentis tunc habebas, dum iterum verbis S. Vincentii Lerinensis abuti ausus es? si S. illius Viri libellum aureum inspexisses, vidisses citandum esse Caput IX. & X. non VIII. Vidisses toto eo Capitulo asseri authoritatem Rom. Pontificis. Post verba ex eodem

eodem Capitulo à me suprà in §1. memorata de Stephano Papâ pergit sic loqui Vincentius: *Denique* (Stephanus) *in Epistolâ, quæ per bunc ad Africam missa est, idem his verbis sanxit, nihil innovandum, nisi quod traditum est; intelligebat enim Vir sanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, quâ fide à Patribus suscepta forent, eâdem fide filiis consignarentur, nósque Religionem, non qua vellemus ducere, sed potiùs quâ illa duceret, sequi oportere, idque esse proprium christianæ modestiæ & gravitatis, non posteris sua tradere, sed à Majoribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique, nisi usitatus & solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas.*

XXIII. Animadverti debebat S. Cyprianum tunc non agnovisse sui asserti novitatem, sed cum ingenti Africanorum Episcoporum numero illi opinioni antiquitatem, & Patrum traditionem prætexuisse, per Epistolam tamen Rom. Pontificis ad Africanos hunc exitum fuisse negotii, ut, non quod Cyprianus cum adhærentibus doctissimis Episcopis Africanis, etiam Synodo non unâ collectis, traditum esse dicebat, pro tradito haberetur, sed quod traditum esse docebat epistola Papæ Stephani. *Retenta* est *antiquitas* asserta per Stephanum, *explosa* est *novitas* frustra pallio antiquitatis vestita per Cyprianum.

XXIV. Hugoni Grotio ('qui quid de fide omnium antiquorum dogmatum adhuc apud Romano Catholicos persistere fassus, vel non fassus sit, non moror) id officii præstas, quod Sayweło. Uterque dixit *ab Ecclesiâ Romano-Catholicâ quædam superflua & inutilia esse adoptata*; neuter fecit eorum adoptatorum particulare indicium. Tu Catholicus inter hæc superflua ab illis duobus, qui tibi oraculorum instar sunt, vagè significata dicis præcipuum & cæteris omnibus intolerabilius hoc esse, quod impugnas, nempe Monarchiam Papalem. Hanc dicis posse & debere tanquam immedicabilem rescindi, aut saltem constringi ad justos (nempe quos tu tanquam supremus controversiæ disceptator, & Judex justos esse pronuntias) terminos humilitatis; atque hoc postremum dicis supra rectè monuisse Saywelum, quanquam scias in prolixo, quem protulisti, ejus discursu de statu Monarchico Regiminis Ecclesiastici Pontificii nihil dictum esse.

§. X

Doctrinæ de Rom. Pontificis infallibilitate novitas, & inutilitas à Febronio perperam asserta confutatur.

1. *Doctrinam de Pontificis inerrantiâ Febronius fingit Italis esse propriam.*
2. *Dicit esse meram opinionem à celeberrimis Doctoribus contradictam.*
3. *Alios Doctores non nominat, quàm novissimorum temporum.*
4. *Quid de Gersonio Card. Sfondratus.*

5. *Quid de Alphonso Tostato & Dionysio Carthus. senserit.*
6. *Quid senserit Card. Petrus de Alliaco.*
7. *Quando & quomodo eam opinionem amplexus fuerit Adrianus VI.*
8. *Quantam Bossueti autoritas fiduciam fecerit Quesnello.*
9. *Quædam Bossueti verba præfidentiùs à Febronio laudata.*
10. *Ostenditur contra Bossuetum, quomodo habeamus traditionem certam de inerrantiâ Rom. Pont. per successionem.*
11. *Ostenditur ex Opusculo Gallico ad præsentem Ecclesiam sui temporis unicuique attendendum esse, ut judicetur de traditione.*
12. *Ex doctrinâ Ecclesiæ nostri temporis judicandum nobis est de Ecclesiâ antiquorum Temporum.*
13. *Ecclesiam sui temporis Aurelius incusabat ignorantiæ & cæcitatis. Idem facit Febronius.*
14. *Ad probandam Papæ fallibilitatem provocat Febronius ad Ecclesiam Græcam, Africanam, Gallicanam & Germanicam.*
15. *De Græcâ ut probet intentum, provocat ad Schismaticum Nicætam Nicomediensem.*
16. *Quid Nicætæ responderit Anselmus Havelberg. laudatus à Natali & Mesnilio.*
17. *Febronius falsissimè dicit Græcos in Concilio Florent. noluisse agnoscere infallibilitatem Rom. Pontificis.*
18. *Tentat hoc probare autoritate Card. Bessarionis.*
19. *Ex Platinæ Panegyrico Bessarion defenditur.*
20. *Ex Sæculis Isidoro anterioribus nihil Febronius profert de Græcis.*
21. *Refellitur verbis S. Cyrilli,*
22. *Theodoreti,*
23. *Autoritate Concilii Chalced.*
24. *Verbis Joannis ep. ad Hormisdam Papam.*
25. *Justiniani Augusti ad eundem.*
26. *Ecclesiæ Africanæ sententiam sumit ex tribus Conciliis Carthag. contra Stephanum Papam.*
27. *Ea provocatio reprobatur à B. Vincentio Lerin.*
28. *De Africanis judicandum est ex Conciliis legitimis, & reprobatione Anabaptismi Cypriani.*
29. *Gallicanam Ecclesiam semper reprobâsse infallibilitatem Pontificiam Febronius asserit, non probat.*
30. *Contrarium probatur autoritate S. Irenæi.*
31. *Provocatio Febronii ad Concilia Basileense & Constantiense.*
32. *Qualem Pontificis autoritatem agnoverint Synodus Trecensis & Pontigonensis.*
33. *Agnoverunt illam Episcopi Gallicani in causâ Abaëlardi,*
34. *Et Gilberti Porretani,*

Et

35. *Et in Causâ de libro Jansenii.*
36. *Febronio obstant verba S. Aviti ad Hormisdam,*
37. *Et S. Ivonis,*
38. *Et SS. Bernardi, Thomæ Aquinatis & Bonaventuræ.*
39. *Quid senserit Illmus Petrus de Marca, & sub finem vitæ Richerius Doctor Parisiensis & Duvallius.*
40. *Febronius falsissimè dixit omnem antiquitatem repugnare infallibilitati Pontificiæ, nihilominus probationem incboat à Gersone.*
41. *Ipse Maimburgus populum Parisiensem docuit infallibilitatem Rom. Pontificis necessariò admittendam esse.*
42. *Febronii commentum de Ecclesiis Germanicis.*
43. *Academiarum Colon. & Lovan. constans sententia de infallibilitate Pontificis.*
44. *Nullus Episcopus Germaniæ, Belgii, Flandriæ docuit in Synodo, aut per Litteras pastorales, nulla etiam Schola publica Germaniæ utriusque docuit fallibilitatem Romani Pontificis.*
45. *Ridicula cavillatio Febronii de Card. Orso.*
46. *Ejus assertio de conspiratione omnium Franciæ Ordinum, & Academiarum contra infallibilitatem Pontificiam.*
47. *Propositio Orsi* : certò constare debet Papam Authoritate divinâ esse judicem controversiarum, *defenditur contra Febronium.*
48. *Febronii frivola querela* suæ opinionis argumenta non satis maturè ponderari,
49. *Dictum Card. Bellarmini*: ferè de fide *imperitè sugillatur à Febronio.*
50. *Differentia inter propositionem* hæreticam, hæresi proximam, erroneam &c.
51. *Ad certitudinem pertingi potest viâ, quam ostendit Ecclesia Romana.*
52. *Minimè autem eâ, quam ostendit Febronius.*
53. *Melchioris Cani judicium de infallibilitate Pontificiâ.*
54. *Febronius lepidè vocat Ludovicum Vives* celeberrimum Sæculi XVI Theologum.
55. *Vivis adducta à Febronio verba de Scholasticis theologis refelluntur per Melch. Cani propositiones.*
56. *Auth. op. imperf. in Math sententia de iis, qui laudant veteres Pontifices, Episcopos & Doctores, ut vituperent eos, qui sunt sui temporis.*
56. *Febronianum thema seu principium generale* : Inerrantia R. P. nullius in fidei controversiis est momenti, aut modicæ utilitatis *refellitur.*

I. Romani Pontificis è cathedrâ docentis ἀναμαρτησίαν asserere, Febronius fingit Transalpinis, hoc est, Italis esse proprium. Duas ad eam impugnandam præmittit propositiones, quas vocat *generaliora principia.* Harum prima

prima est: *Cadente Pontificis Monarchiâ, cui omnis antiquitas repugnat, nutat ejus infallibilitas;* altera: *Assertio inerrantiæ Pontificiæ parum habet practicæ utilitatis.*

II. Dicit hanc esse meram opinionem contradictam à Viris celeberrimis, inter quos Gerson, Tostatus, Dionysius Carthusianus, Petrus de Alliaco, Almainus, Adrianus VI. & Sanctesius, denique Bossuetus. Laudat recentissimi Theologi Parisiensis dictum: *Alii* (Febronius indicat Italos & Monachos) *utrâque ulnâ complectuntur sententiam de infallibilitate Pontificis; alii si liceret, rejicerent triplici.* Si centimanos Briareos cogitâsset, dixisset: *centuplici.* Subjungit Oraculum Propheticum de exterminandis his, ùt loquitur, veritatis & libertatis impedimentis. Confictum à Febronio novitatis præjudicium facilè dissipat antiquitas Ecclesiastica.

III. Ipse Febronius contradictores non alios nominat, quàm novissimorum temporum, Gallos quinque; Hispanum unum; Belgas duos. Agmen ducit Gersonius Sæculi XV. Theologus.

IV. Ejus autoritatem objicienti Maimburgo respondet Cardinalis Sfondratus: *Quis Gerson quantavis doctrinâ, ut illum toti Concilio Constantiensi præponas?* In ejus sess. 45. lecta est, toti Concilio probata, & ad ejus acta relata Constitutio Martini V. quâ sancitum est: *Nulli* fas est à supremo Judice, videlicet Apostolicâ Sede, seu *Romano Pontifice appellare, aut illius judicium in causis Fidei (quæ tanquam majores ad ipsum & Sedem Apostolicam referendæ sunt) declinare.* Schisma trium de Pontificiâ tiarâ certantium ambitione suscitatum Viro & pio & docto eam impressit solicitudinem, ut remedium suggereret, quod utilissimum arbitrabatur; sed dum corpori medelam quæsivit, capiti eam læsionem inflixit, quæ simul totum corpus affligeret. *Erravit ergo Gerson* (infert Sfondratus) *nec mihi ejus errores pro exemplo proponi patiar.*

V. Alfonsum Tostatum Eugenio Pontifici imprudenter iratum juvenili impetu contra Pontificiam autoritatem scripsisse, Spondani Episcopi Apamiensis in Galliâ fide digno testimonio jam supra probavi. Sed idem Tostatus postea Episcopus pacato per ætatem animo pro Pontificiâ autoritate scripsit: *talem fidem esse tenendam, qualem prædicat Romana Sedes, quæ est caput & mater Ecclesiarum, & quòd populus debeat talem fidem profiteri, qualem confitetur Pastor.* Non potuit expressiùs infallibilitati Pontificiæ suffragari. Infallibilitatem Pontificis à Dionysio Rikelio Carthusiano agnosci ostendit Sfondratus per ejus commentarium in verba: *Ego pro te rogavi Petre &c. Ex his sequitur*, inquit Rikelius, *argumentum, quòd fides Romanæ Ecclesiæ, quam in eâ Petrus plantavit, sit in eâ usque finem duratura*, ergo facultas fratres confirmandi per fidem indeficientem permanet in Successoribus Petri.

VI. Petrus Alliacensis Cardinalis pro Universitate Parisiensi, cujus erat

Can-

Cancellarius, ita Clementem VI. allocutus est: *Emendari à te cupimus, qui Petri fidem & sedem tenes*, dicit: *Firmissimè tenemus, quòd S. Sedes Apostolica sit illa Cathedra Petri, super quam Hieronymo teste Ecclesia est fundata, de quâ Sede in personâ Petri dictum est: Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Hæc est igitur, ad quam determinatio Fidei & approbatio veritatis Catholicæ ac bæreticæ impietatis detestatio maximè pertinet.*

VII. Adrianus VI. tunc, dum Theologiam Lovanii docebat, in art. 3. de Sacram. Confirm. ad secund. arg. scripsit: *Certum est Rom. Pontificem errare posse etiam in rebus, quæ ad fidem spectant, & posse eum suis decretis & declarationibus bæresim in lucem proferre, multos quoque Pontifices fuisse bæreticos.* Hoc totum est, quod de hac re scripsit, nihil omnino probationis addidit. Theologiam, quæ Lovanii, cùm ibi doceret Adrianus, fuit impressa, Romæ Papali ejus authoritate recusam esse, falsum est, ut demonstrat Doctor Jansens Elinga Ord. Præd. in libro, quem de supremâ Rom. Pontificis authoritate edidit. Opus illud theologicum nec famæ, nec fortunæ Adriani VI. P. M. aliquid contulisse facilè judicabit, quisquis illud inspexerit. Ex hujus Theologi Lovaniensis particulari sententiâ, cui celeberrima illa Universitas constantissimè semper contradixit, & Almaini ac Sanctesii Gallorum particulari opinione contra SS Patrum dicta, & Conciliorum generalium pronuntiata, nihil sufficienti cum probabilitate concludi poterit.

VIII. Bossueto, quem doctrinâ & sapientiâ insignem superiori sæculo exeunte in Galliâ claruisse constat, hoc obstat, quòd Paschasius Quesnellus sit gloriatus ita librum suum (à S. Sede damnatum) per Bossuetum typo editâ scriptione esse defensum, ut Clementi XI. scribere ausus sit: *Hoc* (Bossueto) *sponsore & vindice si liber* (Reflexions morales) *consistere securus intactusque non possit, quid jam tutum esse potest, & extra censuræ periculum? Quid Catholici sentient? Quid Acatholici jactabunt, si tanti Viri judicium de regulâ Fidei periclitetur, quo duce & pene solo inter totius orbis Antistites Catholicæ Fidei scriptis editis defensore victrix Ecclesia de omni bæresi & schismate per annos 40. triumphavit. Fieri non potest, sinat me sanctitas vestra paulò liberiùs loqui, fieri non potest, ut Vir adeò eruditus in rebus theologicis subactus atque versatus, regulæ Fidei imprimis tenax, adversùs errores omnes semper attentus apertam ejus operis defensionem susceperit, quod, si quæ fides adversariis est, detestandas bæreses contineret.* Non Papa, non major pars Episcoporum Galliæ filiali obsequio Papalem Constitutionem amplexa, potuit Quesnellum ab impiâ appellatione cohibere, *unus millium instar Bossuetus* his omnibus prævalebat. Bossuetus non minùs ac olim SS. Cyprianus & Hilarius ἀνθρώπινόν τι pati potuit.

IX. Replicam non patitur (ait Febronius) id, quod tradit Bossuetus his verbis: *Non votis, non ratiociniis duci, sed certis promissis, certâ traditione niti oportet. Si vovere, aut potiùs somniare placet, expetemus, ut Papa*

U tanti

XVI. Lockius ratiocinatur: Protestantes docent contra Romano-Catholicos, quòd sola S. Scriptura sit regula Fidei, & quòd N. B. nullis in terris reperiatur infallibilis interpres S. Scripturæ; ergo illi, qui dicere possunt, quod juxta monitum Apostoli: *Omnia probate, quod bonum est, tenete*, diligenter scrutati fuerint Scripturas, & negant se in iis reperire *Consubstantiationem, ubiquitatem Corporis Christi*, non possunt à Protestantibus vocari Hæretici aut pseudodoxi, nisi vel infallibili testimonio, vel miraculis Protestantes ostenderint, suam explicationem esse certam. Si ad fundamentalia dogmata dixerint esse attendendum, idem jus dicit esse Calvinianis, quod Protestantibus, ut qui articuli sint, qui non sint fundamentales, definiant. Catholicos Romanos dicit in ratiocinio sibi magis constare, dum Ecclesiam Romanam dicunt infallibilem, consequenter eos justè vibrare anathema contra eos, qui Ecclesiæ Romanæ contradicunt, consequentiam dicit admisso principio, unde fluit, esse ineluctabilem. Quid ad hæc Febronius? utitur Lockius æquivoco; si per *Romanam* intelligat illam particularem Ecclesiam Italiæ, dubitatur valde inter Catholicos. Si contra intelligatur *Romana-Catholica*, non diffitebitur Lockius in hac Ecclesiâ solâ esse authenticam interpretationem Scripturarum. O egregium sui thematis *contra Italos & quosdam alios* asserti demonstratorem! Celeberrimus Lockius dixit: Romano-Catholici, qui Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram profitentur, possunt Christianos, qui Ecclesiæ Romanæ communionem renuunt, dicere Hæreticos; illi autem, qui solam S. Scripturam habent pro regulâ Fidei, non possunt. An autem Ecclesia Romana sit infallibilis, in quæstionem vertitur, ergo infallibilitatis privilegium tantùm est datum multitudini fidelium spectantium ad Ecclesiam Christi.

XVII. Audiamus Saywelum: In dubiis & arduis semper debent fideles recurrere ad Episcopos. Si omnes Episcopi possent coire in cœtum, communi suffragio judicarent de rebus Ecclesiæ, cùm hoc sæpè fieri nequeat, laicus debet audire parochum, parochus Episcopum, Episcopus Synodum Provinciæ, Synodus Concilium generale. Sed quid faciendum, dum sperari non potest conventio omnium Episcoporum? Respondet: Concilium est unus, sed non solus modus, cùm Dominus non dixerit: Obedite pastoribus congregatis. Sufficit ad Scripturas, ad antiquorum scripta, & usum receptum attendere. Ingrati sunt posteri, & summæ injuriæ rei, si Patres spernant. Apostolus dixit: *Oportet esse hæreses. Exurgent viri loquentes perversa*, sed hoc nequit dici de Conciliis generalibus. Si de Scripturâ & traditione oritur quæstio, Pastores afflatu divini Spiritûs testimonium dant veritati. Romanenses auferant, quod superaddiderunt; Reformati restituant, quod abstulerunt, non erit contentio. Si Pontifex Rom. Canones non transiliret, & Ecclesia Reformata Ordinem Episcopalem restitueret, pax tam miserè non turbaretur. Si non in apertis verbis, tamen certis ra-

tioni-

tionibus Pastorum firmitas ostenditur in tradendâ veritate, promisit Deus portas inferorum non prævalituras contra Ecclesiam in genere, sed Pastores dedit, ne circumferamur omni vento doctrinæ. His jubemur obedire, eos honorare, eorum fidem sequi; promisit Christus se cum illis futurum. *Non faciet* (inquit Propheta) *avolare à te Doctorem tuum, erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Mons Domini exaltabitur super omnes montes.* Quo significatum est Ecclesiam in angulis & latibulis non esse abscondendam. Comparationes domûs, horti, exercitûs, in quibus omnia debent esse ordinata, significant unitatem Ecclesiæ; hinc Deo (pergit Saywelus) curæ erit, ut *instabiles & indocti* non ducantur in hæreses per Pastores, & per Concilium verè œcumenicum; neque solvatur Ecclesiæ pax per defectionem Episcoporum.

XVIII. Caveus post Scripturam sacram proximum locum tribuit Ss. Patribus, quatenus consentiunt, & veritatem traditam suo judicio comprobant. Patres dicit honorandos non ùt judices, sed ùt testes, nempe ut nobis testimonium dent, quid eo, quo vixerunt, tempore sit creditum; quæ tunc hæreses ortæ, quomodo, & à quibus, & quo eventu impugnatæ sint; eóque dicit eorum testimonia validiora, quò fuerint vetustiora. Addit, hoc argumento Tertullianum, Augustinum, aliósque Religionem Christianam defendisse, & suadente Sisinnio utiliter hoc medio usum fuisse Theodosium Augustum. Laudat Vincentium Lerinensem, quòd hunc modum Ecclesiam & Fidem defendendi luculenter docuerit, & quidem adeò copiosè per totum suum Commonitorium, ut integrum hoc exscribendum esset, si omnia huc spectantia forent indicanda. Sed in hoc id, quod supra in §. 1. contra Febronium notatum fuit, dissimulandum non est, quod ea, quæ Sedem Apostolicam spectant, uterque pro suo causam propriam defendendi studio callidè prætermiserit, culpâ tamen omnino dispari ob Religionis disparitatem. Ex his Sayweli & Cavei ratiociniis thema suum se demonstraturum promisit Febronius, sed quomodo fidem liberârit, Lector æstimet.

XIX. Illud certè non Romano-Catholicis tantùm, sed & Protestantibus, & Britannicis lepidum videri debet arguti disputatoris, non tam se probâsse, quàm demonstrâsse actitantis artefactum, quod Febronius ex his duabus Lockii propositionibus: *millies & millies à Protestantibus contra Catholico-Romanos propugnatum esset, quòd nullus reperiatur in terris Scripturæ sacræ interpres infallibilis.* Et: *Catholici Romani docent Ecclesiam Romanam esse infallibilem; sed an hoc verum sit, in quæstionem vertitur*, ex his, inquam, concluserit: Lockius non diffitebitur, quòd *sola Ecclesia Romana Catholica jure divino per Scripturam evidenter expresso, & per sanam rationem firmato semper usa sit*, & in eâ solâ vel in nullâ Ecclesiâ sit vera fides. Idémque ipse Febronius Andreæ Wintonensis verbis recitatis: *Date Concilia legitima, date Patres concordes, & in eorum sententiam ibimus.*, concluserit: ergo juxta

Proteſtantium principia omnia iterum ſunt in incerto. Quod Lockius dixit, demonſtrat Romano-Catholicam Eccleſiam ſolam veram eſſe. Quod Wintonenſis dixit, demonſtrationem ſubvertit.

XX. Saywelus præter multa Romano-Catholicis placentia hoc dixit gratum Febronio: *Tollendum id, quòd Romanenſes ſuperaddiderunt.* Cùm nullum indicium fecerit, quæ ſint illa, Febronius ideam obſcuram facit diſtinctam & claram: *Romanenſes ſuperaddiderunt Monarchiam*; grave illud *ſuperfluum cæteris omnibus intolerabilius poteſt, imò debet debellari.* Succidat arborem illam magnam.

Quod ſi non potuit, magnis tamen excidit auſis.

Saywelus dixit: *pax non turbaretur, ſi Pontifex Romanus limites Canonibus ab eo juratis præſcriptos non tranſiliret.* Nullum Saywelus certorum Canonum indicium fecit. Febronius ſupplet; eorum aſſignationem facit, ùt videri vult, demonſtrativam. Saywelus protulit Prophetiam: *Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum*, Concilio tamen generali negat opus eſſe, ſed obediendum Paſtoribus etiam extra illud. Febronius hoc aſſertum temperat diviné admodum: *Hoc & ſuo certè modo verum eſt ſalvâ ſubordinatione inter Paſtores Epiſcopos, Synodos Provinciales & Generales.* Non plùs ultra. Hic jubet ille Plato quieſcere, quantum ad criſin Saywelii. Unum hoc ſupereſt: *Ratiocinio celeberrimorum Angliæ Eruditorum demonſtratum eſt, quòd infallibilitas tantùm ſit penes multitudinem omnium credentium.* Lectores ridete, *afferte, quidquid eſt cachinnorum domi.*

XXI. Tandem Juriſconſultus Catholicus quaſi ſuæ Religionis (ſi tamen verè ex nobis eſt) penitùs immemor dicit Proteſtantes reformâſſe haud pauca *in doctrinâ*, conſtare autem, quòd nihil reformaverint *in moribus*; imò evidens eſſe, quod ipſimet Catholici ſoli ſint, qui fræna libidini & licentiæ laxaverint per relaxationem veteris diſciplinæ. Dic Febroni, quî ſecernas mores à doctrina, diſciplinam à dogmatibus, facienda, omittenda à credendis, practica à ſpeculabilibus? Dic, quâ mente ſcripſeris Proteſtantes intra ſola dogmata, ſeu ea, quæ merum intellectûs noſtri aſſenſum exigunt, hæſiſſe, dum ſeceſſionem à nobis fecerunt? Explica & evolve contortas, miſeréque complicatas illas tuas ideas *de opinionibus*, de *capite evidentiæ*, de *capite authoritatis*, de *loquendi formulis antiquitus uſitatis*; quis Proteſtantium, quis Catholicorum dixit agi de opinionibus mutandis, & de nullâ re aliâ, dum ab unâ communione ad aliam diſparatam lubet tranſire? Quis quærit rationes evidenter certas? Quis dixit, agi tantùm de formulis loquendi, de uſibus ſupprimendis, quos ſupprimi nulla ſuadeat neceſſitas?

XXII. Dic Febroni, quid bonæ & ingenuæ mentis tunc habebas, dum iterum verbis S. Vincentii Lerinenſis abuti auſus es? ſi S. illius Viri libellum aureum inſpexiſſes, vidiſſes citandum eſſe Caput IX. & X. non VIII. Vidiſſes toto eo Capitulo aſſeri authoritatem Rom. Pontificis. Poſt verba ex

eodem

eodem Capitulo à me suprà in §1. memorata de Stephano Papâ pergit sic loqui Vincentius: *Denique* (Stephanus) *in Epistolâ, quæ per hunc ad Africam missa est, idem his verbis sanxit, nihil innovandum, nisi quod traditum est; intelligebat enim Vir sanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, quâ fide à Patribus suscepta forent, eâdem fide filiis consignarentur, nósque Religionem, non qua vellemus ducere, sed potiùs quâ illa duceret, sequi oportere, idque esse proprium christianæ modestiæ & gravitatis, non posteris sua tradere, sed à Majoribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique, nisi usitatus & solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas.*

XXIII. Animadverti debebat S. Cyprianum tunc non agnovisse sui asserti novitatem, sed cum ingenti Africanorum Episcoporum numero illi opinioni antiquitatem, & Patrum traditionem prætexuisse, per Epistolam tamen Rom. Pontificis ad Africanos hunc exitum fuisse negotii, ut, non quod Cyprianus cum adhærentibus doctissimis Episcopis Africanis, etiam Synodo non unâ collectis, traditum esse dicebat, pro tradito haberetur, sed quod traditum esse docebat epistola Papæ Stephani. *Retenta* est *antiquitas* asserta per Stephanum, *explosa* est *novitas* frustra pallio antiquitatis vestita per Cyprianum.

XXIV. Hugoni Grotio (qui quid de fide omnium antiquorum dogmatum adhuc apud Romano Catholicos persistente fassus, vel non fassus sit, non moror) id officii præstas, quod Saywelo. Uterque dixit *ab Ecclesiâ Romano-Catholicâ quædam superflua & inutilia esse adoptata*; neuter fecit eorum adoptatorum particulare indicium. Tu Catholicus inter hæc superflua ab illis duobus, qui tibi oraculorum instar sunt, vagè significata dicis præcipuum & cæteris omnibus intolerabilius hoc esse, quod impugnas, nempe Monarchiam Papalem. Hanc dicis posse & debere tanquam immedicabilem rescindi, aut saltem constringi ad justos (nempe quos tu tanquam supremus controversiæ disceptator, & Judex justos esse pronuntias) terminos humilitatis; atque hoc postremum dicis supra rectè monuisse Saywelum, quanquam scias in prolixo, quem protulisti, ejus discursu de statu Monarchico Regiminis Ecclesiastici Pontificii nihil dictum esse.

§. X
Doctrinæ de Rom. Pontificis infallibilitate novitas, & inutilitas à Febronio perperam asserta confutatur.

1. *Doctrinam de Pontificis inerrantiâ Febronius fingit Italis esse propriam.*
2. *Dicit esse meram opinionem à celeberrimis Doctoribus contradictam.*
3. *Alios Doctores non nominat, quàm novissimorum temporum.*
4. *Quid de Gersonio Card. Sfondratus.*

5. *Quid de Alphonso Tostato & Dionysio Carthus. senserit.*
6. *Quid senserit Card. Petrus de Alliaco.*
7. *Quando & quomodo eam opinionem amplexus fuerit Adrianus VI.*
8. *Quantam Bossueti autoritas fiduciam fecerit Quesnello.*
9. *Quædam Bossueti verba præsidentiùs à Febronio laudata.*
10. *Ostenditur contra Bossuetum, quomodo habeamus traditionem certam de inerrantiâ Rom. Pont. per successionem.*
11. *Ostenditur ex Opusculo Gallico ad præsentem Ecclesiam sui temporis unicuique attendendum esse, ut judicetur de traditione.*
12. *Ex doctrinâ Ecclesiæ nostri temporis judicandum nobis est de Ecclesiâ antiquorum Temporum.*
13. *Ecclesiam sui temporis Aurelius incusabat ignorantiæ & cæcitatis. Idem facit Febronius.*
14. *Ad probandam Papæ fallibilitatem provocat Febronius ad Ecclesiam Græcam, Africanam, Gallicanam & Germanicam.*
15. *De Græcâ ut probet intentum, provocat ad Schismaticum Nicætam Nicomediensem.*
16. *Quid Nicætæ responderit Anselmus Havelberg. laudatus à Natali & Mesnilio.*
17. *Febronius falsissimè dicit Græcos in Concilio Florent. noluisse agnoscere infallibilitatem Rom. Pontificis.*
18. *Tentat hoc probare autoritate Card. Bessarionis.*
19. *Ex Platinæ Panegyrico Bessarion defenditur.*
20. *Ex Sæculis Isidoro anterioribus nihil Febronius profert de Græcis.*
21. *Refellitur verbis S. Cyrilli,*
22. *Theodoreti,*
23. *Autoritate Concilii Chalced.*
24. *Verbis Joannis ep. ad Hormisdam Papam.*
25. *Justiniani Augusti ad eundem.*
26. *Ecclesiæ Africanæ sententiam sumit ex tribus Conciliis Carthag. contra Stephanum Papam.*
27. *Ea provocatio reprobatur à B. Vincentio Lerin.*
28. *De Africanis judicandum est ex Conciliis legitimis, & reprobatione Anabaptismi Cyprianici.*
29. *Gallicanam Ecclesiam semper reprobâsse infallibilitatem Pontificiam Febronius asserit, non probat.*
30. *Contrarium probatur autoritate S. Irenæi.*
31. *Provocatio Febronii ad Concilia Basileense & Constantiense.*
32. *Qualem Pontificis autoritatem agnoverint Synodus Trecensis & Pontigonensis.*
33. *Agnoverunt illam Episcopi Gallicani in causâ Abaëlardi,*
34. *Et Gilberti Porretani,*

Et

35. *Et in Causâ de libro Jansenii.*
36. *Febronio obstant verba S. Aviti ad Hormisdam,*
37. *Et S. Ivonis,*
38. *Et SS. Bernardi, Thomæ Aquinatis & Bonaventuræ.*
39. *Quid senserit Illmus Petrus de Marca, & sub finem vitæ Richerius Doctor Parisiensis & Duvallius.*
40. *Febronius falsissimè dixit omnem antiquitatem repugnare infallibilitati Pontificiæ, nihilominus probationem incboat à Gersone.*
41. *Ipse Maimburgus populum Parisiensem docuit infallibilitatem Rom. Pontificis necessariò admittendam esse.*
42. *Febronii commentum de Ecclesiis Germanicis.*
43. *Academiarum Colon. & Lovan. constans sententia de infallibilitate Pontificis.*
44. *Nullus Episcopus Germaniæ, Belgii, Flandriæ docuit in Synodo, aut per Litteras pastorales, nulla etiam Schola publica Germaniæ utriusque docuit fallibilitatem Romani Pontificis.*
45. *Ridicula cavillatio Febronii de Card. Orsso.*
46. *Ejus assertio de conspiratione omnium Franciæ Ordinum, & Academiarum contra infallibilitatem Pontificiam.*
47. *Propositio Orsi*: certò constare debet Papam Authoritate divinâ esse judicem controversiarum, *defenditur contra Febronium.*
48. *Febronii frivola querela* suæ opinionis argumenta non satis maturè ponderari,
49. *Dictum Card. Bellarmini*: ferè de fide *imperitè sugillatur à Febronio.*
50. *Differentia inter propositionem* hæreticam, hæresi proximam, erroneam &c.
51. *Ad certitudinem pertingi potest viâ, quam ostendit Ecclesia Romana.*
52. *Minimè autem eâ, quam ostendit Febronius.*
53. *Melchioris Cani judicium de infallibilitate Pontificiâ.*
54. *Febronius lepidè vocat Ludovicum Vives* celeberrimum Sæculi XVI Theologum.
55. *Vivis adducta à Febronio verba de Scholasticis theologis refelluntur per Melch. Cani propositiones.*
56. *Auth. op. imperf. in Math sententia de iis, qui laudant veteres Pontifices, Episcopos & Doctores, ut vituperent eos, qui sunt sui temporis.*
56. *Febronianum thema seu principium generale:* Inerrantia R. P. nullius in fidei controversiis est momenti, aut modicæ utilitatis *refellitur.*

I. Romani Pontificis è cathedrâ docentis ἀναμαρτησίαν asserere, Febronius fingit Transalpinis, hoc est, Italis esse proprium. Duas ad eam impugnandam præmittit propositiones, quas vocat *generaliora principia.* Harum prima

Cancellarius, ita Clementem VI. allocutus est: *Emendari à te cupimus, qui Petri fidem & sedem tenes*, dicit: *Firmissimè tenemus, quòd S. Sedes Apostolica sit illa Cathedra Petri, super quam Hieronymo teste Ecclesia est fundata, de quâ Sede in personâ Petri dictum est: Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Hæc est igitur, ad quam determinatio Fidei & approbatio veritatis Catholicæ ac hæreticæ impietatis detestatio maximè pertinet.*

VII. Adrianus VI. tunc, dum Theologiam Lovanii docebat, in art. 3. de Sacram. Confirm. ad secund. arg. scripsit: *Certum est Rom. Pontificem errare posse etiam in rebus, quæ ad fidem spectant, & posse eum suis decretis & declarationibus hæresim in lucem proferre, multos quoque Pontifices fuisse hæreticos.* Hoc totum est, quod de hac re scripsit, nihil omnino probationis addidit. Theologiam, quæ Lovanii, cùm ibi doceret Adrianus, fuit impressa, Romæ Papali ejus authoritate recusam esse, falsum est, ùt demonstrat Doctor Jansens Elinga Ord. Præd. in libro, quem de supremâ Rom. Pontificis authoritate edidit. Opus illud theologicum nec famæ, nec fortunæ Adriani VI. P. M. aliquid contulisse facilè judicabit, quisquis illud inspexerit. Ex hujus Theologi Lovaniensis particulari sententiâ, cui celeberrima illa Universitas constantissimè semper contradixit, & Almaini ac Sanctesii Gallorum particulari opinione contra SS Patrum dicta, & Conciliorum generalium pronuntiata, nihil sufficienti cum probabilitate concludi poterit.

VIII. Bossueto, quem doctrinâ & sapientiâ insignem superiori sæculo exeunte in Galliâ claruisse constat, hoc obstat, quòd Paschasius Quesnellus sit gloriatus ita librum suum (à S. Sede damnatum) per Bossuetum typo editâ scriptione esse defensum, ut Clementi XI. scribere ausus sit: *Hoc* (Bossueto) *sponsore & vindice si liber* (Reflexions morales) *consistere securus intactusque non possit, quid jam tutum esse potest, & extra censuræ periculum? Quid Catholici sentient? Quid Acatholici jactabunt, si tanti Viri judicium de regulâ Fidei periclitetur, quo duce & pene solo inter totius orbis Antistites Catholicæ Fidei scriptis editis defensore victrix Ecclesia de omni hæresi & schismate per annos 40. triumphavit. Fieri non potest, sinat me sanctitas vestra paulò liberiùs loqui, fieri non potest, ut Vir adeò eruditus in rebus theologicis subactus atque versatus, regulæ Fidei imprimis tenax, adversùs errores omnes semper attentus apertam ejus operis defensionem susceperit, quod, si quæ fides adversariis est, detestandas hæreses contineret.* Non Papa, non major pars Episcoporum Galliæ filiali obsequio Papalem Constitutionem amplexa, potuit Quesnellum ab impiâ appellatione cohibere, *unus millium instar Bossuetus* his omnibus prævalebat. Bossuetus non minùs ac olim SS. Cyprianus & Hilarius ἀνθρώπινόν τι pati potuit.

IX. Replicam non patitur (ait Febronius) id, quod tradit Bossuetus his verbis: *Non votis, non ratiociniis duci, sed certis promissis, certâ traditione niti oportet. Si vovere, aut potiùs somniare placet, expetemus, ut Papa*

tanti

tanti gregis ductor non modò nullo errore, sed nec ullo peccato, nullâ ignorantiâ, negligentiâ aut cupiditate teneatur. Itáne hæc tibi Febroni solida videntur & certa, ut replicam non patiantur? Vovere, expetere, ut Rom. Pontifex animæ suæ non noceat errore, peccato, ignorantiâ vitiosâ, negligentiâ, cupiditate; rogare Deum, ut illum faciat *ad vitam pervenire sempiternam, & sanctorum jungi consortio* (quæ Sacerdos pro vivo, defunctóque Pontifice orat) non est somniare. Si peccet, ad nos culpa non pertinet; certi autem sumus eum nunquam erraturum errore doctrinæ, seu per ignorantiam, seu per negligentiam, seu per cupiditatem, contraria seu Fidei, seu communi Disciplinæ totam Ecclesiam docendo. Nemo est, qui oret, aut voveat id, quod divina nobis promissio addixit; surgere possunt in medio Ecclesiæ viri perversa loquentes, etiam Doctores, & Episcopi, minimè autem, qui Episcoporum, totiúsque Ecclesiæ Pastor & Doctor est, ejúsque, cui Christus fidem indeficientem impetravit, Successor ab orthodoxiâ unquam potest, falsa docendo, deflectere. Tu ipse, si cum Bossueto dicis, Papam esse *ductorem gregis tanti*, id est, non unius urbis, non unius provinciæ finibus inclusi, sed per totum orbem diffusi, miseram concipis Ecclesiæ conditionem, si, dum alia securitatis remedia præsto non sunt, de pascuis, ad quæ gregem sibi commissum educit, an salubria, an veneno infecta sint, possimus dubitare.

X. Vis cum Bossueto traditionem certam? Docuerunt te Patres in Ecclesiâ esse *traducem Fidei & semina doctrinæ* per ordinem ab initio usque ad hæc nostra tempora decurrentem perpetuâ successione; sicut Optatus Milevitanus ad Siricium sui temporis Pontificem, Hieronymus ad Damasum, Augustinus ad Anastasium successionem non interruptam ostendebant, ita tu, ut traditionem habeas certam, ad sola priora IX. VIII. aut, si mavis, VII. sæcula non provoca; postremorum temporum Concilia generalia suspecta non fac; à Petro ad Clementem XIII. ita procede, ut *Patres* postremorum Conciliorum innocenter aut nocenter *per falsa documenta fuisse delusos*, & in Acta Conciliorum nonnulla spiritum erroris redolentia irrepsisse nec credas, nec dicas. Ecclesiam sui temporis monstrabat Augustinus Donatistis; tu hanc nostri temporis, & hunc, qui nunc est, Dominici gregis ductorem consule; facilè, quæ tibi nunc traditio attendenda sit, intelliges. Catholicam veritatem noli, repudiatâ præsentium temporum doctrinâ, quasi à sæculo IX. usque nunc sepultam & obliteratam quærere.

XI. Præclarè autor *Catholicæ Disceptationis de Ecclesiâ præsentis temporis* anno 1650. Parisiis editæ certavit contra Aurelium, qui *traditionem Patrum* Bullis Papalibus opponebat. Objicit Aurelio verba Tertulliani: *Videndum à quo, & per quem, & quando, & quibus sit tradita disciplina*; ergo, inquit, soli illi sunt probabiles *Discipuli traditionis*, qui Rom. Ecclesiam consulunt, ut discant, quid traditum sit tum ab Apostolis, tum ab antiquis Patribus,

Tert. de præscript.

tribus. Illa germana est, sinceráque *theologia traditionis*, quæ concludit, aliquam doctrinam vel esse, vel non esse traditionem catholicæ veritatis, prout testimonio perseverantis ad hunc usque diem Ecclesiæ vel confirmatur, vel rejicitur.

XII. Si quis revolat in priora sæcula, & ex Patribus ita præsidium accersit, ut Ecclesiam præteriti temporis nôsse non velit ex vultu atque sermone Ecclesiæ temporis præsentis, nequaquam dici debet traditionis defensor, sed destructor; nec traditionis discipulus, sed adversarius; nec hujus *Theologia* dicenda est *traditionis*, nisi eâ significatione, quâ intelligitur esse Theologia *proditionis*.

XIII. Eadem Febronio, quæ Aurelio, causa est ad antiquam traditionem recurrendi, cùm idem sit utriusque de sui temporis Ecclesiâ judicium. Aurelius teste Episcopo Vabrensi discipulis dicere consueverat, de Papa & Episcopis: *Ignorantia, ignorantia! Tenebræ! Errorum prodigia! Ubique cæcitas!* Ita Febronius obscuratam dolet per epistolas Isidoricas veritatem Italis & Monachis & quibusdam aliis non Doctoribus tantùm, sed & Episcopis; tenebras, errores, cæcitatem epistolis Isidoricis inductam, assentationibus, & turpis lucri desiderio auctam, & latè dominantem non quidem, ùt Aurelius plorat, sed acerbè exagitat.

XIV. Jam propositi thematis probatio Febroniana expendatur. Ut probet certâ niti traditione, quòd Papa sit fallibilis, & contrarium antiquitati repugnet, quattuor proponit Ecclesias: Græcam, Africanam, Gallicanam, & Germanicam.

XV. De Græcâ ut intentum demonstret statim ad sæculum XII. transilit non tantùm ex ejus sententiâ Isidoricis epistolis corruptum, sed &, quod ad Græciam magis pertinet, fœdatum erroribus & schismate Græcorum. Unius ex Schismaticis Nechitæ Nicomediensium Archiepiscopi sermonem ex Dialogo, quem cum Anselmo Havelbergensi Lotharii Augusti Legato, Marchionatûs Brandenburgici Episcopo habuit de Religionis inter Græcos & Latinos dissidio. In eo proponitur Nicomediensis ita loquens: *Quid nobis Scripturarum scientia, studia, ingenium, si sola Rom. Pontificis authoritas universa hæc evacuat? solúsne is Episcopus & præceptor & bonus Pastor? Ille conservato Primatu non contemnat Fratres in libertatem generatos. Non jubemur specialiter confiteri Ecclesiam Romanam, sed symbola docent Catholicam, Apostolicam credendam esse. Veneror Romanam, non per omnia sequor; nec nobis honestum fuerit tanquam cæcos clausis oculis eam ducentem sequi.* Præter responsum Anselmi appositè replicat Mesnilius, ingenio & scientiæ privatorum jungi debere obedientiam, ne noceant, sicut in pluribus hæreseon principibus patet ea nocuisse. *Du Mesnil. Doct. & Discipl. Eccles. L. 50. n. 10.*

XVI. Plurimùm verò scientiam & ingenium dicit valere in Episcopis, ut subjectos populos bene regant, adversariis resistant, in Synodis sapienter judicent,

Pontifici ſententiam regulis Eccleſiaſticis conformem proponant, non ut Rom. Pontiſicis juriſdictioni & obedientiæ ſe ſubtrahant. Non in ſcientiæ & ingenii eminentiâ fundari juriſdictionem Eccleſiæ, ſed in diſpoſitione Chriſti. Quanquam in ſymbolis Eccleſia *Romana* non exprimatur, ex verbis Chriſti ad Petrum: *Tu es Petrus* &c. rectè cum Irenæo concludi, quòd neceſſe ſit omnem aliam Eccleſiam convenire ad Romanam, & nulla particularis Eccleſia *Catholica* cenſeatur, niſi cum Romanâ ſocietur, ac proinde per voces: Unam, ſanctam, Catholicam, Apoſtolicam ſufficienter deſignari Romanam Caput aliarum omnium, & centrum unitatis. Inſtanti Nicætæ: *Non ſoli Petro dictum eſſe: Quorum remiſeritis... Spiritum S. ei ſoli datum non eſſe*, reſpondit Anſelmus: Fatemur omnibus Apoſtolis Spiritum S. cum poteſtate remittendi peccata datum eſſe, ita tamen, ut principatus Petri ſit omnibus excellentior. Hunc dicit ad Succeſſores tranſiiſſe, quod probat per judicia ſuprema, quæ Pontifices Romani in alios Patriarchas exercuerunt, & per condemnationes, quod multis exemplis demonſtravit Anſelmus. Tandem Nicætes: *Non in magnis, ſed in minimis aliquatenus diſcrepantes videri* Græcos & Latinos, *quæ ſalutem animarum non impediunt, charitatem tamen non ædificant.* Optat *generale Concilium, ut unus populus ſub uno Domino Chriſto in unâ Fide, uno baptiſmate, uno Sacramentorum ritu efficiatur.* Idem ſe optare dixit Anſelmus. Quis lepidum hunc Febronii conatum non rideat, qui ex hoc Dialogo Catholici & Schiſmatici Epiſcoporum, & quidem ex decerptis quibuſdam Schiſmatici verbis demonſtrationem texere voluit, ſic per decurſum priorum ſæculorum conſtanter eſſe traditum, ſicut de Papâ placuit ſentire Febronio, dum Sæculi XII. Schiſmaticus illi ſufficit?

XVII. At ſoli huic Dialogo non acquievit. Progreditur à Sæculo XII. ad XV. nempe ad Concilium Florentinum. Etſi Cardinalis Lotharingus, omnéſque Galli in Concilio Trid. faſſi fuerint illud apertè patrocinari infallibitati Pontificiæ, audacter dicit Febronius græcos eo in Concilio *nunquam agnoſcere voluiſſe Romanum Præſulem infallibilem.*

XVIII. Ad hoc aſſertum demonſtrandum ſolius Beſſarionis illi verba ſufficiunt.

Platinæ Panegyr. in laud. Beſſarionis Card. Patr. Conſt. impreſſ. Colon. 1674

XIX. Quis Beſſarion fuerit, quid egerit, juvat ex coævi B. Platinæ doctiſſimo Panegyrico de virtutibus & rebus geſtis Beſſarionis coram Cardinalibus perorato expendere: Beſſarion Imperatorem & Principes Græciæ ſæpè & vehementer hortatus eſt, ut poſt 500. annorum funeſtiſſima, tum Eccleſiæ Græcæ inprimis, diſſidia Orientalis Eccleſia Occidentali jungeretur. Movit Imperatorem, ut juncto quorumdam Epiſcoporum & Beſſarionis comitatu in Italiam ad Eugenium Pontificem proficiſceretur. Ferrariæ, ubi tunc Pontifex erat, gravi oratione ſuos hortatus eſt, ut ineundæ concordiæ non obſiſterent; hoc negotio acribus diſputationibus promoto, ſed non finito, Concilium Pontifex Florentiam tranſtulit. Ibi acriter primùm ſuos

coram

coram Patribus Latinis tractatus est Bessarion; tandem non ipse tantùm Latinis assensit, sed & Episcopis Græcis, ut idem facerent hortando persuasit. Probante concordiam Imperatore, symbolum Latinorum à Græcis publicè cantatur. Reverso post Concilium Imperatore Bessarion in numerum Cardinalium ab Eugenio cooptatur. sub ejus Successore Nicolao V. gravissimis fungitur Legationibus, præsertim Germanicâ, & summis in Curiâ Romanâ officiis eâ cum gloriâ, ut Nicolao defuncto magna pars Purpuratorum Patrum de Bessarione ad Cathedram Petri evehendo propensionem ostenderit. Quæ sub initium sapientissimus Bessarion dixit, ut Græcorum animos providè ad pacem componeret, retulit Febronius, alia omnia tacuit.

XX. En scriptoris integritatem! En lepidam traditionis ex sæculis purioribus Isidori fraude nondum obscuratis Febronianam demonstrationem!

XXI. Aliqua Febroni ex purioribus illis sæculis accipe. S. Cyrillus Alexandrinus ait: *Debemus nos, qui membra sumus, Capiti nostro Pontifici Romano adhærere; ad nos pertinet inde, quid credendum, quid opinandum, quid tenendum sit, quærere.*

XXII. Theodoretus Cyri Episcopus Leoni Papæ scribit: *Ego verò suffragium Sedis Apostolicæ exspecto, & supplex oro sanctitatem vestram, ut ea me ad Tribunal vestrum justum & rectum appellantem defendat. Vestram sententiam exspecto, quòd si sententiæ eorum, qui condemnârunt, acquiescere jusseritis, acquiescam.*

XXIII. Patribus Concilii Chalcedonensis proponit Paschasinus Legatus Summi Pontificis: *Beatissimi atqui Apostolici Viri Papæ Urbis Romæ, quæ est Caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus Apostolatus, ut Dioscorus non sedeat in Concilio. Hæc nos observare necesse est.* Paritum est statim, Dioscorus stans causam dicere jussus est. Paschâsinus ante Anatolium Patriarcham Cpolitanum sedit, & Dioscori damnationi subscripsit. Dioscorum Patres accusant, quòd contra ipsum, cui *Vineæ custodia à Salvatore commissa est, sanctissimum Papam Leonem extenderit suam insaniam. Rogamus*, inquiunt, *tuis Decretis nostrorum honora judicium, & sicut nos Capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & Summitas tua filiis, quod decet, adimpleat.* Canonem 28. quo Anatolius Patriarcha æqualibus cum Pontifice Romano privilegiis donabatur, Leo Papa rejecit.

XXIV. Joannes Episcopus Cpolitanus ad Hormisdam Papam scribit: *Quia non potest Domini præteriri sententia: Tu es Petrus.... In Sede Apostolicâ semper est conservata immaculata Religio; unde spero, ut in unâ communione vobiscum, quam Sedes Apostolica prædicat, esse merear, in quâ est integra, & vera christianæ Religionis soliditas.*

XXV. Justinianus eundem Hormisdam rogat, quid de propositione: *Unus in*

Trinitate crucifixus est, debeat prædicari: *Hoc enim*, inquit, *credimus esse catholicum*, *quod vestro responso nobis fuerit intimatum*. Plura vide in Thesauro Catholico Jodoci Coccii Coloniæ edito.

XXVI. Ecclesiæ Africanæ sententiam de fallibilitate Pontificis demonstrat Febronius ex hoc, quòd tribus Conciliis Carthaginensibus acriter propugnaverint Episcopi Africani sententiam Pontifici Stephano contrariam.

XXVII. Quàm verò ἄλογον, seu à sanâ ratione alienum sit hoc ratiocinium, supra adducta Vincentii Lerinensis verba demonstrant: *Ipsius Africani Concilii*, inquit, *quæ vires? Donante Deo nullæ*, *sed universa tanquam somnia*, *tanquam fabulæ*, *tanquam superflua abolita*, *antiquata*, *calcata sunt*. Sicut hæc Africana Concilia rebaptizantibus Donatistis patrocinium afferre non poterant, ita nec possunt Febronio. Eleganter eos Vincentius Lerinensis arguit: *Sopitos jam cineres Sanctorum profanâ manu ventilant*, *&* *quæ silentio sepeliri oportebat*, *redivivâ opinione diffamant*.

XXVIII. Si vult Febronius ex antiquis sæculis de Africanâ Fide & obedientiâ summo Pontifici præstitâ certum formare judicium ad stabiliendam certam traditionem, quâ unâ se fidere gloriatur, sincera & legitima Concilia Africana, & S. Augustini, aliorúmque Africanorum documenta inspiciat. Inter hos Tertullianum consulat, ipsúmque etiam Cyprianum, ejúsque Discipulos, qui, postquam ille, de quo diu disceptatum fuerat, anabaptismus Summi Pontificis sententiâ, ùt vocant, peremptoriâ fuit damnatus, (*O rerum mira conversio*, inquit B. Vincentius) *autores ejusdem opinionis Catholici*, *consectatores verò hæretici judicantur*, *absolvuntur Magistri*, *condemnantur Discipuli*. *Nam quis illud sanctorum omnium & Episcoporum & Martyrum lumen Beatissimum Cyprianum cum cæteris Collegis in æternum dubitet regnaturum esse cum Christo? Quis contra tam sacrilegus*, *qui Donatistas & cæteras pestes*, *qui illius autoritate Concilii rebaptizare se jactitant in æternum neget arsuros cum Diabolo?*

XXIX. Transit ad Ecclesiam Gallicanam. Hanc dicit Decretis Conciliorum Constantiensis & Basileensis semper adhæsisse. Sane hoc, iterum quæro, demonstrare est certam illam traditionem puriorum, ùt vocat, Ecclesiæ temporum?

XXX. Certè Gallus erat Magnus Irenæus Episcopus Lugdunensis, qui dixit: *Necesse est omnem convenire Ecclesiam ad Romanam ob potiorem ejus principalitatem*. Cur autem eundum erit Romam, si Romæ non potest responsum certum dari dubitanti, neque quid verum falsúmve sit, certâ sententiâ definiri? Idem S. Irenæus ait: *Obedire nos oportet Presbyteris Ecclesiæ*, *qui successionem habent ab Apostolis*, *qui cum Episcopatûs successione charisma veritatis certum secundùm placitum Patris acceperunt*. Quisnam autem, si Clemens XIII non accepit, jam in toto mundo reperiatur habens cum Episcopatûs ab Apostolis successione *charisma veritatis certum*? Si autem

S. Iren. Lib. 4. C. 43.

tem habet hoc clarissima; cur non auditur, aut cur creditur, cum fallere & falli posse?

XXXI. De Constantiensis Concilii declaratione sub Martino V. jam dictum. Concilium Basileense, postquam Eugenius illud jussit dissolvi, S. Antoninus vocat *Conciliabulum viribus cassum*, *Synagogam Satanæ*, *temerarium*, *præsumptuosum conventum*. S. Joannes Capistranus illud vocat *Synodum profanam*, *excommunicatam*. Omitto alia. Satis esto, Synodum Florentinam illius Declarationes tanquam *impias*, *scandalosas*, *in manifestam Ecclesiæ scissuram*, *ac omnis Ecclesiastici Ordinis confusionem tendentes damnare*. Ecclesia tota Eugenio honorem & reverentiam exhibendo agnovit Basileenses errasse, eorúmque errorem justè damnavit, qui damnaverant Eugenium.

XXXII. Patres Concilii Trecensis in Galliâ Rom. Pontifici declarant: *Judicium vestræ authoritatis, quod privilegio D. Petri & Sedis Apostolicæ protulistis, voto, voce, & unanimitate nostrâ prosequimur. Quos excommunicâstis, excommunicamus, quos ab Ecclesiâ abjecistis, abjicimus.* Patres Concilii Turonensis II. *Quis Sacerdotum contra Decreta talia, quæ à Sede Apostolicâ processerunt, agere præsumat?* Sex Galliæ Episcopi in epistolâ, quæ inter epistolas S. Bernardi reperitur, declarant: *Nulli dubium est, quòd ea, quæ Apostolica firmantur authoritate, rata semper existunt, nec alicujus possunt deinceps mutilari cavillatione, vel invidiâ depravari. Eapropter ad vestram Apostolicam Sedem Beatissime Pater referre dignum censuimus, quæ nuper in nostrâ contigit præsentiâ tractari; quæ quia rationabiliter agi visa sunt, vestræ serenitatis exspectant comprobari judicio, simul & authoritate perpetuò roborari.* Episcopi Galliæ in Concilio Pontigonensi: *Quæ secundùm sacrum suum Ministerium Apostolicâ authoritate spiritualis Pater noster & universalis Papa declaraverit, cum summâ reverentiâ ab omnibus suscipiantur, & debitâ illi obedientiâ in omnibus observentur.*

Conc. Turon. Cap. 20.

Conc. Cap. 1.

XXXIII. Agnovit Gallia summam pravos errores damnandi authoritatem ad Pontifices pertinere. Abaëlardum Innocentius II. damnavit, ejus defensores à fidelium consortio sequestravit. Hoc Episcopi Galliæ laudârunt, dum ita scripserunt Innocentio: *Tuum est, ne in diebus tuis aliquâ hæreticæ pravitatis maculâ decor Ecclesiæ maculetur, providere.* Et S. Bernardus ad eundem: *Oportet ad vestrum Apostolatum referri scandala, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum quippe arbitror ibi potissimùm resarciri damna fidei, ubi non possit fides detrimentum sentire, hæc quippe hujus prærogativa Sedis, cui enim alteri aliquando dictum est: Pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua?*

XXXIV. Gilberti Porretani hæresim in Galliâ natam Eugenius III. damnavit, dum, ùt ait Otto Frisingensis, *ad summi Pontificis, Romanæque Sedis examen appellatione mediante vocatus est.*

XXXV. Innocentio X. Episcopi Galliæ 85. scribunt an. 1653. *Majores*

causas ad Sedem Apostolicam referri solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure suo postulat. Experta est nuper Beatitudo tua, quantùm Apostolicæ Sedis in profligando gemino errore authoritas valuerit; continuò sedata est tempestas, atque ad Christi vocem & imperium mare & venti obedierunt. Quamobrem flagitamus Beatissime Pater, ut clarâ firmâque prolatâ istarum propositionum sententiâ (id est, quisnam eorum sit sensus) *caliginem omnem discutias, animos fluctuantes componas, dissidia prohibeas, Ecclesiæ tranquillitatem reddas.* Laudant Innocentium X. quod sicut Innocentius I. Pelagianam damnavit ad relationem Episcoporum Africæ, sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem hæresim Pelagianæ ex adverso oppositam authoritate suâ proscripserit Innocentius X. Dicunt: *Illius vetustæ ætatis Ecclesia solâ cathedræ Petri communione & authoritate suffulta Pelagianæ hæresis damnationi absque cunctatione subscripsit, perspectum enim habebat non solùm ex D. N. J. pollicitatione Petro factâ, sed etiam ex Actis priorum Pontificum & anathematismis adversùs Apollinarem & Macedonium nondum ab ullâ Synodo æcumenicâ damnatos à Damaso paulò antè jactis judicia pro sanciendâ regulâ fidei à summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione (sive suam in Actis sententiam ponant, sive omittant) divinâ æquè ac summâ per universam Ecclesiam authoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur.*

XXXVI. Sancti Doctores, qui Ecclesiam Gallicanam sanctitate ac scientiâ ornârunt, & nunc patrocinio tutantur; idem docuerunt. S. Avitus Episcopus ad Hormisdam Papam: *Securus non dicam de Viennensi, sed totius Galliæ devotione profiteor, omnes super statu Fidei vestram captare sententiam.* S. Anselmus Urbano II. *Quoniam divina providentia vestram elegit sanctitatem, cui vitam ac fidem christianam custodiendam, & Ecclesiam regendam committeret, ad nullum alium rectiùs refertur, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesiâ, ut ejus authoritate corrigatur.*

XXXVII. S. Ivo Episcopus ad Archiepiscopum Senonensem: *Sedis Apostolicæ judiciis & constitutionibus obviare planè est hæreticæ pravitatis notam incurrere.*

XXXVIII. S. Bernardus ad Innocentium II. *Dignum arbitror ibi resarciri damna, ubi non possit fides sentire defectum; cui enim alteri aliquando dictum est: Ego pro te rogavi &c.?* S. Thomas in summâ theologicâ sub finem vitæ compositâ dicit: *Respondeo dicendum, ad illius authoritatem pertinere editionem Symboli, ad cujus authoritatem pertinet determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussâ fide teneantur. Hoc autem pertinet ad authoritatem summi Pontificis.* S. Bonaventura idem asserit hac additâ ratione: *Aliàs Synagoga felicior fuisset, quàm Ecclesia, quia illa habebat unum summum*
Deut. 17. *Pontificem, qui omnes discordias poterat determinare.*

XXXIX.

XXXIX. His consideratis Illustrissimus Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis ita de infallibilitate Pontificis pronuntiat: *Hæc est illa sententia, quam* (notet Febronius) *unicè Hispania, Italia, aliæque omnes Christianitatis provinciæ docent, ita ut illa, quam sententiam Parisiensium Doctorum vocant, ad classem earum opinionum revocanda sit, quæ solùm tolerantur.* Hanc authoritatem dicit omnium Universitatum consensu niti, imò in ipsâ Sorbonâ suo tempore defensam testatur hanc thesim: *Romanus Pontifex controversiarum Ecclesiasticarum est constitutus Judex à Christo, qui ejus definitionibus indeficientem fidem promisit.* Tam concors veterum, qui in Galliâ floruerunt, Doctorum de Pontificiâ infallibilitate consensus movit Edmundum Richerium Doctorem Theologum, ut post multa contra authoritatem Pontificis Romani à se edita, tandem uno ante obitum anno pœnitens *Apostolicam Sedem matrem & magistram omnium Ecclesiarum & infallibilem veritatis judicem* agnoverit, teste celebri Duvallio Doctore Sorbonico, Pontificiæ authoritatis & infallibilitatis luculento assertore & vindice.

XL. Ex his Feboni tu ipse intelliges, quantùm à vero deflectant hæc duo pronuntiata: Omnis antiquitas Ecclesiastica repugnat infallibilitati Pontificiæ. Gallicana Ecclesia semper adhæsit Conciliis Constantiensi & Basileensi, quantùm ad eam infallibilitatem. Satis advertes ex Sæculi XV. duobus Conciliis, & eâ quidem illorum parte, quam S. Sedes Apostolica reprobavit, ac coævo Gersonio non demonstrari, *quid tota retro antiquitas senserit*; ingenuè tamen, quanquam promissi non memor egisti, dum à Gersone fecisti probationis initium. Constat, quod ea quæstio, ùt verè dicit Theophilus Raynaudus in suo tractatu: artic. 19. *nonnisi à tempore Concilii Constantiensis revocata sit in controversiam, omnésque anteriores unanimiter docuerint, Definitiones Pontificias etiam absque Concilio generali editas facere rem de Fide.* Post illa Concilia, quænam de inerrantiâ Pontificis fuerint Universitatis Parisiensis judicia, Petrus de Marca, Andreas Duvallius & alii testantur.

XLI. Ipsum adeò Maimburgum his adnumerat Cardinalis Sfondratus, dum inter sermones sacros ab eo Parisiis editos unus est, quo his verbis eam infallibilitatem populum docuit: *Obligamur sub pœnâ æternæ damnationis nos submittere decisionibus Cathedræ S. Petri, tunc naufragium Fidei patimur, dum doctrinas amplectimur ab hac Cathedrâ damnatas. Frustra verò, qui hanc submissionem non habet, protestatur se Cathedram Petri pro primâ præcipuâque habere, ac Fidei ab Ecclesia, à Patribus, Conciliisque traditæ adhærere.*

XLII. De Ecclesiis Germanicis Febronius audacter dicit, *abunde liquere, non aliam earum esse sententiam.* Agnoverunt, receperunt Episcopi & Academiæ, quod in Constantiensi, & Basileensi Conciliis agnovit, confirmavit S.

Sedes. Theologi utriusque Germaniæ libris editis inde usque nunc ostenderunt, se summi Pontificis inerrantiam constanti consensu profiteri.

XLIII. Schola nostra Coloniensis Decreto Facultatis 7. Septembris an. 1688. sancivit inerrantiam summi Pontificis in doctrinâ Fidei & morum proponendâ Ecclesiæ universæ se profiteri, & à Magistris, ùt antea, sic imposterum esse propugnandam. Bullam Unigenitus 8. Jan. 1715. acceptavit S. Facultas declarando, quod *Rom. Pontificis determinatio solennis, & ex Cathedra in materia Fidei & morum sit se sola infallibilis, & irrefragabilis esse debeat toti Ecclesiæ.* Academiæ Lovaniensis Theologos idem constanter sensisse, demonstrat eorum Responsum Academicum missum Duacensibus anno 1715. Scripserat eo anno Facultati Theologicæ Lovaniensi Facultas Theologica Duacensis: Magno cum dolore ex certis documentis intelleximus, quosdam Sycophantas Parisiis ac totâ Galliâ sparsisse, vos Constitutioni *Unigenitus* infensos esse, vos illam ùt hæreticam rejecisse... Nos sanè potissimùm commoveri debuimus, qui Facultatem vestram ùt charissimam matrem nostram veneramur... Qui *vestram, Majorúmque vestrorum in tuenda summorum Pontificum infallibilitate concordiam* sæpè laudavimus... Existimavimus nostri officii esse, ut de impactâ calumnia vos quamprimùm certiores faceremus, unáque instantissimè rogaremus, ut famæ vestræ & bono publico consulentes hanc atrocem injuriam depellere non gravaremini. Quod abunde præstiteritis, si palàm significare volueritis, vos purè, simpliciter, sinè ullâ exceptione & explicatione præfatam Constitutionem recipere. Hac professione calumniatores confundentur... integra stabit Collegii vestri fama & gloria. Sinite viri zelosissimi, ut tanquam amici de rebus vestris soliciti hanc sensuum vestrorum declarationem à vobis exposcamus, quam ab humanitate & sapientiâ vestrâ avidè exspectantes &c.

Decanus, Regentes, & Professores Regii, ac Ordinarii.
A. Delcourt p. t. Decanus. Sig. 22. Junii 1715.

Respondit S. Facultas Lovaniensis.

Non poterat effingi, quod magìs alienum foret non à veritate duntaxat, sed ab omni apparentiâ veritatis, quandoquidem per nos talia sint publicè data documenta, quæ sole clariùs demonstrant, omnes & singulos Facultatem nostram constituentes Bullam *Unigenitus* cum debitâ, id est, verâ & integrâ tam interiori, quàm exteriori obedientiâ suscepisse, ac suscipere. Nam ut omittamus omnibus literatis notum esse debere, quòd Facultas nostra *exemplo Majorum semper steterit, & hodiedùm stet pro Rom. Pontificis universalem Ecclesiam in materia fidei & morum docentis infallibilitate*, quódque proinde Constitutiones omnes Apostolicas tam eas, quæ contra Bajanos & Jansenianos errores ac hæreses editæ sunt, quàm alias quaslibet corde & ore rece-

receperit, ac recipiat, illam ipsam Constitutionem *Unigenitus* etiam ante publicationem Lovanii factam omnes amplexi sumus purè, simpliciter, sinè hæsitatione, sinè exceptione, palàm agnoscentes *B. Petrum per Clementem XI. in eadem fuisse locutum....* Præterea notum est, quòd nequaquam ferat Facultas nostra, ullum in scholâ nostrâ defendere, præsidere, aut docere, qui aliter saperet. Ex his evidentissimè perspicere possunt EE.DD. V. quòd nequiter & falsò sparsi sint prædicti injuriosi rumores. Quamvis non foret opus denovo convenire, ut determinaretur, quid literis vestris esset respondendum, tamen ut constaret pro rei gravitate maturè esse processum, conclusum fuit Facultatem sub juramento esse convocandam... Conclusum fuit, respondendum esse, quòd sincerè sentiamus, omnia & singula ritè, legitimè ac juris ordine peracta esse in negotio concernente librum (le noveau Testament &c.) palàmque profiteamur, omnes & singulas propositiones (per præfatam Bullam damnatas) fuisse verè damnabiles, & verè rectéque damnatas, etiam sub earum respectivè censuris. Ecce genuina & aperta sensa nostra, quæ non vobis solùm, verùm etiam Urbi & orbi cupimus esse nota, ut obstruantur ora loquentium iniqua &c.

Doctores legentes, ac Regentes Facultatem Theol. Lovan.
& eorum nomine Hermannus Damen p. t. Decanus.
Sig. 8. Jul. 1715.

XLIV. Proferat Febronius nomina Episcoporum Germaniæ, qui vel per *Synodos*, vel per *Literas pastorales* docuerunt id, quod Febronius omnes Ecclesias Germaniæ dicit communi consensu docere & credere. Proferat catalogum Doctorum utriusque Germaniæ primæ & secundæ, qui libris editis docuerunt id, quod dicit docuisse & docere omnes. Nominet aliquam Germaniæ primæ, aut secundæ Scholam, quæ oppositam sententiam professa sit, aut profiteatur.

XLV. Cardinalem Orsum narrat Febronius scripsisse: *Romæ, & alibi plures audivi non malos, nec indoctos, qui Bossueti opere diligenter, ùt eis videbatur, pervoluto censuerunt causam hanc à Romanis quasi conclamatam deserendam, nihil perspicuæ veritati posse objici; aciem argumentorum non retundendam subtilitatibus scholasticis; omnibus Ecclesiæ sæculis decursis, omnium Conciliorum Actis evolutis, omnium controversiarum historiâ lucidè contextâ demonstratum ab eo esse, quòd omnia uni omnino formæ respondeant, quam Gallicani Episcopi per declarationem editam informârant.* Quid verò inde Febronius? Ergo Romanum infallibilitatis systema pluribus viris bonis & doctis visum est non esse probabile, fatente Orso. Certè non ideo illos aut malos, aut imperitos dicere Orsus debebat, quòd Episcopo Meldensi adstipularentur, sicut neque illos debebat ideo bonos & peritos dicere. Orsus

 Mel-

Melch. Can. L. 6. Cap. 6. Melchiorem Canum imitatus est, qui ait: *Viros quosdam doctos & pios malle Hæreticorum quàm Catholicorum opinionibus favere, dum astruunt summum Ecclesiæ Pastorem in Fidei judicio errare posse.* Quanquam sciret non ideo *doctos & pios* esse, *quòd communi Catholicorum contradicerent*, non tamen propterea Viros *indoctos & impios* dixit.

XLVI. Arduum est & difficile investigatu, quid moverit Febronium hominem Germanum, ut assereret, *omnes regni Franciæ Ordines, Curias, Academias in id conspirâsse.* ut Gallicana Ecclesia *solenniter profiteretur* an. 1682. *se non agnoscere pro infallibili Romanum Pontificem in Decretis Fidei, nisi accedente Ecclesiæ consensu.* Præterea post *æternum opus*, ùt loquitur Febronius, *Episcopi Meldensis* probabilitatem convulsam restituere conatum fuisse Orsum, & forsan apud aliquos existimationem probabilitatis reparâsse. Supponamus Febronium de illâ *conspiratione* verum scribere, quid hoc ad Germanos? Gallia defensore germano non eget; neque hoc exspectabit, ut exteræ nationes ei declarationi obediant. Judicent omnes regni Gallicani Ordines, Curiæ, Academiæ, quod illis verius videtur, sed exteris legem dictare non voluerunt, nec volunt.

XLVII. Manebit verum, inquit Febronius, quod Orsus declaravit: *Non probabiliter, sed certò constare debet, Petri Successores ad Fidei controversias dirimendas præditos esse authoritate divinâ.* Ita est Feboni. Decreta Pontificis ex Cathedrâ loquentis velut certas & irretractabiles Fidei regulas excipimus. Hoc tu negas probabile, quia post opus æternum Bossueti tibi est falsum, nos negamus probabile, quia nobis est certum.

XLVIII. Queritur Febronius, suæ partis argumenta legi à patronis adversæ sententiæ *tantâ occupatione animorum, ut interdum non legisse, sed cursim transiliisse videantur.* Qui verò illi, quos ferit hæc criminatio? Crisin falsi convincunt Apologiæ Cajetani contra Almainum, Bellarmini contra Barclaium, Charlasii contra Dupinum, Sfondrati contra Maimburgum; neque ego, quanquam vindicibus tantis maximè impar, committam, ut *cursim* videar Febroniana argumenta *transiliisse*, aut *propositiones truncâsse*, aut eas *venditâsse contra authoris mentem, totâ libri serie & materiæ cohærentiâ explicatam.*

XLIX. Bellarminum cavillatur, quòd dixerit hanc sententiam esse *ferè de fide.* Interrogat Febronius, *quid hoc monstri, quod ferè de fide est, totum de fide non est*? Vel illud *ferè* ad revelationem divinam, vel ad Ecclesiæ declarationem pertinet? Quod Deus *ferè*, non *plenè* revelavit, Ecclesia *ferè*, non *plenè* definivit, nullo modo de fide est, quia fides *ex toto, non ex parte* est. Meminisse oportebat eorum, quæ in discursu Sayweli paulò antè laudaverat, quòd sint audiendi Pastores, multò magis Collegium Pastorum, etsi (pergit Saywelus) non apertis verbis, tamen certis rationibus hanc Pastorum in tradendâ veritate firmitatem colligere licet. Non solùm enim Deus dixit, quòd portæ inferorum contra Ecclesiam in genere non sint prævalituræ, sed

in

in finem hunc dedit Pastores, ut non circumferamur omni vento doctrinæ; cùm tam præclara de Civitate Dei dicantur, Deo cura erit procul dubio, ne homines authoritate Collegii Pastorum in hæreses abducantur. Ita Saywel.

L. Ignorare non debebat, post Concilium Constantiense, quod in condemnatione errorum diversos gradus posuit, hunc morem à Ss. Pontificibus deinceps observatum esse, quòd aliæ propositiones dicantur *hæreticæ*, aliæ sint *hæresi proximæ*, aliæ *erroneæ* &c. Hæresi proximam & erroneam per hoc ab hæreticâ distinguunt, quòd hæretica directè opponatur veritati conceptis verbis revelatæ, hæresi autem proxima contra eam sit veritatem, quæ certâ consequentiâ theologicâ deducitur ex revelatâ; talis autem non *de fide*, sed *ferè de fide* est, neque illico dici poterit hæreticus, qui talem ex revelatâ certò deductam negat ex eâ per certam consequentiam deduci.

LI. Illationes autem certas deducunt Theologi ex his rationibus; quòd negatâ infallibilitate Pontificis reperiri nequeat *authoritas publica certa*, *erroris omnis nescia*, ad finiendas fidei controversias, damnandos errores tunc, dum Concilii generalis convocatio sperari non potest, & dum Ecclesiæ particulares, quas constat defectibiles esse, propter exortas novas doctrinas periclitantur in fide. *Exterior Christi assistentia* proponitur à Febronio, sed respondeat, cui Christus assistat exteriori aspectabili & publicâ suâ præsentiâ, E. g. ad finiendam controversiam Episcoporum Ecclesiæ Gallicanæ de libro Jansenii, Quesnelli, Molinosi, aut laxiorum quorumdam Theologorum perniciosâ doctrinâ de moribus? Quomodo illud impletur: *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*? Quorsum ibunt fideles compertâ ipsorummet Episcoporum inter se super talibus libris aut damnandis, aut non damnandis contradictione, si nosse desiderant, quæ sit doctrina certa & verè catholica? Definitioni Papali vident Episcopos alios consentire, alios autem dissentire, quomodo consensu totius Ecclesiæ ad alterutram partem securâ determinatione flectentur? Concilio generali certa fides non habetur, nisi constet esse legitimum, & à Pontifice confirmatum; quid verò certitudinis tribuet Pontifex confirmando, si falli potest? Præter ea, quæ ad labefactandam Concilii Tridentini authoritatem Hæretici in eo damnati opposuêre;

LII. Febronius objicit Patres innocenter fuisse delusos in puncto maximi momenti; Patribus per Legatos fuisse ademptam libertatem attendendi ad antiquam & certam traditionem, & primorum sæculorum observantiam. Quòd verò, ut inter Concilium & Conciliabulum, inter Ephesinum I. & II. certa differentia statuatur, Febronius dicat *suscitandos à Christo è fidelioribus Ministris reclamatores, qui divinitus impressâ verbis & actibus efficaciâ iniquitatem sensim sint detecturi, & seductione dissipatâ facturi, ut veritas triumphet*, singulare nullâ idoneâ authoritate ullatenus firmandum commentum est. Potenti & efficacissima correctione apocalypticâ emendati sunt quidam errores primorum Episcoporum Asiæ de fide & moribus, sed ad corrigendos

Episcopos Germaniæ, qui in fide naufragaverunt, Clerus & populus à Rom. Pontifice remedium petivit & obtinuit, non autem suscitationem miraculosam exspectavit, qualem Febronius exspectandam docuit. Ex his Theologi, qui ad traditionem & doctrinam Ss. Patrum attendunt, non probabili, sed certâ illatione concludunt Rom. Pontificis de fide & moribus definitiones dicendas esse irreformabiles, ut sicut Petro donata est fides nunquam defectura, & facultas confirmandi fratres, ita secuturis temporibus ob Ecclesiæ utilitatem, imò necessitatem eadem maneat in Petri Successoribus potestas, ne portæ inferi adversùs Ecclesiam prævaleant.

LIII. Hoc Melchior Canus in Lib. 5. sui Operis doctissimè demonstrat, & propositâ quæstione, an sit hæreticum asserere, quod Apostolica Sedes à fide possit deficere; cùm, quid sentiret, doctissimè explicâsset, tandem ita loquitur: *Nolo ego Ecclesiæ judicium anteverteve, quanquam non videor antevertere, cùm jam ipsius Ecclesiæ sermo omnem nostram sententiam comprobârit, sed hoc vix ægrè dico propter Viros quosdam doctos & pios, qui nos contradixerunt. Illud assero, & confidenter quidem assero, pestem eos Ecclesiæ, ac perniciem afferre, qui aut negant Rom. Pontificem Petro in Fidei, doctrinæque authoritate succedere, aut certè astruunt summum Ecclesiæ Pastorem, quicunque tandem ille sit, errare in fidei judicio posse. Quamobrem non intelligo, quonam consilio quidam fideles malint Hæreticorum, quàm Catholicorum opinionibus favere; nam Hæretici, video, quid sequantur.... Nos autem communem Catholicorum sententiam sequamur. Tutâ enim sequimur, quoniam communis Catholicorum est, ea sentiunt, quæ Sr. literarum testimonia confirmant, Pontificum Decreta finiunt, veterum Sanctorum chorus concinit, Conciliorum Patres affirmant, Apostolorum traditio probat, perpetuus Ecclesiæ usus observat.* Hæc Hispanus Theologus & Episcopus, qui sacro Concilio Tridentino interfuit.

LIV. Post cavillationem de voculâ *ferè de fide* Febronius profert ex Ludovico Vives (quem nescio quare Theologum Sæculi XVI. & quidem celeberrimum vocet) hæc verba: *Quæcunque ab Scholæ placitis dissident, Scholastico Theologo sunt hæretica; quod crimen ita vulgatum est, ut rebus quoque levissimis impingatur.* Dixerit hoc Vives, satis hoc dicto monstravit se Theologum non esse.

Melch. Can. Loc. cit. LV. Hæc laudati Melchioris Cani est thesis prima: *Theologorum Scholasticorum etiam multorum testimonium, si alii contrarii sunt, non plùs valet, quàm vel ratio, vel gravior authoritas comprobârit*; hanc dixit evidentem, & ab omnibus admitti, ideo probatione non indigere. *Nobis*, inquit, *Schola nostra licentiam dat, ut, quod maximè probabile occurrit, liceat nostro jure defendere, sed non licet eos, qui nobis adversi sunt, temerè condemnare.* Secunda quidem thesis est hæc: *Omnium Scholasticorum communi sententiæ refragari temerarium est.* Probat authoritate Concilii Viennensis, quod opinio-

nem Theologorum docentium in baptismo parvulis & adultis gratiam & virtutes conferri, docet tanquam probabiliorem, & modernorum Theologiæ Doctorum concordem à Catholicis eligendam esse. Tertia ejusdem thesis est: *Concordi omnium Theologorum de fide aut moribus sententiæ contradicere est hæresi proximum.* Iis, inquit, hæreseos crimen, ut quod per se ipsum atrocissimum est, impingere non audemus, in quo equidem sæpè Theologorum requiro prudentiam. Magis autem tum Lud. Vives, tum Febronii prudentia requirenda, qui, quod paucorum est, universim tribuere volunt Scholasticis. Quòd autem dicat esse *hæresi proximum*, ità ostendit: *Nullum tam proprium Scholæ decretum est, quòd vel ex sacris Literis, vel ex Apostolicâ traditione, vel ex Conciliorum & Pontificum definitionibus non habeat certam originem. Nemo Catholicus omnes sinè discrimine Theologos explosit. Quod eâdem mente & uno ore Scholastici omnes certò ac firmiter asserunt, idem in universum tenet Ecclesia; si aliquod contrarium invenire Hæretici possunt, proferant*, inquit, *& tacebimus.* Qui confessiones audiunt, qui conciones habent ad populum, ita instituunt, sicut à Theologis acceperunt, populus imperitus eos sequitur, quos suo tempore Ecclesiasticæ doctrinæ Magistros accepit. Patres in Conciliis generalibus audiunt, quid sentiant Theologi sui temporis, non autem tantùm ad antiquorum Doctorum libros attendunt. Appositè author Operis imperfecti in Math. Homil. 45. in verba Christi: *Si fuissemus in diebus Patrum nostrorum &c.* ita inquit; *Semper Judæi præteritorum Sanctorum cultores fuerunt, & præsentium contemptores, inimici viventium, amici mortuorum. Si audias aliquem de antiquis Episcopis loqui, statim collaudas eum & beatificas, & dices: Talis debet esse in populo Doctor. Si quis de tuis Doctoribus voluerit te increpare, irasceris; sic & Judæi suos quidem Prophetas sustinebant, antiquos quasi Sanctos colebant. Cùm audieris aliquem magnificantem antiquos Doctores, proba illum, qualis est circa suos Doctores; si illos honorat, cum quibus vivit, sine dubio & illos honoraturus fuerat, si cum illis vixisset. Si eos contemnit, & illos contempturus fuerat, si cum illis vixisset.*

LVI. Alterum thema seu principium generale: *Assertio Pontificiæ inerrantiæ parum practicæ utilitatis habet in Ecclesiâ*, probat authoritate Colleti moderni Doctoris Parisiensis, cujus hæc verba producit: *Infallibilitas Pontificia, quam tantopere jactitant Ultramontani, nullius in fidei controversiis momenti est.* Ipse dixit. Novum esse Theologum Ecclesiæ Gallicanæ principiis imbutum, verè ait Febronius. Quid per to *tantopere jactitant*, intelligat, an solos Ultramontanos putet id sentire, an credat nullius momenti esse infallibilitatem, curæ non est inquirere. Ad ea, quæ ex Melchiore Cano jam dicta sunt, potiùs attendendum credimus.

DISSER-

DISSERTATIO II.

DE

PRIMATU IN ECCLESIA ET GENUINIS EJUS JURIBUS.

§. I.

Febronianam ideam Primatûs Pontificii cassam, & Scripturæ ac Traditioni contrariam esse ostenditur.

1. *Quomodo has voces*: Primatus & Primas, *explicet Febronius.*
2. *Episcopo Romano eum titulum attribuit ob loci dignitatem.*
3. *Solam charitatem ponit fundamentum Primatûs.*
4. *Erroneum suppositum Febronii de clavibus Petro promissis refellitur.*
5. *Merum Primatum ordinis Febronius malè probat ex Ss. Patribus.*
6. *Non rectè citat verba S. Chrysostomi.*
7. *Dictum Febronii*: Petrus non est magis Apostolus & Episcopus quàm alii, *refellitur.*
8. *Quid hac de re senserint Ss. Basilius, Cyrillus & alii Patres citati à Febronio ex Dupino.*
9. *Ipsa testimonia, quæ citat Febronius, sunt contra ipsum.*

I. Qui S. Petrum cogitat tanquam unum de Collegio Apostolorum, ejúsque Successorem tanquam unum de Collegio Episcoporum ordine primum, sed sinè authoritate supremâ, talem debet Primatum erroneo illi fundamento superstruere, ut nihil re, multum autem umbratili figurâ per has voces: *PRIMATUS* & *PRIMAS* Rom. Pontifici tribuatur. Liberaliter hoc præstat Febronius: Debet, inquit, aliquis esse primus, debet is non quidem arcere profanas novitates, sed invigilare, ut arceantur, non disciplinam Ecclesiæ curare, integram servare, sed providere debet, ut hæc integra servetur.

II. Primatus ille à Febronio conceptus credendus est alicui Episcopo, qui ob præcellentiam & dignitatem loci plus habeat authoritatis ad defendendam veritatem & promovendam virtutem. Nempe illius, ut novum systema tueretur, intererat, quantùm posset, abolere privilegium personale fratres in fide confirmandi, pascendi oves Christi, seu regendi totum ejus ovile, & Primatum ad loci præcellentiam constringere, etsi non Salerni tantùm & Avenione, sed & Romæ eum veritatis æquè incertum, ùt alii singuli; &

Curialium assentationibus, vitiosis artibus, ac dolis malis ad promovendam virtutem minùs idoneum credat, quàm fuit ante Papatum; propterea censeat saniùs, sanctiúsque cogitâsse Rezzonicum inter Venetos, quàm conditione, locóque mutatis Clementem XIII inter Romanos.

III. Ideâ illâ noviter adinventâ vult cogitari Primatum illum re cassum, solâ magni nominis umbrâ magnum, conformem Spiritui Domini Jesu, sanctum, Apostolicum, expertem contagio humani dominatûs, fundatum in charitate. De *Fide & obedientiâ revelationi Patris æterni præstitâ* nihil loquitur, solam *charitatem*, expressit velut basin Primatûs illius idealis; unicúmque fundamentum; ut novum agat Ecclesiæ reformatorem, nova loqui oportebat. An si quid pulveris, quo religiosa etiam corda per humanam infirmitatem juxta Magni Leonis sententiam sordescunt, de dominatione terrenâ Romano Pontifici adhæreret, Primatus ille sanctus, Spiritui Domini conformis, in charitate fundatus adhucdum ad defendendam veritatem & promovendam virtutem in Pontifice per Curiales corrupto haberet energiam suam & efficacem influxum? non exprimit, sed conceptione suæ mentis non plenè patefactâ conceptionibus legentium relinquit liberam ultrà progrediendi facultatem, tantùm hoc enixè desiderans, ne faveant quaquâ indulgentiâ seu Monarchiæ Papali, seu ejus in docendo & corrigendo & puniendo infallibilitati, & præter hoc vehementer id cupiens, ut inventis suis aliquid addant, quod ad imminutionem Pontificiæ, qualis nunc à deceptis, ùt quidem credi vult, Germanis cogitatur, potestatis authoritatisque possit quoquo modo expedire.

IV. Hæc præfatus ad promissam probationem illius ad eos terminos constricti Primatûs Pontificii progreditur. Supponit se ostendisse, quòd in personâ Petri cæteris æqualiter datæ sint claves Ecclesiæ, & nihilminus potestatis datum sit illis, quantùm ad ovium pasturam, & omnes sint (utique æquali gradu) positi tanquam Ecclesiæ fundamenta; præcipuum tamen aliquid Petro datum per textus ita, ùt jam dictum, explicatos tum Math. XVI. tum Joan. XXI. Quasi verò, si alicujus urbis expugnatæ claves victrici Reipublicæ Venetæ, aut Batavicæ in personâ acceptantis Civis Veneti aut Batavi traderentur, præcipuum aliquid ei, qui meram Senatui aut Ordinibus eam traditionem significandi obligationem suscipit, præ aliis, quorum singulis parem in Reipublicæ gubernatione Civem claves acceptantem suppono, traditione illâ seu acceptatione tribueretur, aut, ut comparatio forsan magìs accommoda formetur, si Rex Ordini Nobilium sui regni in personâ unius eorundem traderet signum alicujus præcellentiæ à singulis imposterum eâ formâ portandum, hæc acceptatio aliquid acceptanti tribueret præcipuum. Nugari sic placuit Febronio, & inani fiduciâ præsumpsit, Lectores casso ratiocinio fidem habituros.

V. Tum incipit verbis Patrum loqui, quod S. Augustino tribuere debe-

 bat,

bat, adscribit Tertulliano. Sed hic memoriæ lapsus est; verba autem & mens S. Augustini, tum & S. Leonis & S. Basilii, & S. Eucherii, & Bedæ obiter ex Dupino de scripta jam supra explicata sunt. Origenis dictum, quòd forsan, quia cæteris honorabilior Petrus, ideo Petrus primum locum obtinuerit, & Eusebii, quòd præpositus sit omnibus, & maximus inter Apostolos, nihil plus Febronio significat, quàm quòd sit *primus in ordine*. Causas ex Ss. Patribus recitat tres: Ætatem, vocationem ad Apostolatum, & charitatem. Primam tribuit Ss. Hieronymo, & Chrysostomo, non quòd illi ita senserint, sed quia sic placuit Febronio. Alteram Ss. Epiphanio, Cypriano & Hilario; quod etiam alienum à vero, ut jam aliàs ostensum est. Simul omnes electi sunt, quæritur autem, quid in simultaneâ nominatione causam dederit nominandi Simonem ante reliquos? Lepidum esset dicere: Primus est nominatus, quia primus. Tertia, quantùm ad textum Ioan XXI. est disertè expressa; sed exprimi debebat etiam illa, quæ Math. XVI. est à Domino indicata.

S. Chrys. Ad Cap. 1 Act Apost hom. 3. VI. Repetit verba S. Chrysostomi, quibus significatur, S. Petrum *meritò primum omnium in hoc negotio exercuisse authoritatem, quia omnes habebat in manu. Ad hunc enim Christus: Confirma Fratres.* Sed omisit iterum ea: *Quid? Annon poterat solus eligere? Imò poterat; sed nolebat, ne cui videretur gratificari.* Penes Petrum erat jus & arbitrium surrogandi Apostolum sinè suffragiis, sinè sortitione. Quia sic voluit, *multitudini permittit judicium* τῷ πλήθει τὴν κρίσιν ἐπιτρέπει; primus loquitur ὡς ἐμπιστευθεὶς παρὰ τοῦ Χριστοῦ τὴν ποίμνην *tanquam suæ fidei commissum à Christo gregem habens.* Petrus πρῶτος τοῦ πράγματος αὐθεντεῖ hoc negotium tractat cum authoritate & imperio tanquam primus, & *omnes in manu habens* πάντας ἐγχειρισθείς. Ita de Petro Chrysostomus loquitur. Insanus itaque sit, qui cum Febronio sentiat, *solum præsidendi jus* Petro assertum esse à Chrysostomo. Æquè contra sanæ mentis judicium impingit,
Idem Homil. 5. de Pœnit. dum ex ejusdem verbis: *Ecclesiæ præfecturam per universum mundum Christus Petro tradidit*, infert solum jus præsidendi.

VII. Piget iterum refellere, quod iterum proponit Febronius: Petrus non est magìs Apostolus & Episcopus, quàm Joannes & alii: Doctrina horum est æquè pura & certa, ac doctrina Petri, ergo Petrus tantùm habet Primatum quoad seriem & coordinationem numeri, & Collegii directionem. Negant Catholici hanc heterodoxam illationem; quis sustineat hujusmodi ratiocinium: Non magìs Papa Sacerdos est, quàm minimus Sacerdotum, quantùm ad consecrandum? Professio Fidei Catholicæ, quam facit minimus fidelium, est æquè certa, ac professio, quam faciunt Episcopi; ergo omnes sunt pares, & solâ serie & coordinatione discernuntur. Dicebat Paulus: Nihil interest, per quemcunque annuntietur Christus; an inferet Febronius, ergo nihil hæc verba Petri speciale significant: *Elegit in nobis Dominus per os meum audire gentes Evangelium, & credere?* an iterum se

Febro-

Febronius per suum, *quomodocunque singulariùs de Petro dictum est*; expediet?

VIII. Usque adeò illius animus est conceptione suâ occupatus, ut in ipsâ, quam attexit serie testimoniorum quædam proferat, quæ illi ideæ adaptari non possunt. Basilius dicit *Petrum omnibus Discipulis prælatum*, *illi soli majora testimonia data esse, quàm aliis*, *hunc beatum à Christo prædicatum esse, illi claves regni cælorum esse concreditas.* Cyrillus vocat *Apostolorum summum & Principem.* S. Greg. Naz. *Ex Discipulis magnis omnibus & excelsis & electione dignis hic petra vocatur*, *& Ecclesiæ fundamenta* (alios Apostolos) *in fidem accipit.* Ephrem vocat Petrum, *Verticem, Coryphæum Apostolorum, Apostolici cœtûs Principem.* S. Gregorius Nyss. dicit *in ipso Ecclesiam solidari*, *juxta prærogativam ei à Domino concessam*, *Petrum* dicit *firmam & solidissimam Petram*, *super quam Salvator Ecclesiam ædificavit.* S. Epiphanius dicit *Petrum solidæ petræ instar extitisse*, *cui velut fundamento fides Domini innititur.* *Eum vocat Principem Apostolorum, supra eum tanquam solidam petram* dicit *Ecclesiam Dei esse fundatam.* S. Chrysostomus eum dicit *columnam Ecclesiæ*, *firmamentum fidei*, *confessionis fundamentum*, *orbis terrarum piscatorem.* Plura his addentur in Differt. II. Theodoretus dicit, quòd *Christus confessionem Petri Principis Apostolorum velut basim quamdam & fundamentum Ecclesiæ defixerit.* S. Ambrosius dicit *Petrum omnibus anteferri; quia solus profitetur ex omnibus.* S. Hieronymus dicit *eum fuisse Principem, & maximum Apostolorum. Paulo majorem. Super Petrum Ecclesiam Domini stabili mole fundatam.* S. Augustinus dicit *Primatum Apostolorum excellenti gratiâ in Petro præeminere; eum in ordine Apostolorum primum & præcipuum esse.* S. Cyprianus dixit, *super Petrum ædificâsse Dominum Ecclesiam suam.* S. Gregorius dixit, *eum claves regni cælorum accepisse, curam totius Ecclesiæ & principatum ei committi. Apostolicam Sedem cunctis Ecclesiis prælatam*, & quòd *cunctarum Ecclesiarum injuncta solicitudinis cura ipsum tanquam Pontificem constringat.* Alcuinus hortatur, ut *Clerici addiscant liturgicum ordinem Romanum*, *& Caput Ecclesiarum Christi imitantes benedictionem à B. Petro*, *quem Dominus caput electi sibi gregis statuit*, *habere mereantur æternam.* Tandem Paschasius Rathbertus dicit *Petrum jure in meritis primum æstimari*, *per quem & in quo ad alios dona transmittuntur*, dicit *claves specialiùs Petro committi à Domino*, *reliquos autem omnes accipere in eo claves.*

IX. Age Februni, ostende in universo aliquod Collegium parium, in quo penes unum est proedria, seu primitas loci & facultas ad communem consultationem proponendi negotia ad Collegium spectantia, in quo considentia membra sustineant eum cæteris, quos pares agnoscit, esse præpositum, totius Collegii verticem & Principem, ei per excellentem prærogativam & gratiam à populo concessam tanquam fundamento superstructam esse totius

Reipublicæ aut Societatis ædificationem, cum reliquos in fidem suam accepisse, eum esse firmamentum totius status politici, per eum, & in eo ad alios transmitti, quidquid facultatum in Republicâ consequuntur. Dum vis cum Heterodoxis, quantùm ad limites Pontificiæ authoritatis & jurisdictionis, sentire; ut cohærenter loquaris & sentias cum illis, nega Ss. Patrum authoritatem, aut cassam illam umbratilis Primatûs ideam, cum sententiis Patrum à te ipso productis nullâ arte conciliandam, excute. Apostolum esse, Episcopum, Sacerdotem esse, docere doctrinam puram & certam, non est præfecturam Ecclesiæ per universum mundum gerere. Sedere primo loco, quid primò, quid deinde, quid hodie, quid cras tractandum sit, proponere in comitiis aut conventu Collegii, neutiquam tribuit Capitis & Præpositi & Prælati & Principis excellentem præeminentiam. Primus Legatorum Sedis Apostolicæ prior loquitur, proponit ante alios materiam, super quâ Patrum vota exspectantur; sed non ideo reliqui Legati eum tanquam Principem, excellenti gratiâ Pontificis præeminentem, reverentur; minimè per universum mundum Ecclesiæ præfectura eidem tradita censetur.

§. II.

Quomodo bonum unitatis in Ecclesiâ suo systemati adaptet Febronius, expenditur.

1. *Febronius bonum unitatis non rectè ponit pro fundamento Primatûs.*
2. *Christus liberè hanc formam regiminis elegit præ aliâ.*
3. *Quodnam verè sit fundamentum Primatûs.*
4. *Quæ causa Primatum instituendi.*
5. *Omnia commendant in Ecclesiâ unitatem.*
6. *Incommoda, quæ ex illius unitatis defectu sequuntur.*
7. *Locus Optati de Cathedrâ unâ explicatur.*
8. *Quomodo potestas Clavium non soli Petro data.*
9. *Sententia S. Hieronymi de unitate expenditur,*
10. *Et S. Leonis M.*

I. Fundamentum Primatûs in Ecclesiâ constituti perperam Febronius assignat *bonum unitatis* in Ecclesiâ. Id, quod habet rationem finis, in quem voluntas Domini, Primatum illum volentis, ordinavit Primatum, ejusdem dici non potest fundamentum.

II. Repetere cogor, quod jam dixi, divinam Christi voluntatem nullâ ratione fuisse adstrictam, ut hanc potiùs formam regiminis, quàm aliam suo imperio disponeret. Quis enim neget secluso Primatu potuisse duumvira-

tum

rum aut triumviratum constitui, & usque ad consummationem Sæculi salvâ unitate conservari?

§ III. Christus, cui data à Patre omnis potestas in cœlo & terrâ, ùt fundamentum Ecclesiæ est, ita fundamentum Primatûs; si subjectum, cui Primatum contulit, per fundamentum intelligatur, fundamentum Primatûs est illa petra, super quam liberè voluit fundare Ecclesiam suam.

§ IV. Si causa instituendi Primatum inquiritur, quæ cum Primatu in Ecclesiâ semper permansuro permaneat, est fides & aperta fidei professio & prompta illa obedientia Petri, intellectum suum in Christi & fidei obsequium captivantis, & non acceptantis tantùm inspiratam à Patre cœlesti revelationem, sed & eandem coram toto cœtu præsentium Discipulorum palàm confitentis. Fides nunquam defectura & authoritas fratres confirmandi in fide, docendi revelationem, & quæ veritati revelatæ contraria sunt, removendi ab Ecclesiâ, est ipsa causa à Christo declarata, propter quam ex Discipulorum multitudine assumpsit unum, super quem tanquam super solidam petram, cui velut fundamento fides Domini innitatur, excellenti gratiâ Ecclesiam fundavit, solidavitque; atque ita quidem, ut, si aliud evangelizaret Petrus, quàm quod per revelationem accepit, Primatus ille in Petro neutiquam fuisset permansurus; id verò ut nunquam fieret, Christi gratia, ùt promisit, impedivit; cúmque eadem esset in Ecclesiâ vacillantes confirmandi, errantes corrigendi necessitas permansura: Christus à terrâ discessurus ad Patrem Discipulis, & qui postea usque ad finem mundi in Christum essent credituri, solatium hoc dedit: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem Sæculi.* Ergo sicut unitatem credentium in fide, quamdiu Petrus vixit in terris, per eum erat conservaturus, sic deinceps conservare voluit, & ne portæ inferorum Petro defuncto per hæreses contra Ecclesiam prævalerent, & ne omni vento doctrinæ posteri circumferrentur, per Primatûs conservationem oportuit provideri toti Ecclesiæ de opportuno medio doctrinam falsam à verâ discernendi. Hæc debebat assignari causa instituendi Primatum, instituti, umque conservandi. Charitas Petri, supra cæterorum charitatem eminens, declarabatur à Christo causa movens, ut universum illi gregem pascendum traderet; att non ità, ut charitate aliquando refrigescente Primatus desineret, sicut deficiente fidei professione & obedientiâ divinis revelationibus exhibendâ Primatum in personâ, cui concessus fuerat, desinere necesse esset; sed Petrum & Petri Successores voluit Dominus illius obligationis admonere, ut charitatis & gratiæ conservationi solicitè semper in commissæ pasturæ officio intenderent. Quis enim neget Primatum & authoritatem in Successore Petri & supremo Pastore Ecclesiæ conservari, quanquam charitas refrigesceret, aut in multis, qui Primatui subsunt, excellentiori gradu ferveret?

V. Omnia in Ecclesiâ Dei unitatem nobis commendant. *Unum corpus &* *unus*

unus Spiritus multi sumus, vocati in unâ spe vocationis nostræ. Unus Deus, Ephes. 4. *una fides, unum Baptisma, unus Dominus & Pater omnium.* S. Chrysostomus interrogat: Quare unum corpus, qui sunt ubique terrarum fideles? quia unus est Spiritus, in unione Spiritûs accipimus unum corpus uno capite. Si est autem unum caput, est & unum corpus. Caput est totius corporis præstantissimum, & magìs dominatum obtinet, ùt quòd in se habet omnes sensus, & animæ principatum, & finè capite vita esse non potest. Quare (inquit) hoc dico? Est in Ecclesiâ multitudo, ex his multis alii in altum erecti, alii pedum locum tenentes; si caput nullam velit pedum curam gerere, ipsum primò læditur. Membrorum aliud in aliud insurgere non est naturæ consentaneum. *Dico*, inquit, *& protestor, Ecclesiam scindere non est minùs malum, quàm in hæresim incidere.*

S. Cyp. L. 1. ep. 3. VI. S. Cyprianus Optato & Hieronymo & aliis, quos Febronius citat, anterior appositè inquit: *Hæreses non aliunde obortæ sunt, aut nata schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesiâ ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex cogitatur.* Febronius utiliter admodum, non quidem sibi, sed communi Societati Catholicorum hanc ejus S. Doctoris de unitate sententiam addidisset illi, quàm ex epistolâ 59. protulit de *Cathedrâ Petri & Ecclesiâ principali, unde unitatem Sacerdotalem* dixit *exortam.*

VII. De hac cathedrâ dicit Febronius verbis S. Optati, eam esse Romæ collocatam à Petro, ut unitas servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi singuli cathedras defenderent, ut jam schismaticus & peccator esset, qui con- Ad Heb. 13. tra singularem cathedram collocaret alteram. Dic Febroni, si rectè ex asserto per Apostolum *Altari* ratiocinantur Catholici, volitum esse à Christo Sacerdotium & Sacrificium, an non rectè ex assertâ per Optatum *cathedrâ singulari, contra quam alia cathedra sinè schismate & peccato collocari non possit*, annon, inquam, justum sit ratiocinium, quòd unus sit in Ecclesiâ, cui concreditum sit à Deo munus docendi eâ cum authoritate, ut nemo se illi dogmatizanti, seu ex illâ singulari cathedrâ Ecclesiam totam, id est, omnes Fideles docenti audeat opponere? Tunc certè ad unitatem *viâ & planâ & directâ* pertingetur, si illius summi Sacerdotis doctrina audiatur: si autem tua tibi idea usque adeò impressa est, ut hoc ex Optati verbis ductum argumentum non placeat, dic, quid cathedra altera & centesima & millesima illi cathedræ officiet? illa manebit prima, quantùm ad coordinationem numeri, & propositionem proponendorum.

VIII. Præterire non possum heteroclitam illam, à S. textu alienam commentationem Febronianam: *Math. XVI. Petro datæ sunt claves* (verum non est; tunc promittebat Dominus, non dabat) *erant postea reliquis Apostolis communicandæ Matth. XVIII.* (nihil ibi de clavibus) *& Joan. XX.* neque ibi. In anteriori promisit potestatem remittendi & retinendi peccata,

seu

seu solvendi & ligandi, quae postea sensu accommodatitio (ut exegeticae Theologiae tractatores loquuntur) coepta est vocari *potestas clavium* in quocunque etiam infimo ministro Sacramenti poenitentiae; in posteriori ita dedit, sicut Math. XVIII. promisit. Quâ itaque fronte dicat Febronius id, quod vult, *ex iis textibus apparere*?

IX. S. Hieronymi sententia jam aliàs fuit attentè tractata; hoc jam dicendum est iterum: eos, qui communem Catholicorum Germanorum sententiam tuentur, validum ex his Hieronymi verbis praesidium sibi oblatum jure merito censere. Si *propterea unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio*, hoc dixit, quod dixit Cyprianus; erit ergo *Sacerdos unus, judex unus audiendus*, ut vitetur schisma & haeresis. Hoc medium divina providentia dedit Israëlitis; quare non nobis? Per Prophetas promisit *Pastorem unum. Erunt*, dixit, *oculi tui videntes praeceptorem tuum.* Dic, ubi jam videre possimus oculis nostris promissum nobis praeceptorem certum, nisi hunc ostendas, quem communis Catholicorum sententia commonstrat, & in omnibus retro saeculis ii ostenderunt, quibus tunc tanquam *pastoribus & Doctoribus ad consummationem Sanctorum* (seu baptismo sanctificatorum) munus commisit docendi. Ezech. 17 Isai. 30. Eph. 4

X. Quae sit significatio verborum S. Leonis, supra in §. 2. copiosè est explicatum. *Unitatem* à Christo ex S. Leonis sententiâ intelligimus commendatam, dum jus potestatis Petro *singulariter* dicit esse creditum, quia cunctis Rectoribus eum tanquam *formam* proposuit. Unitas particularium Ecclesiarum tunc juxta S. Petri monitum promovetur, si earum Episcopi fiant *forma gregis ex animo*; ita unitas Ecclesiae totius per totum mundum diffusae promovetur, si Petrus jus potestatis sibi singulariter creditum ita exerceat, ut *cunctis Rectoribus* quarumcunque particularium Ecclesiarum *sit forma.* Ita secuturis temporibus unitas Ecclesiae totius erat conservanda, ut, quanquam *potestas clavium* & scientiae & jurisdictionis, quantùm ad officium docendi, puniendi *transitura esset ad alios Episcopos, & divina constitutio ad omnes Pastores, dispensatores Mysteriorum* gratiae, seu Sacramentorum administratores esset quâdam participatione *commeatura*, jus tamen potestatis supremae singulariter summo Pontifici maneat creditum, eâ semper sollicitudine exercendum, ut ipse summus Pontifex omnium ubique dioeceseon, seu Ecclesiarum particularium *Rectoribus forma* sit & regula, & penes illum sit jus corrigendi, monendi Episcopos, eósque, si obstinatè à formâ & regulâ deflectant, *ovésque conturbent*, *abscindendi*, & *candelabra eorum loco suo movendi* authoritas. Sic pergit, & usque ad consummationem saeculi perget *ad unum loqui Pastor unus, ut fundetur unitas in uno*, & dum *in commune praecipit* Praepositis, ut vigilent pro animabus tanquam pro his (quarum specialem singuli curam accipiunt) rationem reddituri, *qualiter ad Petrum loqui incepit*, ita ad Petri Successorem pergit & perget loqui: Hi pro portione 1 Petri 5 Galat. 5 apocal. 2.

tione sibi assignatâ, & pro se ipsis singuli respondebunt, tu verò pro grege universo, ipsísque Rectoribus, quorum es forma & regula, respondebis. Sic Febroni Magni Leonis & Paciani Barcinonensis verba intellige; hoc jure suo à te postulant, dum his aliísque luculentissimis sententiis abunde posteris ostenderunt, quid Petro & Apostolis, quid Petri Successori & Episcopis particularium Ecclesiarum tribuendum esse censuerint.

§. III.

Febronii opinio de Primatûs perpetuâ conservatione examinatur.

1. *Febronius dicit Primatum esse à Christo, sed non ab eo designatas esse personas, quibus sit dandus post S. Petrum.*
2. *Infert Febronius, Ecclesiæ esse liberum, cui loco voluerit Primatum annectere.*
3. *Opinionem de transferibilitate Primatûs dicit communem esse in Galliâ & expressam in articulis Smalcaldicis.*
4. *Reipsâ autem hactenus fuisse penes Episcopos Romanos.*
5. *Decreta Ecclesiæ pro Rom. Episcopi Primatu à Febronio producta,*
6. *Item quædam dicta Ss. Patrum in hanc rem addita.*
7. *Vera falsis commiscendo Primatum Rom. destruere nititur.*
8. *Bellarminus dicit de fide esse, quòd Episcopus Romanus sit Successor Petri.*
9. *Frustra quæritur, ubi jam esset Primatus, si Petrus alibi fuisset mortuus.*
10. *De Ecclesiis per Apostolos fundatis sola conservata est Romana.*
11. *Illatio Febronii ex verbis Bellarmini ex rationabili causâ Primatum jam dari posse cathedræ Parisiensi, aut cuicunque.*
12. *Ex Amesio Puritano citat falsissimè Scotum & Cordubensem & Bannezium.*
13. *Amesium refutavit P. Erbermannus vindex Bellarmini.*
14. *Malè probat Febronius ex articulis Smalcaldicis, quid constantissimè senserit Rex & regnum Galliæ.*
15. *Quis fuerit Conventus Smalcaldiæ.*
16. *Febronius imitatus Dupinum siluit, quæ Primatum probant.*
17. *Febronius contra intentionem probat Primatum Rom. esse juris divini.*
18. *Valentiniani Aug. verba de Primatu Febronius profert à contextu avulsa.*
19. *Quid de his verbis sentiat Illustrissimus de Marca.*
20. *Causa, ob quam S. Petrus Romæ Sedem fixit, ex mente Febronii.*
21. *Refutatur:*
22. *Febronius fundat suam intentionem in Can. 28. Conc. Chalced.*
23. *Quem S. Leo rejecit.*
24. *Primatus Febronianus idem est, qui Ultrajectinorum.*

25. *Primatûs transferibilitatem Febronius declarat se tueri, etsi iram hoc moverit Benedicto XIV.*
26. *Agnoscit Febronius Primatum à Christo Romæ esse conservatum, & addit à Christo esse probabiliter conservandum.*

I. Agnoscit Febronius à Christo constitutum esse *unum totius corporis*, quod est Ecclesia, *moderatorem*, volutúmque, ut hic Primatus perpetuò in Ecclesiâ subsistat. Sed *personas*, inquit, *hoc munus post Petri decessum gesturas Salvator non designavit; fecit vel Petrus solus, vel cum eo Ecclesia.* Laudat verba Cardinalis Bellarmini, qui ait, successionem Rom. Pontificis in Pontificatu Petri esse ex instituto Christi; sed rationem, quâ Romanus Pontifex, potiùs quàm Antiochenus vel alius succedat, esse ex facto Petri: *Potuisset*, inquit, *nullam sedem eligere, tunc successisset is, quem elegisset Ecclesia.* Si Antiochiæ mansisset, successisset Antiochenus. Quia Sedem Romæ fixit, & tenuit usque ad mortem, dicit succedere Romanum. *Bellarm. Lib. 2. de Rom. Pont. c. 12.*

II. Ex his ita ratiocinatur Febronius: si quoad personam & locum Deus nihil providit, ergo penes Ecclesiam stetit & perdurat jus determinandi, per quem una alteráve pars clavium (id est tum primum officium, tum posteriora munia) geri debeat.

III. Hinc sacer Primatus Febronio est *humanæ authoritatis*, & *transferibilis E. G. ad Parisiensem Episcopum.* Hanc sententiam esse constantissimam regni Galliæ, ex articulis Smalcaldicis probat.

IV. A Petro usque ad nos non interruptâ serie Primatum tenuisse Romanos Præsules ex Conciliis & gestis Pontificum & Patrum testimoniis probat. Laudat Canonem Nicænum in Chalcedonensi recitatum: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum.*

V. Cpolitani Concilii decretum non reticet, quo suæ civitatis Episcopum decernit *habere oportere Primatûs honorem post Rom. Episcopum*; & Concilii Chalcedonensis declarationem, quòd *omnis Primatus & honor præcipuus conservari debeat antiquæ Romæ Archiepiscopo secundùm Canones.* Patres Mileviranæ Synodi dicit scripsisse Innocentio I. de Pelagio & Cœlestio: *Arbitramur adjuvante misericordiâ Domini Dei nostri faciliùs eos, qui tam perversa & perniciosa sentiunt, authoritati sanctitatis tuæ de sanctarum Scripturarum authoritate deprompta cessuros.* Per Concilium Constantiense dicit damnatam esse hanc Wicleffi propositionem: *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias*; & hanc Hussi: *Rom. Pontifex non est caput Rom. Ecclesiæ.* Denique profert definitionem Florentini Concilii, quâ definivit *Rom. Pontificem in universum orbem tenere Primatum, ipsùmque Successorem esse Principis Apostolorum.*

VI. His addit elogia Patrum (ut loquitur) extantiora; S. Athanasii rogantis protectionem Felicis Papæ: *Vos & Prædecessores vestros Apostolicos Præsules*

fules in fummitatis arce Deus conftituit, omniúmque Ecclefiarum curam habere præcepit. Et Nazianzeni carmen, quo *fidem vetuftæ Romæ* laudat *olim & nunc rectam*, & *Papam* vocat *univerfi mundi Præfidem.* Et Theodoreti, qui dicit: *Sanctiffima illa Sedes habet Ecclefiarum, quæ in toto orbe funt, Principatum multis nominibus.* Laudat, S. Chryfoftomum in Synodo Quercetanâ depofitum confugiffe ad Innocentium I. & ut inimici puniantur, poposciffe. Ex Latinis Patribus laudat fententias jam memoratas, Cypriani, Hieronymi, Auguftini, & Epifcoporum Galliæ ad Leonem Papam hæc verba: *Meritò illic Principatus Sedis Apoftolicæ conftitutus, unde adhuc Apoftolici Spiritûs oracula referuntur.* Et S. Leonis: *Soliditas illins fidei, quæ in Apoftolorum Principe eft laudata, perpetua eft, & ficut permanet, quod in Petro Chriftus inftituit, ita manet difpofitio veritatis, & B. Petrus in acceptâ fortitudine petræ perfeverans fufcepta Ecclefiæ gubernacula non relinquit. In perfonâ humilitatis meæ ille honoretur, in quo & omnium Paftorum folicitudo cum commendatarum fibi ovium cuftodiâ perfeverat, & cujus dignitas in indigno hærede non deficit.* Addit notum carmen S. Profperi: *Sedes Roma Petri, quæ paftoralis honoris facta caput mundo.* Et denique fententiam S. Bernardi ad Eugenium: *Non modò ovium, fed & Paftorum tu unus omnium Paftor.* His addit hæc verba Valentiniani Augufti: *Beatiffimus Romæ civitatis Epifcopus, cui Principatum Sacerdotii fuper omnes antiquitas contulit.* Promittit alia his fortiora per decurfum hujus capitis indicanda.

His hoc ordine expofitis dicit excepto Photio neminem eò ambitionis devenifse, ut fe *totius Ecclefiæ caput* affirmaret, aut hanc prærogativam Rom. Pontifici propriam non agnofceret.

VII. Singulari audaciâ Febronius caffam Primatûs figuram, vera falfis commifcendo, ita conftruit, ut rem deftruat; à Bellarmino ritè, inquit, exponitur Primatus, dum dixit fucceffionem Rom. Pontificis in Pontificatu Petri effe ex inftituto Chrifti, & jure divino; quia Chriftus inftituit in Petro Pontificatum ad finem mundi duraturum. Rationem verò ejus, quòd Epifcopus Romanus fit Petri Succeffor, ex facto Petri habere initium, cùm *prima inftitutio*, quâ Chriftus Petrum fecit univerfalis Ecclefiæ Paftorem, non determinaverit fucceffionem Epifcopi Romani.

VIII. At verò idem Bellarminus docet, *fide catholicâ credendum effe, quòd Epifcopus Romanus fit Succeffor Petri & Vicarius Chrifti;* cùm id per traditionem Apoftolicam nobis conftet; Concilia generalia & Ss. Patres femper ita fenferint, & nunquam poffit alicujus dogmatis traditio Apoftolica probari certioribus documentis, quàm hæc doctrina Catholicorum de authoritate fupremâ Ecclefiæ Romanæ.

IX. Quid in aliâ hypothefi, nempe fi manfiffet Petrus Antiochiæ, aut nullo in loco certam fibi fedem fixiffet, Deus fuiffet ordinaturus. An, fi in Afiâ, aut Africâ Succeffor Petri & Vicarius Chrifti fedem ftabilem ex

facto

facto Petri jam haberet, an, inquam, Conclave Cardinalium, forma, & modus eligendi forent, ùt nunc sunt, frustra quæritur.

X. Jam sufficit per traditionem certam constare Catholicis, tunc, dum paganica superstitio Romam occupabat, dum hæretici Principes urbi dominabantur, dum à Barbaris Urbs fuit occupata, direpta, æquè ac pacatis temporibus Principum Catholicorum, successionem Rom. Pontificum fuisse continuam, quanquam aliæ Ecclesiæ per Apostolos fundatæ interierint, ùt Hierosolymitana, Antiochena, Alexandrina, & Ephesina. Factum Petri, quòd Antiochiâ excesserit, & Romæ Sedem fixerit, summo veterum consensu comprobatum, Dei singularis providentia pro suâ voluntate ita disposuit, ut, quod jam in XVIII. Sæculum videmus constanter conservatum regimen universalis Ecclesiæ, speciali divinâ ordinatione volitum intelligamus.

XI. Quid verò ex Bellarmini verbis concludit Febronius? *Firmum*, inquit, *manet quoad personam & locum nihil à Deo provisum esse* (utique non tantùm non claris verbis sacræ Scripturæ, sed neque traditione) ergo *stetit & stabit penes Ecclesiam jus determinandi, per quos & officium Papatûs & inferiora munia Episcoporum geri velit, & dum per rationes convenientiæ humanâ authoritate Primatus fuit creditus Romanæ urbis Antistiti, transferri poterit ex rationabilibus causis ad Mediolanensem aut Parisiensem, aliùmve.*

XII. Ut verò tanquam Jurisconsultus asserta sua communiat authoritate Doctorum, citò ex Amesio Puritano *Bellarmini enervati* authore transcripsit Scotum & Cordubensem, & Bannezium, etsi P. Erbermannus in vindiciis Bellarmini ostenderit mendacem esse in horum trium Doctorum citatione Amesium, eósque omnino contrarium docuisse; loco Cardinalis Cajetani citati ab Amesio substituit Cardinalem Cusanum pari cum falsitate.

XIII. Præterquam quòd Amesium falsæ horum citationis convincat, ostendit falsitatem ratiocinii: Jus Rom. Pontificis fundatur in facto, ergo non in jure. Nonne, inquit, fatuè diceretur successionem Cæsaris non fundari in jure. quia fundatur in facto, nempe in suffragiis Electorum? *P. Erbermanni Vind. cont. Ames. ad Cap. 11. & 12. Bellarm. de summ. Pont.*

XIV. Eâdem impudentiâ Febronius asserit in Sæculo XVI. constantissimam hanc fuisse sententiam regni Galliæ. Id quomodo probat? Galli, inquit, in articulis Germanis Semalcaldiæ propositis eam his verbis exprimunt: *Sentire Regem Gallorum jure tantùm humano, non divino Rom. Pontificem habere Primatum.*

XV. Semalcaldiæ conventum Protestantes anno 1536. condixerant, ut deliberaretur, quid Pontifici respondendum super convocatione Concilii generalis & ut de Syncretismo cum Zwinglianis, dissidiisque Concionatorum Lutheranorum tractaretur. Convenerunt horum ultra XL. præsedit Lutherus; huic à Principibus mandabatur, ut concinnaret articulos in futuro Concilio nomine Protestantium offerendos; Melanchton opinabatur concordiæ & pacis gratiâ Rom. Pontifici relinquendam esse superioritatem in Episcopos, *Ulenbergius in L. de vit. & reb. gest. Mart. Luth. C. 28. n. 2. & 3.*

 seu

seu *Primatum jure humano*; magnam hoc singulare inter eos opinamentum invidiam & Lutheri indignationem concitavit. Dic Febroni, an credis Regem Galliæ ad hunc conventum misisse Legationem, quæ de constantissima sua, suique regni sententiâ Conscriptis Patribus Semalcaidicis fidem faceret? An credis tunc Regem & nationem consensisse Melanchtoni, dum petita ab eo facultas coram Rege cum Sorbonicis instituendi colloquii fuit denegata, ne permisso quidem ingressu in Galliam?

XVI. Jam quomodo ipsismet à se productis testimoniis consonet Febronius, juvat expendere. Quod Charlasius de Dupino dixit, idem de Febronio dicendum, quòd eos siluerit, qui Primatùs prærogativas apertiùs explicant, & illorum, quos protulit, authoritatem imminuere conatus sit.

XVII. Ipsa etiam, quæ Febronius profert & laudat, testimonia Primatûs, talia sunt, ut ejus intentionem contra prærogativas Ecclesiæ Romanæ non fulciant. Dicit Patres Milevitanos professos esse, quòd authoritas Innocentii I. *de sanctarum Scripturarum authoritate sit deprompta*, id quomodo ei tribuit, quod solâ humanâ authoritate nititur? Quomodo hoc dici potest *credendum esse de necessitate salutis, quòd Romana Ecclesia sit suprema Ecclesiarum & Rom. Pontifex illius supremæ Ecclesiæ caput sit?* Quomodo à S. Athanasio Felix II. aut à nobis Clemens XIII. dici potest *in summitatis arce constitutus à Deo, jussusque habere curam omniam Ecclesiarum?* Quâ spe contra Synodum numerosam Chrysostomus opem petitam exspectare potuit ab Innocentio Papâ Romano, si authoritati Concilii alia merè humana opponeretur? Dici non poterit, *adhuc à Sede Romanâ referri Apostolici Spiritûs oracula, adhuc permanere soliditatem Fidei in Apostolorum Principe à Christo firmatam, adhuc B. Petrum suscepta Ecclesiæ gubernacula moderari, adhuc in Petro solicitudinem omnium Pastorum & custodiam ovium commendatarum continuari*, si Cathedra illa Rom. Pontificis, quæ nunc est, humanis tantùm fulcris innititur. Quod Patres Conciliorum generalium summo consensu conclamârunt: *Petrus per Leonem locutus est. Petrus per Agathonem locutus est*; convincit eos persuasum habuisse, quòd in id usque tempus manserit & perseverârit *Petrus in illâ fortitudine petræ, quam accepit à Christo*. Eâdem nos fiduciâ id nunc profitemur de Clemente, & eos profanos dicimus, qui illius Cathedræ non consociantur. *Qui debitam* (præclarè ait S. Isidorus Hispalensis) *Rom. Antistiti non exhibet reverenter obedientiam, à Capite sejunctus acephalorum schismati se reddit obnoxium.*

XVIII. Callidè sanctionem Valentiniani Imperatoris Febronius suo fecit intento servire, dum ea tantùm verba profert, quòd antiquitas Principatum Sacerdotii contulerit Episcopo civitatis Romæ. Proferenda erant hæc verba in Codicem Theodosianum relata: *Cùm igitur Sedis Apostolicæ Primatum S. Petri meritum, qui Princeps est Sacerdotalis coronæ; & Romanæ dignitas Civitatis; sacræ etiam Synodi firmârit autoritas.* Ex his perspicuè osten-

ostenditur, Petri *meritum* à Deo esse compensatum per Primatûs perpetuò Romæ duraturi concessionem, tum & per per traditionem Apostolicam sacræ Synodi Nicænæ & totius venerandæ antiquitatis testimonio probatam. Addendum & hoc erat, quod Imperator Rom. Pontificis Primatum & potestatem legislativam, sinè quâ Primatus consistere non potest, ad pacis & unitatis conservationem necessariò requirat: *Ne*, inquit, *inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui Religionis disciplina videatur, perenni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis; quàm aliarum Provinciarum contra consuetudinem veterem liceat sinè Viri venerabilis, Papæ Urbis æternæ autoritate tentare, sed illis, omnibúsque pro lege sit, quidquid sancit, vel sanxerit Apostolicæ Sedis autoritas.*

XIX. Hanc novellam Codicis Illustrissimus de Marca dicit per Gallias vim legis etiam post deletum Imperium Romanum consensu & edicto Regum obtinuisse. Nolim tamen (addit de Marca) hoc eo sensu accipi, ac si tunc primùm legis ferendæ autoritas Sedi Apostolicæ à Principe collata esset, cùm tantùm eo Rescripto fota sit & confirmata.

XX. Sibi ipse contradicit Febronius, dum Dei singulari consilio in Urbem totius orbis dominam dicit Petrum pervenisse, ibidémque Sedem fixisse, ut ipse & Successores *inde quasi ex sublimi loco excubias agere possent, & commodiùs muneris sui partes implere*; contrà autem, antequam Bizantium migraret Constantinus, Præsules Romanos ab Imperatorum præsentiâ nihil habuisse, nisi vexationum ærumnas, incommoda, quæcunque sævientium Principum furor inferre poterat, deprædationes, exilia, carcerem, mortem denique ipsam.

XXI. Cui non potiùs videatur hoc fuisse Dei Consilium, ut illic arx Religionis constitueretur, ubi hominum judicio id impossibile videri debebat? *Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ meæ viæ vestræ, dicit Dominus: quia sicut exaltantur Cœli à terrâ, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Quibus, etiam post Magni Constantini obitum afflictionibus pressi fuerint Rom. Pontifices sub Principibus Arianis, sub Juliano Apostatâ, aliísque, probant historiæ.

XXII. Nimis indignum est Scriptore Catholico ad Canonem 28. Concilii Chalcedonensis apocryphum provocare, quo asseritur Patres *Sedi senioris Romæ, quòd urbs illa imperaret, privilegium Primatûs tribuisse.* Cùm Græci autoritate sacrorum Canonum Cpolitanam Ecclesiam tanquam aliis potiorem commendare non possent, eò se verterunt, quod in civili honore Romæ æqualis facta sit, utpote & Imperio & Senatu honorata. Opportunum videbatur, postquam Legati Sedis Apostolicæ discesserant, extollere Sedem Anatolii; eóque adnitente Canonem illum 28. condidère. Postridie in Actione 16. & ultimâ Paschasinus eâ re compertâ ita loquitur ad Judices: Hesternâ die, postquam potestas vestra surrexit, & humilitas nostra

 secuta

secuta est vestigia vestra, quædam facta dicuntur, quæ nos præter Canones & disciplinam æstimamus effecta, poscimus ergo, ut legantur. Lectus est Canon. Lucius Vicarius Sedis Apostolicæ quæstus est de circumventione. Lectum est mandatum summi Pontificis datum Legatis: si qui fortè Civitatum suarum splendore confisi aliquid sibi tentaverint usurpare, hâc, quâ dignum est, constantiâ retundatis. Etiam (quòd præceperit Papa omnia fieri præsentibus Legatis) quæ fuerant, ipsis absentibus facta petierunt pro non gestis declarari. Hoc si non obtinuerint, dicunt se Apostolico Viro, totius Ecclesiæ præcipuo relaturos, ut, ipse aut de suæ Sedis injuriâ, aut de Canonum eversione ferat sententiam.

XXIII. Placuit Synodo scribi Romam, scripta ad Leonem epistola synodica Patrum de gestis in Concilio, quibus additus est Canon de prærogativis suæ Sedis, cui Decreto fatentur restitisse Papæ Vicarios. Literis Marciani Augusti & Pulcheriæ & Anatolii & Juliani Leo rogabatur, ut Canonem hunc ratum haberet. Singulis rescripsit S. Leo, damnans ambitum Anatolii rejecit Canonem. *Miror*, inquit in literis ad Marcianum, *& doleo, quòd pacem universalis Ecclesiæ divinitus reformatam ambitionis spiritus rursus inquietet. Satis sit*, inquit, *Anatolio, quòd vestræ pietatis auxilio, & mei favoris assensu Episcopatum tantæ urbis obtinuit: non dedignetur Regiam Civitatem, quam Apostolicam non potest facere Sedem. Privilegia enim Ecclesiarum SS. Patrum Canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa Decretis nullâ possunt improbitate convelli, nullâ novitate violari, in quo opere auxiliante Christo fideliter exequendo necesse est me perseverantem exhibere famulatum; quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in Synodo Nicænâ, Spiritu Dei instruente sunt conditæ, me, quod absit, connivente violentur.* Anatolio ad Canonem Concilii Cpolitani provocanti respondit: *Persuasioni tuæ in nullo penitùs suffragatur quorumdam Episcoporum ante 60., ut jactas, annos facta conscriptio, nequaquam à Prædecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis missa notitiam, cui ab initio suo caducæ, dudùmque collapsæ sera nunc & inutilia subjicere fulcimenta voluisti, eliciendo à fratribus speciem consensionis.* Concludit: Hoc tibi scribens, Frater, in Domino hortor, ut *deposito ambitionis desiderio spiritu potiùs ferveas charitatis; nam si inconcessa quæsieris, ipse te tuo opere atque judicio pace universalis Ecclesiæ privabis.* S. Leo, cùm epistolam, quâ fidei expositionem Chalcedone factam confirmârat, non publicâsset Anatolius, ne populo innotesceret rejectum esse Canonem de prærogativis suæ Sedis; dedit Encyclicam ad omnes Episcopos, qui eâ in Synodo fuerant congregati, quâ declarat in solâ causâ Fidei propriam cum iis unisse sententiam. Si quis Nestorio aut Eutycheti, vel Dioscoro voluerit adhærere, declarat à Catholicâ communione resecandum, jura Ecclesiarum, sicut à Patribus Nicænis divinitus inspiratis sunt ordinata, decernit, ut permaneant. Vetuit, ne quid alienum improbus ambitus concupiscat. Prolixius

lixius hæc censui commemoranda, ut & Febronium dolo malo ad hunc Canonem provocâsse, & quantâ cum autoritate ac potestate S. Leo Primatu Apostolico functus fuerit, evidenter hac serie rerum Chalcedone gestarum ostenderem. Vicisset Anatolius Patrum Chalcedone congregatorum pene sexcentorum consensu adjutus, Marciani & Pulcheriæ patrocinio sustentatus, communi omnium Græcorum primam suæ nationis Ecclesiam ad illud præcelsum fastigium exaltari cupientium desiderio incensus, vicisset, inquam, si Primatus Apostolicus Leonis intra limites Febronianos fuisset constrictus, ut tantùm esset ordinis & honoris. In unam sententiam coibant Episcopi cum Principe & populo; visum non est Leoni quærendum esse bonum unitatis assentando Principi & multitudini, sed fortiter contranitendo pacem Deo placituram, ideóque multò solidiorem quæsivit, obtinuitque.

XXIV. Si tu Febroni mavis imaginario tuo Primatu bonum unitatis quærere, facilè advertes, quantùm à S. Leone, & Chalcedonensibus ejusdem Encyclicam reverenter cum Catholicæ obedientiæ integerrimâ significatione amplexis discedas. Contra verò, quàm te Ultrajectinis à communione Ecclesiæ Romanæ segregatis propè adjungas, qui Primatum eundem, quem tu, libenter ore pleno contestantur; quid enim tuo systemati conformius esse possit, quàm asserta Erkelii à laudato Adriano de Wycke Batavo Archiprebytero refutata? 1. *Verum est, Pontifex est inter suprema Ecclesiæ capita primum ac præcipuum membrum, præsidens ac primas; sed hoc non se eò usque extendit, ut aliis Episcopis mandata, decreta, formularia, Fidei professiones, censuras, excommunicationes, quibus se subdant, immittere possit.* Sic dum multicipitem facit Ecclesiam, inani titulo Primatûs reipsâ facit acephalam, ut præclarè ostendit de Wycke. 2. *Quo demum pacto Pontifex Vicariis suis ordinariam & Episcopalem in nos potestatem commodare possit, cùm ne ipsum quidem eâ in nos potestate præditum esse constet? Papam scimus & prædicamus primum esse Episcoporum & nobilissimum, inter ministrantia Ecclesiæ capita supremum esse fatemur: at Papa neque Harlemensis, neque Ultrajectinus Episcopus est* (id est non potest alibi extra suam Romanam Diœcesim exercere potestatem ordinariam, tanquam Ordinarius Ordinariorum) *nisi fortè Papæ universalem mundi Episcopatum assentando asserere velimus.* Ad hæc Wyckius: Quis hæc legit Catholicus, & horrore non percellitur? Hîc supremum audaciæ & perfidiæ culmen attingunt. Ne vel uni ex omnibus SS. Patribus venit in mentem dubitare, Pontificem esse totius orbis Episcopum, & ordinariâ in nos potestate pollere. An quod potest Episcopus in suo Episcopatu, Parochus in suâ parochiâ, id nequeat Papa in Ecclesiâ? Si Pontifici tollitur suprema autoritas, Ecclesiam corruere ac pessundari necesse est visibili unitatis nostræ principio destructo.

XXV. Idea transferibilitatis Pontificii Primatûs adeò in deliciis est Febronio, ut sub finem pronuntiet eam esse *verissimam*, etsi *singulariter illa ad iram com-*

commoverit Benedictum XIV. Agnoscit tamen, hactenus causas legitimas translationis non tantùm nullas fuisse, sed in XVIII. hoc sæculum usque prudentem omnem rationem translationi Primatûs obstitisse.

XXVI. *Christus* (ùt jam loquitur Febronius) *author & conservator Primatûs Pontificii suam illi firmitatem fecit in Romanâ Sede constare*, ut *nec vis tyrannica, nec seditiones, nec maximæ urbis vicissitudines nocerent.* Quare illum Romæ Christus conservavit? *Ne fortè*, inquit, *per talem loci mutationem Primatui noceretur.* Scilicet cui tot tanta incommoda Christo providente, nocere pene XVIII. sæculis non potuerunt. Hem lepidum ratiocinium! Addit hoc Romanis solatium: *Idem faciet probabiliter* Christus imposterum, *si quid prævisum, aut imprævisum eveniat Romæ.* Ergo jam ad Christum pertinet, non ad voluntates hominum, an continuanda sit conjunctio Primatûs cum Episcopatu Romano. Stat nihilominus Primatum Româ Parisios transferri posse, si velit ex rationabilibus causis Ecclesia. Sic dicet posse Dominicæ sanctificationem transferri in Sabbatum, aut Feriam sextam; ne autem faciat Ecclesia, obstare omnem prudentem rationem; ex Christi voluntate probabiliter mansuram esse Dominicam.

§. IV.

Primatûs quæ natura, quæ genuina jura juxta mentem, seu verba Febronii?

1. *Febronius promittit se demonstraturum, nihil juris monarchici esse in Primatu.*
2. *Dolet unitatem esse ruptam, & vix restituendam ob corruptum jus Ecclesiasticum per Isidorum.*
3. *Remedium dicit haberi posse à consensu scholarum.*
4. *Quid per hoc medium intelligat.*
5. *Distinguit inter* essentialia, *seu* primigenia *Primatûs, &* accessoria.
6. *Posterioribus Ecclesiæ sæculis imputare ignorantiam & errorem est Acatholicis familiare, quos in hoc imitatur Febronius.*
7. *Primum inter essentialia Primatûs dicit esse* honorem Directorii, *qualem habet Præses in Senatu.*
8. *Alterum esse* solicitudinem de Fide, Ss. Canonibus, & Ritibus, & doctrinâ morali.
9. *Tertium, quòd, si nequit convocari generale Concilium possit condere leges, sed ante communem Ecclesiæ consensum inefficaces.*
10. *Quartum, quod in judiciis de fide habeat* præcipuas partes & provisoriè definire *possit non reclamante Ecclesiâ.*
11. *Quintum, quòd possit & debeat congregare Concilium, si alii non congregent, dum oritur hæresis aut schisma.*

Sex-

12. *Sextum, quòd negotia gravioris momenti, ficut femper factum, ita nunc referri debeant ad Papam; tantùm ad effectum cum Ecclefiis etiam diffitis deliberandi.*
13. *Septimum, quòd difpenfare poffit pro cafu, quo Concilium generale difpenfaret.*
14. *Octavum, quòd propter fuum jus infpectionis univerfalis habeat judicium fupremum in Occidente, certo tamen modo, quem non explicat.*
15. *Hujus poftremi juris primigenii Febronius caufam affignat, quòd Ecclefiæ Occidentales ex Urbe Româ lumen fidei acceperint.*
16. *Infert Occidentales ideo ad reverentiam teneri, fed finè dependentiâ & ftrictâ obligatione.*
17. *Hæc primigenia dicit partim effe juris divini, partim Ecclefiaftici.*

I. Promittit Febronius fe demonftraturum, quòd ne unicus quidem effectus juris Monarchici fit in Primatu, qualem Chriftus inftituit, & qualem conftans ufus & difciplina Ecclefiæ primorum fex vel feptem Sæculorum confervavit.

II. Non fine gemitu dicit *unitatem nimiùm jam effe ruptam, & prout nunc res funt, ægrè reftituendam ob corruptum* poft illa aurea feptem Sæcula *per falfos Canones jus Ecclefiafticum.* Nihilominus remedio, quod in teftibus antiquæ traditionis, prifcis monumentis Patrum, & Actis Conciliorum, & hiftoriis inquirendum effe aliàs docuerat, nunc adjungit aliud nobis propinquius, ideóque faciliùs parabile remedium in Ecclefiâ præfentis temporis, ut ùt miferrimè fœdatâ, nempe confenfum Scholarum Catholicarum.

III. Non quidem id jam exfpectat, ùt exquiratur, quæ fuerit ante Gerfonem fententia Scholafticorum, neque lubet ad locum *de autoritate Doctorum Scholafticorum*, quem Melchior Canus, & cum eo alii inter Locos Theologicos connumerant, fuper Primatûs Pontificii reftrictione aut extenfione provocare, cùm turba Scholafticorum tantùm *ex Italis & Monachis, & quibufdam aliis* affectu magis, quàm ratione ductis conflata, ideóque ad arduam hanc rem, ùt us fáfque eft, explicandam inutilis Febronio videatur.

IV. Tantùm hoc intendit, ut, poftquam cœptum eft duce Gerfone iri in partes, id ftatuatur ad Primatum pertinere, quod extra omnem controverfiam per clara expreffáque decreta Fidei pofitum eft. Hoc admiffo confidit admittendum effe illud à fe jactum fundamentum feu principium: *Omnia illa & fola funt effentialia & primigenia Primatûs, finè quibus unitas non poteft fervari.*

V. Cùm talem Primatum voluerit, ut nec Petrus fieret Apoftolis, nec Papa Epifcopis autoritate fuperior, & cum Primatu æqualitas eorum inter fe tanquam parium unius Paftoralis Collegii membrorum ftabiliretur, fubtiliter *effentialia Primatûs* erant hoc principio, quod folam unitatem expri-

mit, indicanda, ut quidquid inæqualitatem seu inter Petrum & Apostolos, seu inter Papam & Episcopos inferret, tanquam accessorium recentiùs additum amputaretur; præterquam verò, quòd non fuissent defutura omnipotentiæ & sapientiæ divinæ media unitatem servandi, si Christus Primatum non voluisset, hoc etiam huic Febroniano principio potest opponi, quòd essentialia Primatûs debeant illi esse propria, si verè illius essentiam constituant; dum autem fœdera & pacta Principum, quibus pax perpetua inter nationes sancitur, etiam talia sunt, ut sinè his earum unitas non possit servari; dum Collegii membra potestate paria possunt jurejurando conglutinari, ut stabilis unitas & concordia tum sacramenti religione, tum & metu pœnarum à prævaricatore communis pacti subeundarum in eâ Societate firmetur, manifestum est, hoc Primatui non esse proprium. Hoc principio suo ipsemet præsensit alios abusuros illud extendendo ad superfluum dominatum, alios autem illud nimis coarctando, ideo *certius aliud & prudentius medium* censuit quæri oportere in Ecclesiâ primorum temporum, ùt jam dictum est.

VI. Hoc utique verum est, si, quid Christus voluerit (cujus sola voluntas est Primatûs ab eo liberè constituti principium) ex declarationibus Ecclesiæ, ex testimoniis Patrum sincerâ investigatione exploretur, sic tamen, ut non fiat inter Ecclesiæ tempora prima & postrema talis disjunctio, qualem fingunt Acatholici, qui posterioribus Ecclesiæ Sæculis caliginem ignorantiæ tribuunt, neque summis Pontificibus, neque generalibus Conciliis parcunt, quorum Febronius malevolentiam in hoc imitatur, quòd & Pontifices & Patres Conciliorum generalium, & passim Academias omnes Catholicorum, Gersone, paucisque aliis exceptis, Scholasticos omnes erroris arguat, & fatuæ credulitatis, quòd improbis Canonibus decepti deceperint alios, & errorem in Ecclesiâ posteriorum temporum fecerint esse communem.

VII. Brevi quâdam Synopsi jura Primatûs pergit proponere, quæ ipse vult vocanda esse essentialia & primigenia. 1. Incipit à Primatu S. Petri, hunc à Christo ipso constitutum Primatum talibus depingit coloribus, ut Rom. Pontifici tantò minùs molesta esse possit Pontificiæ potestatis restrictio, quantò similior ejus Primatus Primatui Principis Apostolorum efficitur. Audiamus Febronium: Qualis in Senatu est Præses, talis propemodum in Collegio Apostolorum Petrus. Ille Senatorum sententias rogat, nihil decidit, intendit eorum actibus, monet, arguit, sed non destituit. *Caput* est ac *major*, non *in strictâ significatione superior*, minùs ipsorum *Dominus*. *Ita caput* erat Petrus. *Proponebat materiam*, de quâ deliberandum. *Primarius ei bonor dabatur. Loquebatur omnium loco & nomine*, cùm id esset opportunum. *Multùm tribuebatur ejus sententiæ, nulla causa majoris momenti sinè ejus participatione definiebatur; maximè si universùm Ecclesiæ corpus respiceret.*

Per-

VIII. 2. Pergit, inter hos *nudi directorii* fines non subsistere jura Primatûs, conservationem unitatis exigere aliquid amplius. Supponit claves *à Christo datas esse toti Ecclesiæ collectim sumptæ, ita ut ju ta ejus placitum exerceatur per Prælatos.* Cùm inter hos Papa sit *primus*, dicit ad eum pertinere *solicitudinem*, ut fides custodiatur, Canones observentur & Ritus; atque una sit, eáque sana doctrina moralis. Cùm verò ad hoc necessaria sit autoritas refragantes compellendi, hanc etiam concedit Pontifici, sed ad mentem Conciliorum.

IX. 3. Negat summo Pontifici *potestatem legislatoriam respectu* totius Ecclesiæ; si autem difficultas magna convocationi Conciliorum generalium obstiterit, benignè concedit Rom. Pontifici facultatem condendi & proponendi leges, vim tamen ante communem consensum non habituras.

X. 4. Negat Rom. Pontificem esse ultimum Judicem controversiarum. Iterum autem id hac benignâ moderatione temperat, quòd in judicando præcipuæ sint partes Pontificis, ejus definitiones de fide & moribus magni sint momenti, & eisdem *provisoriè* parendum sit, quamdiu non reclamat Ecclesia; sed qui & quot reclamantes ad efficacem Ecclesiæ reclamationem sufficiant, Febronio nondum placuit Rom. Pontificem & nos docere.

XI. 5. Si plures insignes Ecclesiæ (quot & quales, non dicit) se opponant; si hæ.·tici aut Schismatici fuerint contumaces; dicit necessarium esse Concilium generale, adeóque tunc non tantùm non præcipuæ, sed nullæ erunt partes Pontificis, nec provisoriæ definitioni erit locus. Existente hypothesi, quòd alii generale Concilium universam Ecclesiam repræsentans congregare omittant, tunc (utique non aliàs) & potest, & debet illud à Rom. Pontifice congregari sic volente Febronio.

XII. 6. Negotia gravioris momenti, & quæ universam Ecclesiam sive in fide, sive in disciplinâ, ùt loquitur Febronius, respiciunt, per omnium sæculorum decursum relata sunt ad Papam tanquam centrum unionis Ecclesiasticæ; ideo & nunc illuc ea referenda esse placet Febronio, non tamen alium in finem, quàm ut per hoc medium inter se conferant & bono communi consulant dissitæ Ecclesiæ, etiam extra Concilium; cavere itaque sibi Rom. Pontifex debebit à præoccupatione judicii, & à provisoriis definitionibus; sed ut servetur inter Papam consultum & Episcopos consulentes unio & Fidei unitas, omnino cum his, qui negotia talia detulerunt, antè conferat. Quandonam provisoriis illis, de quibus antè dixerat, definitionibus sit locus, non explicat.

XIII. 7. Concedit etiam Rom. Pontifici facultatem dispensandi. Æquum hoc est, inquit, & patitur universalis Ecclesia; patitur ideo id etiam Febronius, si tamen Papa id faciat eo casu, quo Concilium generale dispensaturum esset. An verò solus Rom. Pontifex, an aliquis alius cum ipso, aut præter ipsum habeat jus & arbitrium dispiciendi & resolvendi, quid Concilium Tri-

dentinum, si jam existeret, resoluturum esset, Febronius non explicat; & Clementem XIII. relinquit incertum consilii, quid proposito casu suadente dispensationem resolvere debeat, si vel maximè vellet obtemperare Febronio. Si nunc penes Clementem XIII. erit arbitrium & potestas resolvendi, quod Concilium Tridentinum aut Nicænum, si nunc existeret, aut S. Sylvester, S. Leo, S. Gelasius, vel Pius IV. si nunc viverent, dispensationem concederent, vel non concederent, potest totum hoc Pontifex nostri temporis, quod eum posse arbitrantur Theologi summo Pontifici maximè devoti. Si caret eâ potestate, novâ Synodo indigebit.

XIV. 8. Quia (inquit Febronius) Papa à S. Petro obtinuit *jus inspectionis universalis* & *sacræ præfecturæ*, convenit ei judicium supremum. Addit has restrictiones: Saltem in *Occidente*, non simpliciter, sed *certo tamen modo*, illudque omnium primò accepit per Concilium Sardicense. Quis ille certus modus sit, cui Sardicenses concessionem adstrinxerint, Febronio non placuit explicare.

XV. Ecclesiæ Occidentales, inquit Febronius, habent hunc specialem respectum ad Ecclesiam Romanam, quòd ex hac urbe Româ exierint primi Præcones Evangelii in Galliam, Hispaniam & Italiam. Hanc dicit esse causam, quare Ecclesia Romana dicta sit Mater & Magistra aliarum, nempe Occidentalium.

XVI. Infert hinc reverentiæ obligationem, neutiquam verò dependentiam. Responsa ad consultationes illarum Ecclesiarum mereri attentionem, non autem esse leges strictè obligantes.

XVII. Privilegia hæc jam recensita dicit partim esse ex jure divino, partim ex convenientiâ inde justò ratiocinio deductâ, partim ab Ecclesiâ. Quæ autem per Ecclesiæ favorem adjecta sunt, mutationibus dicit manere obnoxia; quid verò ex prædictis juri divino, quid æquitati, quid mero Ecclesiæ arbitrio adscribendum sit, distinctè non explicat. Promittit autem se de his singulis acturum & *latiùs* & *ex condicto*. Id dum fiet, respondebitur.

§. V.

Quæ sit notio vocis: *Centrum unitatis*, interprete Febronio.

1. *Febronius affirmat & negat à Deo personam & locum pro Primatu esse determinatam.*
2. *Falsum est ideo Romam esse designatam, ut per eam toti mundo innotescant errores, qui ab Ecclesiâ universâ damnantur.*
3. *Ecclesia Romana est centrum unitatis per finalem damnationem errorum, non per consultationes & deliberationes.*

4. *Fe-*

4. *Febronius ex Massueto explicat verba S. Irenæi:* Ad Ecclesiam Rom. propter potentiorem principalitatem &c.
5. *Ex iis malè infert solum præsidium & directorium convenire Pontifici.*
6. *Febronius malè provocat ad Archiep. Paris. Petrum de Marca.*
7. *Quomodo hic Præsul verba Irenæi interpretetur.*
8. *Idem veterum Gallorum de Primatu sententiam probat authoritate S. Aviti.*
9. *Et Synodi Aquileensis.*
10. *Sententiæ S. Optati contraria est Febroniana.*
11. *Febronii distinctio inter centrum* physicè & moraliter *sumptum explo- ditur.*

I. Idem ipse Febronius, qui paulò antè scripsit, firmum manere, quòd quoad personam & locum Successoris in Primatu nihil à Deo provisum, statutúmque sit, idem, inquam, dicit, quòd Papa sit centrum unionis Ecclesiasticæ ab initio nascentis Ecclesiæ, & una aliqua singularis Ecclesia à Deo sit constituta, per quam fides omnium Ecclesiarum inconcussa servetur. Ut mundi nascentis, ita nascentis Ecclesiæ primordia Deo tanquam authori sint tribuenda; ideóque verè & locum & personam constitui oportuerit, ut & ipsa singularis Ecclesia Romana, & is, qui eidem præsidet, centrum foret unitatis. Si hæc Febronio sunt vera, id hominum curæ & providentiæ non reliquit Dominus, quod ab Ecclesiæ authore constitui oportuit. Hæc antilogia dissimulanda non erat.

II. Quòd autem ideo singularem Ecclesiam Romanam dicat à Deo esse constitutam, ut illius Ecclesiæ ope & authoritate toti mundo innocescant errores in provinciis peculiaribus detecti, fundamentum veritatis non habet; si ibi perimantur errores, ubi nascuntur, & Sedes Apostolica remedium afferat, ut hæresis, quæ in aliquâ particulari provinciâ fecit initium, non capiat incrementum, non apparet, quid utilitatis afferat eam hæresim ope & authoritate Pontificis per omnem orbem terrarum innotescere.

III. Ecclesia Romana erit tunc verè centrum unitatis, si peremptorio decreto finiat suscitatam quæstionem, & novi erroris author, aut ad semitas veritatis reducatur, aut ab Ecclesiæ Romanæ communione separetur. Hoc Chalcedonenses Patres exspectabant à S. Leone Papâ, ut decerneret, an ejiciendus sit ab Ecclesiâ Dioscorus. Hoc ab Innocentio I. exspectabant Africani Episcopi, ut, quid de Pelagio statuendum sit, Apostolicâ sententiâ definiat. Post diuturnas fidelium perturbationes pax & tranquillitas quærebatur in centro, non autem ibi petebatur facultas cum vicinis Episcopis coram Papâ aut cum Papâ de erroribus in unâ provinciâ suscitatis conferendi. Constat Episcopos Comprovinciales Africanos operosè inter se super libro Cœlestii consultâsse, sed motus non antè fuisse compositos, quàm dum Zosimus

mus finali sententiâ definivit librum esse hæreticum, & authorem illius detectâ versutiâ & pertinaciâ damnavit.

IV. Febronius ut ostenderet se Ecclesiam Romanam & Rom. Pontificem tanquam centrum unitatis agnoscere, notam jam antè laudatam sententiam Irenæi protulit: *Ad hanc Ecclesiam Romanam propter potentiorem* (potiorem dicit Febronius) *principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt, undique fideles.* Ex Massuetio hoc in ea verba commentarium addit: Ut unitas inter distantes Ecclesias foveri, omniúmque consensus faciliùs explorari posset, nec omnes in unum locum convenire cogerentur emergentibus controversiis, necesse erat primam aliquam inter omnes Ecclesiam constitui, quæ cæteris omnibus præesset velut unitatis centrum, in quod omnes confluentes ejusdem fidei & communionis nexu colligarentur. Cognitâ igitur hujus primæ Ecclesiæ sententiâ cæterarum omnium utplurimùm cognita fuerit; una enim omnium cum eâ Ecclesiâ fides atque doctrina: hæc cæterarum caput, cui arctissimè adhærere tenentur omnes.

V. Ex his Massuetii verbis, quanquam apertissimè dicant, quòd omnes arctissimè teneantur Ecclesiæ Romanæ adhærere, cognitâque hujus sententiâ satis cognosci, quid omnes totius mundi Ecclesiæ sentiant utplurimùm, nimirum semper, si de fide aut moribus est quæstio; non semper, si circumstantiarum indagine opus sit; infert Febronius aliud non colligi, quàm quòd Rom. Ecclesiæ conveniat, *præsidium & directorium*; non autem sequi, quòd caput non indigeat subsidio corporis, à quo sustentetur, & nutans sublevetur, quòd planè improbum est & à Massuetii verbis alienum. Quid enim Romæ exspectabitur, si liceat cum Febronio dubitare, an caput nutet, & sustentari ac sublevari à consulentibus Episcopis debeat, dum de Fide aut moribus est quæstio totam Ecclesiam, seu omnium fidelium securitatem concernens.

Lib. 1. Cap. 2. de Conc. Sacerd. & Imp. VI. Ipse Febronius, dum sub finem hujus discursûs Lectorem rogat, ut Petrum de Marca cum iis, quæ dixit, conferat, hoc ipsum citati Illustrissimi Authoris Capitulum inspicere debebat, in quo disertè docet, commune hoc officium communionis cum Ecclesiâ Romanâ cognovisse ante omnes vetustissimum illum Lugdunensium Antistitem Irenæum.

VII. *Unus ille*, inquit, *scripsit, quod omnes Galli sentiebant: Ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem &c.; quasi diceret, juxta sinceriorem illorum verborum interpretationem eam esse vim unitatis, quæ principium & originem à Petri Sede trahit, ut cum eâ sentiendi necessitatem cæteris imponat.*

VIII. Propagatam (pergit) in sequentes ætates apud Gallos hujus veritatis apertam professionem docet Avitus Episcopus Viennensis ad Hormisdam Papam: *Securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ devotione polliceor, omnes super statu fidei vestram captare sententiam* (adverte Febroni)

broni) *orate, ut sic nos perditorum professio fucata non fallat, sicut ab unitate, quam regitis, veritas comperta non separat.*

IX. Addit de Marca Patres Concilii Aquilejensis, cui præsedit Ambrosius, *se putâsse à Concilii Chalcedonensis societate alienos, nisi juxta DC. illorum Patrum sententiam non solùm singularum Ecclesiarum, sed etiam universalis Ecclesiæ caput Rom. Pontificem profiterentur.*

X. Sententiam S. Optati de Cathedrâ Romanâ, non soli Parmeniano, sed & Febronio adversam declarat asserta ab Optato illius Cathedræ singularitas; si, quod ex illâ singulari Cathedrâ definitum est, per aliam Cathedram rejiciatur, aut quod ex illâ fuerit damnatum, defendatur per aliam; aut etiam quod illa singularis fecit certum, alia faciat incertum, & ulterioribus collationibus, disceptationibus obnoxium, tunc altera contra singularem Cathedram temerè collocatur. Negat Optatus hoc sinè peccato aut schismate fieri posse; si autem aliâ ex cathedrâ id credendum, faciendúmve proponitur, quod cathedra illa singularis sententiâ singulari antea definivit, dixi, & repeto nec illam, nec millesimam singularitati obstaturam. In Domino gloriatur Optatus, totum Orbem in unâ communionis societate concordare cum Catholicis Milevitanis commercio formatarum Rom. Pontificis. Gloriemur & nos; nobísque Febronius & stylo & spiritu consonet; tunc & non aliàs consonabit Optato.

XI. Inanissimum est Febronii confugium ad distinctiunculam de centro unitatis physicè & moraliter considerato. Ea hujus vocis notio est præferenda, quæ communi eorum judicio comprobatur, qui solidam unitatem desiderant, hanc Febronius ex adductis ab ipso Pontificis Bonifacii I. verbis facilè intelliget. De B. Petri honore dicit Ecclesiæ institutionem sumpsisse principium, in B. Petri honore Ecclesiæ regimen & summam consistere; discat ergo in Clemente XIII. B. Petrum honorare, tunc certum se faciet veræ unitatis, si in eâdem pergat esse compage, & præsenti, quæ nunc est, Ecclesiæ Christi desinat imputare, quòd per improbos Canones ejus pars major & melior, ipsáque inprimis Ecclesia Romana abducta sit seu sciens, seu nesciens in errorem.

§. VI.

De Relationibus Episcoporum ad Rom. Pontificem super statu Ecclesiarum.

1. *Relationes super statu Ecclesiarum ad Pontificem Febronius tribuit antiquitati.*
2. *Sixti V. Bulla*: Romanus Pontifex *præcipit relationem super statu Ecclesiarum.*

3. *Quid*

3. *Quid Congregationi Cardinalium Sacri Concilii Trid. Interpretum à. Pio IV. institutæ commiserit Sixtus.*
4. *De relationibus Episcoporum Belgii super matrimoniis mixtis, & secutâ definitione Benedicti XIV.*
5. *Alia relatio Missionariorum Hollandiæ ad Benedictum XIV.*
6. *De hac modernâ observantiâ tacet Febronius & tantùm laudat antiquos Pontifices.*
7. *Febronius sibi non constat, dum dicit Innocentii I. Sententiam fuisse exspectatam ab Africanis, & Pontifici tantùm concedit facultatem deliberandi cum Episcopis.*
8. *Synodus Ephesina agnovit Pontificiâ definitione tolli dubia.*
9. *Malè Febronius provocat ad Concilium Chalced. & S. Avitum ac Justinianum Aug.*
10. *Malè provocat ad testimonia summorum Pontificum.*
11. *Contra se ipsum profert Febronius verba Eutherii Thyanensis & Helladii ad Xistum Papam.*
12. *Quod S. Gregorius scripsit Eulogio de verbo* jussionis, *expenditur, & refutatur Febronius.*
13. *Probatur exemplis non semper S. Gregorium à verbo* jussionis, *Præcepti, Mandati abstinuisse.*
14. *Ratio, quare Vox*: Jussio *fuerit infrequens S. Gregorio.*

I. Totus in eo est Febronius, ut veteris Ecclesiæ morem in Relationibus ad Sedem Apostolicam super statu Ecclesiarum faciendis ostendat; quanquam recentioribus Constitutionibus Pontificum ostendere facilè potuisset, eam observantiam adhuc in Ecclesiâ nostrorum temporum conservari.

II. Sixtus V. Constitutione XV. cujus initium est: *Romanus Pontifex*, anno 1585. publicatâ omnes Episcopos *ad sacra limina Apostolorum* statis temporibus *visitanda* evocavit, *ut eorum opere & adjumento ubique locorum commissi sibi gregis vultum Pontifex agnoscat, morbos intelligat, curationes adhibeat, provideátque congrua statui Ecclesiarum*; impeditis autem Episcopis eâdem Constitutione præcepit, ut ad sacri gregis curationem spectantia per alium idoneum fidelissimè apud sacram Sedem exponant.

III. Congregationem Cardinalium S. Conc. Trid. Interpretum à Pio IV. institutam, & præcellenti supra alias Congregationes authoritate firmatam, decoratámque idem Sixtus per Constitutionem: *Immensa*, jussit Episcoporum sacra limina visitantium *postulata audire, expedire dubia, Ecclesiæ disciplinam per orbem totum promovere, S. Theologiæ, Juris Pontificii, Cæsareique peritos, & rerum gerendarum usu pollentes consultationibus adhibere, ut Dei gloriæ, animarum saluti, justitiæ & æquitati consentanea decernantur.*

IV. Cùm anno 1746. hic Coloniæ declarationem Pontificis Benedicti XIV. super

ſuper matrimoniis inter Proteſtantes & Catholicos ederem cum Relationibus Antiſtitum Belgii, & Diſſertationibus Cavalchini & Beſozzi poſtea pro inſignibus ſuis meritis ad Purpuram Cardinalitiam promotorum, triúmque aliorum inſignium Theologorum; monſtravi Epiſcopum Iprenſem laudatis Conſtitutionibus Sixtinis ita morem geſſiſſe, ut, dum de ſtatu ſuæ Diœceſis Clementi XII. rationem reddebat, exponeret, quantis difficultatibus Epiſcopi Belgæ ditionibus Hollandicis viciniores implicarentur, ideóque peteret, ut Pontificiâ declaratione finis dubitationibus imponeretur; atque ad ſacram Congregationem Card. Conc. Trid. Interpretum, cui Clemens XII. accuratam totius controverſiæ cognitionem demandârat, Relationes Archiepiſcopi Mechlinienſis æternæ memoriæ Cardinalis, & Epiſcoporum Brugenſis, Gandavenſis & Antverpienſis fuiſſe transmiſſas, decreta S. Congregationis ab initio ſæculi ſuperioris ad hæc noſtra uſque tempora ab Eminentiſſimo Cavalchini ſtudioſiſſimè fuiſſe conquiſita, collata & examinata, librósque Juriſperitorum & Theologorum Germaniæ & Belgii, qui duobus poſtremis ſæculis hanc materiam doctè tractârunt, operosè conſultos, ut certa regula & norma ſupremo ſummi Pontificis oraculo daretur Iprenſi, penitúsque ceſſarent incommoda, quæ in id uſque tempus Theologorum non ſolùm, ſed & Epiſcoporum conſtans dubitatio induxerat. Quod Clemens XII. fato mortalitatis defunctus perficere nequivit, perfecit altero ſui Pontificatûs anno Benedictus XIV. dum Româ Reſcripta venerunt, ceſſavit penitùs dubitatio Belgarum Epiſcoporum & Parochorum; inprimis autem gaudebat Præſul Iprenſis hoc ſe fructu ſuæ conſultationis fuiſſe potitum.

V. Poſtquam conditum, promulgatúmque fuit illud Decretum, relata eſt ad eundem Rom. Pontificem alia Miſſionariorum Hollandorum controverſia de matrimoniis Catholicorum, quæ lege patriâ Illuſtriſſimorum Ordinum ad clandeſtinitatem vitandam ſolenniter coram Acatholicis, Magiſtratu civili aut Miniſtro declarare jubebantur. Cùm iidem Catholici contrahentes lege Concilii Tridentini obligarentur ad contrahendum coram parocho Catholico, & duobus teſtibus, contingebat nonnullos, factâ illâ ſolenni declaratione contractûs, ad copulam conjugalem procedere, antequam legi Tridentinæ paritum eſſet; copulam hanc intermediam alii Miſſionarii damnabant ùt illegitimam, alii excuſabant nixi eâ opinione, quòd contractus à Sacramento ſejungi poſſit, ideóque tale matrimonium Catholicorum, factâ juxta legem patriam publicâ declaratione, firmitatem habeat contractûs, deficiente licèt ratione Sacramenti. Ut hæc etiam controverſia per ſummum Pontificem finiretur, quidam ex Catholicis Miſſionariis P. Paulus Simon Carmelita Excalceatus eam controverſiam nomine omnium ſubmiſit judicio ſanctæ Sedis. Reſcripſit æternæ memoriæ Benedictus XIV- *Non poſſumus non magnopere commendare propoſitum veſtrum, quo Sedem Apoſtolicam conſulendam cenſuiſtis, ejúsque definitionem cognoſcendam, ut eam unanimi conſenſu amplectamini,*

 quam

quam si omnes (pergit summus Pontifex) *cùm similes emergunt quæstiones, pari docilitate exquirerent & sequerentur, non tanta succresceret indies inter Evangelicos operarios opinionum varietas, nec doleremus ob eorundem in tradendâ morum doctrinâ diversas sententias distrahi in partes christianum populum, eámque scindi mentium animorúmque concordiam, quam Christus Dominus Ecclesiæ suæ commendatam voluit usque adeò, ut eâ præsertim quasi tesserâ Discipulos suos cognoscendos prædixerit.* Tum expositis punctis controversiæ respondet: *Ut controversiam omnem judicio nostro præcidamus, sic habete: Ubicunque receptum est Concilii Tridentini Decretum, irrita esse conjugia, aliter quàm coram alterutrius legitimo parocho, aliòve Sacerdote parochi vices agente & duobus testibus celebrata. Quidquid sit de opinione, quæ contractum à Sacramento dividit, locum nullum sibi vindicare potest apud eos, qui Tridentinâ lege obstringuntur; hos ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit.* Quare cùm inter Catholicos in istis provinciis promulgatum, receptúmque sit illud Decretum, negat matrimonium ullo pacto validum reputari posse. Docet, tunc Catholicos, dum civili Magistratui aut hæretico Ministro se sistunt, actum merè civilem exercere, & suum erga leges & instituta Principum ostendere obsequium, & nisi coram Ministro catholico & duobus testibus nuptias celebraverint, neque coram Deo, neque coram Ecclesiâ legitimos conjuges fore, conjugalem consuetudinem gravi culpâ non carere, & nisi consensum ex Ecclesiæ præscripto renovaverint, prolem perpetuò illegitimam fore in oculis Dei & in foro Ecclesiæ. Vult, ut à Missionariis omnes moneantur, ut matrimonio antea in faciem Ecclesiæ celebrato adeant sæcularem Magistratum ad civilem cæremoniam explendam, aut saltem, postquam Reipublicæ morem gesserint, non differant Ecclesiæ legibus parere. Datum Romæ 17. Sept. 1746. His literis omnes in dictis Regionibus (ait Pontifex) facilè acquievisse, ac normam, quæ in ipsis est tradita, inposterum sibi sequendam proposuisse, ex posterioribus literis inde cum gaudio intelleximus. Sapientissimis illis Belgarum Episcopis & tum Belgii, tum Batavorum Orthodoxorum Pastoribus minimè venit in mentem infelix idea Febronii; nempe aures habebant audiendi, quid Spiritus dicat Ecclesiis; & quid in Apostolico centro Catholicæ unitatis quæri & exspectari debeat.

De Syn. Diœces. Lib. 6. Cap. 7. n. 5.

VI. Altum silet Febronius de hâc observantiâ Ecclesiæ præsentis temporis, &, ùt dixi, totus est in eo, ut operosè quærat, quis fuerit mos antiquorum. Incipit à Synodo Sardicensi, quæ scripsit Julio Pontifici, *optimum & congruentissimum esse, si ad Caput, id est, ad Petri Sedem de singulis quibúsque Provinciis Domini referant Sacerdotes.* Dicit jam præiisse Arelatenses in eodem Sæculo IV. & Carthaginenses in tertio, & Corinthios in primo: secutos esse Afros in quinto.

VII. Novâ antilogiâ se ipsum confutat Febronius, dum dicit Innocentium

I. scrip-

scripsisse Africanis, quod juxta antiquæ regulæ formam super *anxiis rebus quæsierint, quæ sit tenenda sententia; quod per totum orbem, responsa de Apostolico fonte petentibus semper emanent.* Si hæc Febronius dicat omnibus obvia compertáque esse, ipsíque Afri fuerint contestati, quòd semper de Apostolico fonte talia profluant responsa, ut sciatur, quæ super dubiis rebus tenenda sit sententia, & *non nisi ad Petrum, id est sui nominis & honoris authorem referri debeat, quoties fidei ratio ventilatur, ut constet omnibus, quid sentire debeant*; non ibi tantùm de collatione cum consultantibus instaurandâ erit laborandum; sed sicut Petrus fecit, dum de Legalibus sententiam dixit, ita Pontifex eâdem, quâ Petrus usus est, authoritate, quid sit fidei conforme, quid à fide alienum, debet posse definire, & non intra terminos meræ consultationis hærere.

VIII. Tunc juxta Ephesinos Patres *Romani Pontificis studio constituentur Ecclesiarum firmamenta, si dubitantium anxietatem Apostolicâ definitione sustulerit.*

IX. Non potuit ulla provocatio ad veteris Ecclesiæ morem Febronio magis esse contraria, quàm dum ad Chalcedonensis Concilii Patres & relationem ab illis Leoni Pontifici missam provocavit. Patres compertâ Legatorum Apostolicæ Sedis indignatione super clam constituto in favorem ambitiosi Anatolii Canone 28. eosdem vehementer illo ausu commotos antevertere, & Leonis animum præoccupare tentàrunt. Leo Canonem, ùt jam supra ostensum est, reprobavit, nullâ numeri suffragiorum ratione habitâ; quanquam Marcianus Aug. & Pulcheria pro Patribus per literas intercesserint, Leo obstitit, & Leonis sententiæ paritum fuit. Quæ fuerit S. Aviti Viennensis de Pontificis Romani supremâ & irretractabili definitione dogmatum sententia, Illustrissimus de Marca verbis ipsiusmet Aviti suprà productis probavit, imò hæc, quæ Febronius attulit, mentem Aviti magis aperiunt. Justinianus Imp. & *sententiâ & recto judicio illius venerabilis Sedis, quoties hæretici in Oriente pullulàrunt, eos coërcitos* fuisse testatur.

X. Quæ de Anastasio I. Innocentio I. Bonifacio I. Damaso I. & Cœlestino I. & Sixto III. testimonia confuso ordine protulit Febronius, horum Pontificum sancta studia & paternam solicitudinem multis aliis argumentis facilè probandam commendant; sed certè talia non sunt, ut aliquid ex his ad ideam Febronii fulciendam possit justo ratiocinio concludi; non tantùm non demonstrat, sed nec probabile facit, quòd ad Romanum Pontificem plus non spectet, quàm consultantium Episcoporum querelas audire, ipsis remedia proponere, super horum applicatione cum his communi consilio deliberare; minimè autem suapte supremâ authoritate definiendi facultatem habeat.

XI. Eutherius Thyanensis & Helladius Tarsensis censuerunt *hæreticis insurgentibus zizaniis Apostolicam Sedem per universum tempus illud, quo Ecclesia Orientis hæreticorum potentiâ & prævalido incursu premebantur, suffecisse*

cisse ad mendacium convincendum, impietatem reprimendam & corrigenda, quæ corrigere necessarium fuit, muniendúmque orbem terrarum ad gloriam Christi sub Damaso aliisque gloriosis atque admirabilibus Rom. Episcopis, ideóque Sixtum rogant, *ut adjuvet orbem terrarum.* Hæc dum refert ipse Febronius, nescio, quomodo possit eò usque excutere pudorem, ut asserta sua dicat hoc testimonio posse confirmari, & Pontificis partes tantùm eas esse, ut fraternè moneat, hortetur Episcopos; & ut ab Episcopis discat Rom. Pontifex, quibuscum sit, vel non sit communicandum.

XII. Neque id Febronium juvat, quòd magnus ille Gregorius Eulogio scripserit: *Verbum jussionis* sibi displicere, & se non jussisse, sed quæ utilia sunt, indicare curâsse. Scis Febroni Apostolum eundem, qui dixit: *Obsecro vos ego vinctus in Domino*, qui docuit Timotheum: *Seniorem ne increpaveris, sed bonora ùt patrem, juvenes ùt fratres, anus ùt matres, juvenculas ùt sorores*; eundem, inquam, Apostolum hortari: *Obsecra, increpa, argue cum omni imperio, nemo te contemnat. Divitibus bujus sæculi præcipe superbè non sapere:* Petrus, qui Episcopis scribit: *Seniores obsecro consenior, pascite, qui in vobis est, gregem. Charissimi obsecro vos abstinere à carnalibus desideriis.* Idem Petrus punit Simonem, Ananiam, alios; jam obsecrat, jam imperat, jam paternè indulget, jam castigat. Ridenda esset hæc illatio Apostoli: Petrus & Paulus obsecrant; ergo his non conveniebat uti verbis significantibus imperium. Non minùs lepida est hæc illatio tua: S. Gregorius, dum scripsit Eulogio, uti noluit verbo jussionis; ergo Pontifices olim non utebantur verbis præceptivis.

1. Tim. 5. Ad Tit. 2. 1. Tim. 6. 1. Pet. 5.

XIII. Januario Calaritano scribit, *pro sepulturâ peti vel exigi aliquid omnino probibemus.* Eâdem voce utitur in epistolâ ad Castorium Ariminensem. Squillitano Episcopo scribit: *Ab aliis, quæ incongruè usurpantur, fraternitatem vestram volumus abstinere.* Maximiniano Episcopo Syracusano scribit: *Fraternitati tuæ bujus præcepti serie deputamus, quatenus diligenter curet addiscere, si quid apud prædictam Ecclesiam de rebus ipsius inveniri potuerit; si quidem nibil est, quod Euplo rationabiliter possit obsistere, ei faciat restitui. Ita ergo bæc implere festinet tua fraternitas, ut suprascripto ad nos denuo ex bac re nulla remeandi necessitas imponatur. Nam quod beatæ recordat. Decessor noster præceptum direxerat, ut res omnes ad defunctum Agrigentinæ Civitatis Episcopum spectantes Ecclesiæ remanerent, boc ideo eum credimus præcepisse* &c. Et Romano Defensori: *Ne plùs sequi rigoris viam, quàm causas videamur pietatis complecti, bâc tibi præceptione mandamus, ut memoratam domum Calixeno reddere debeas.* Eidem de Basilio Episcopo scribit: *Perlatum est ad nos Basilium Episcopum, velut unum de laicis, in causis sæcularibus usurpari... quæ res, quoniam & ipsum vilem reddit, & reverentiam Sacerdotalem annibilat, statim ut experientia tua boc præceptum susceperit, eum ita ad revertendum districtâ executione compellat. Præcipimus, ut nulla-*

S. Greg. M. ep. 65. S. Greg. relatus in Can. Questa Caus. XIII. Quest. II. Lib. 3. epist. 36. Lib. 7. epist. 23. Lib. 3. ep. 20. ad Maximum Metropolitanum Salonit.

nullatenus tu quidquam præsumas, *usque dum cognoverimus* &c. Omitto alia. Si obiter Decretales Pontificum perlustres, innumera Pontificum non eorum tantùm, qui Gregorium secuti sunt, Sed &, qui eundem præcesserunt, exempla Pontificiæ *Jussionis* occurrent.

XIV. Addi potest, quòd in Sæculo Gregorii Imperatoria Rescripta seu mandata antonomasticè: *JUSSIO. SACRA JUSSIO. JUSSIO PRINCIPALIS* vocarentur, ideóque pro suâ modestiâ S. ille Pontifex ejus vocis frequentiam fugisse videatur.

§. VII.

Quomodo Rom. Pontifex ad mentem Febronii dicendus sit tutor & vindex Canonum per universam Ecclesiam?

1. *Febronius laudat octo prima sæcula, ut vituperet sequentia.*
2. *Negat Rom. Pontifici facultatem deponendi refractarios.*
3. *Jus excommunicandi ei concedit absque jurisdictione in personam alii Episcopo subjectam.*
4. *Febronius contra se pugnat provocando ad Cœlestinum & Zosimum & Siricium.*
5. *Verè novas leges condiderunt Rom. Pontifices, licèt materia non semper fuerit nova.*
6. *Liberius Papa non favet proposito Febronii.*
7. *S. Gelasius defenditur contra Febronium in causâ Acacii.*
8. *S. Gelasius fortiter restitit Theodorico Regi volenti, ut Acacii memoria sacris diptychis redderetur.*
9. *S. Gelasius ostendit de judicio primæ Sedis non esse judicandum, sed ei parendum.*
10. *S. Gelasii magnanimitas intrepida in defensione jurisdictionis Papalis.*
11. *Febronium pessimè ad S. Gelasium provocâsse ostenditur.*
12. *Episcopi Dardaniæ subjectionem suam S. Gelasio contestantur.*
13. *Gelasius ab iis rogatus ad eorum provinciam misit Ursicinum Legatum.*
14. *Honorio Dalmatiæ Episcopo misit articulos doctrinæ admittendos sub pœnâ excommunicationis.*
15. *Gelasius ostendit Episcopis Dardaniæ Acacium mortuum absolvi non posse.*
16. *Dardanorum exceptionem, quòd Acacius non fuerit damnatus in Synodo, ideóque pro damnato habendus non sit, refellit Gelasius.*
17. *Ostendit Gelasius, Acacium contra Sedem Apostolicam peccâsse, & ab eâ justè excommunicatum esse.*
18. *Solâ authoritate Sedis Apostolicæ Timotheum Ælurum & Petrum ostendit esse damnatos.*

eisse ad mendacium convincendum, impietatem reprimendam & corrigenda, quæ corrigere necessarium fuit, *muniendúmque orbem terrarum ad gloriam Christi sub Damaso aliisque gloriosis atque admirabilibus Rom. Episcopis*, ideóque Sixtum rogant, *ut adjuvet orbem terrarum.* Hæc dum refert ipse Febronius, nescio, quomodo possit eò usque excutere pudorem, ut asserta sua dicat hoc testimonio posse confirmari, & Pontificis partes tantùm eas esse, ut fraternè moneat, hortetur Episcopos; & ut ab Episcopis discat Rom. Pontifex, quibuscum sit, vel non sit communicandum.

XII. Neque id Febronium juvat, quòd magnus ille Gregorius Eulogio scripserit: *Verbum jussionis* sibi displicere, & se non jussisse, sed quæ utilia sunt, indicare curâsse. Scis Febroni Apostolum eundem, qui dixit: *Obsecro vos ego vinctus in Domino*, qui docuit Timotheum: *Seniorem ne increpaveris, sed bonora ùt patrem, juvenes ùt fratres, anus ùt matres, juvenculas ùt sorores*; eundem, inquam, Apostolum hortari: *Obsecra, increpa, argue cum omni imperio, nemo te contemnat. Divitibus bujus sæculi præcipe superbè non sapere.* Petrus, qui Episcopis scribit: *Seniores obsecro consenior, pascite, qui in vobis est, gregem. Charissimi obsecro vos abstinere à carnalibus desideriis.* Idem Petrus punit Simonem, Ananiam, alios; jam obsecrat, jam imperat, jam paternè indulget, jam castigat. Ridenda esset hæc illatio Apostoli: Petrus & Paulus obsecrant; ergo his non conveniebat uti verbis significantibus imperium. Non minùs lepida est hæc illatio tua: S. Gregorius, dum scripsit Eulogio, uti noluit verbo jussionis; ergo Pontifices olim non utebantur verbis præceptivis.

1. Tim. 5. — Ad Tit. 2 — 1. Tim. 6. — 1. Pet. 5.

XIII. Januario Calaritano scribit, *pro sepulturâ peti vel exigi aliquid omnino probibemus.* Eâdem voce utitur in epistolâ ad Castorium Ariminensem. Squillitano Episcopo scribit: *Ab aliis, quæ incongruè usurpantur, fraternitatem vestram volumus abstinere.* Maximiniano Episcopo Syracusano scribit: *Fraternitati tuæ bujus præcepti serie deputamus, quatenus diligenter curet addiscere, si quid apud prædictam Ecclesiam de rebus ipsius inveniri potuerit; si quidem nibil est, quod Euplo rationabiliter possit obsistere, ei faciat restitui. Ita ergo bæc implere festinet tua fraternitas, ut suprascripto ad nos denuo ex bac re nulla remeandi necessitas imponatur. Nam quod beatæ recordat. Decessor noster præceptum direxerat, ut res omnes ad defunctum Agrigentinæ Civitatis Episcopum spectantes Ecclesiæ remanerent, boc ideo eum credimus præcepisse* &c. Et Romano Defensori: *Ne plùs sequi rigoris viam, quàm causas videamur pietatis complecti, bâc tibi præceptione mandamus, ut memoratam domum Calixeno reddere debeas.* Eidem de Basilio Episcopo scribit: *Perlatum est ad nos Basilium Episcopum, velut unum de laicis, in causis sæcularibus usurpari... quæ res, quoniam & ipsum vilem reddit, & reverentiam Sacerdotalem annibilat, statim ut experientia tua boc præceptum susceperit, eum ita ad revertendum districtâ executione compellat. Præcipimus, ut nulla:*

S. Greg. M. ep. 65. — S. Greg. relatus in Can. Questa Caus. XIII. Quæst II — Lib. 3. epist. 36. — Lib. 7. epist. 23. — Lib. 3. ep. 20 ad Maximum Metropolitanum Salonis.

nullatenus tu quidquam præsumas, usque dum cognoverimus &c. Omitto alia. Si obiter Decretales Pontificum perlustres, innumera Pontificum non eorum tantùm, qui Gregorium secuti sunt, Sed &, qui eundem præcesserunt, exempla Pontificiæ *Jussionis* occurrent.

XIV. Addi potest, quòd in Sæculo Gregorii Imperatoria Rescripta seu mandata antonomasticè: *JUSSIO. SACRA JUSSIO. JUSSIO PRINCIPALIS* vocarentur, ideóque pro suâ modestiâ S. ille Pontifex ejus vocis frequentiam fugisse videatur.

§. VII.

Quomodo Rom. Pontifex ad mentem Febronii dicendus sit tutor & vindex Canonum per universam Ecclesiam?

1. *Febronius laudat octo prima sæcula, ut vituperet sequentia.*
2. *Negat Rom. Pontifici facultatem deponendi refractarios.*
3. *Jus excommunicandi ei concedit absque jurisdictione in personam alii Episcopo subjectam.*
4. *Febronius contra se pugnat provocando ad Cælestinum & Zosimum & Siricium.*
5. *Verè novas leges condiderunt Rom. Pontifices, licèt materia non semper fuerit nova.*
6. *Liberius Papa non favet proposito Febronii.*
7. *S. Gelasius defenditur contra Febronium in causâ Acacii.*
8. *S. Gelasius fortiter restitit Theodorico Regi volenti, ut Acacii memoria sacris diptychis redderetur.*
9. *S. Gelasius ostendit de judicio primæ Sedis non esse judicandum, sed ei parendum.*
10. *S. Gelasii magnanimitas intrepida in defensione jurisdictionis Papalis.*
11. *Febronium pessimè ad S. Gelasium provocâsse ostenditur.*
12. *Episcopi Dardaniæ subjectionem suam S. Gelasio contestantur.*
13. *Gelasius ab iis rogatus ad eorum provinciam misit Ursicinum Legatum.*
14. *Honorio Dalmatiæ Episcopo misit articulos doctrinæ admittendos sub pœnâ excommunicationis.*
15. *Gelasius ostendit Episcopis Dardaniæ Acacium mortuum absolvi non posse.*
16. *Dardanorum exceptionem, quòd Acacius non fuerit damnatus in Synodo, ideóque pro damnato habendus non sit, refellit Gelasius.*
17. *Ostendit Gelasius, Acacium contra Sedem Apostolicam peccâsse, & ab eâ justè excommunicatum esse.*
18. *Solâ authoritate Sedis Apostolicæ Timotheum Ælurum & Petrum ostendit esse damnatos.*

19. *Et quòd Pontifex more Majorum sinè Synodo possit absolvere & damnare.*
20. *Profert hujus potestatis exempla.*
21. *Tres alios tractatus edidit, in tertio jura utriusque potestatis Pontificalis & regiæ exponit.*
22. *Febronii contradictoria:* Papa solus non potest ferre leges obligantes ante communem consensum Ecclesiæ, &: Papa solâ suâ authoritate totam Ecclesiam Orientis fecit obedire Synodo.
23. *Contra mentem S. Bernardi Febronius citat inscriptionem* Capitis 5. L. 3. de Consid.
24. *Bossueti judicium de Gelasio, quòd Orientales solâ authoritate fecerit obedire sinè Synodo.*
25. *Febronius pleraque jure Primatûs dicit esse non à Deo, sed hominibus, Episcoporum jura ferè omnia esse juris divini.*
26. *Hoc sinè probationis apparentiâ probare nititur authoritate Gregorii M. & Gregorii VII. & Innocentii III.*
27. *Duæ illationes Febronii refelluntur.*

I. Febronius adeò constans est primorum Ecclesiæ sæculorum encomiastes, ut planè tunc ipsi videatur fuisse gloriosa sinè maculâ & rugâ, quâ pulcherrimam illam ejus faciem ab VIII. sæculo usque nunc constanter fœdatam fuisse somniat. Fuit sanè, inquit, Pontificibus primorum Sæculorum *intimè persuasum, neque dubitabant reliqui per orbem Episcopi, Pontifices à Christo in altiori specula esse positos, ut totam Ecclesiam circumspicerent, ubique traditiones & Canones sedulò sanctèque coli curarent, imperitos erudirent, desides erigerent, novarum rerum amantes, si hortando, minando movere non possent, mediis per Canones præscriptis compescerent, illis ad emendationem, cæteris ad exemplum.* Quæ illa media sint, promittit se explicaturum.

II. Ne qua autem idea Monarchiæ concipiatur, negat & quidem contra Decretum Sacri Concilii Tridentini, quod causas criminales graviores contra Episcopos, quæ privatione aut depositione dignæ sunt, ab ipso tantùm Summo Rom. Pontifice cognoscendas & terminandas esse definivit; negat, inquam, Pontifici facultatem refractarios deponendi.

III. Jus verò excommunicandi concedit ita restrictum, ut nulla comitetur jurisdictio in personam excommunicati habentis alium Episcopum, cùm Pontifex hoc faciat *communi nomine totius Ecclesiæ, & ex ejus delegatione*, quam sententiam Scoto & aliis tribuit; & à quovis Episcopo alienum Diœcesanum supponit excommunicari posse. Theoriam hanc admirabilem his parodoxis expressionibus involutam conatur fulcire assensu Summorum Pontificum, qui præ cæteris eo tempore scientiâ & virtute floruerunt. Antiquis Pontificibus duos addidit recentiorum temporum ab improbo Isidoro corruptorum, S. Gregorium VII. Innocentium III. Nihil de Patribus & Doctoribus

& Ma-

& Majorum institutis memorat, nisi argumentum seu titulum Cap. 5 Lib. 3. de consideratione S. Bernardi ad Eugenium & quædam ex Libro Bossueti: *Defensio Declarationis Cleri Gallicani.* Theoriam hanc adeò certam videtur judicâsse, ut ulteriore illustratione opus non esset.

IV. Incipit à Cœlestino I. qui dixit, *se à Deo constitutum esse, ut, quæ coërcenda sunt, resecet; quæ observanda sunt, sanciat.* Tum pergit ad Zosimum. *Sciet*, inquit Zosimus, *à nobis districtiùs vindicandum, qui neglexerit posthabitâ Patrum & Apostolicæ Sedis autoritate parere Pontificio mandato* per literas, quas miserat, significato. Non minatur Zosimus pœnas aliorum jussu infligendas, sed se ipsum dicit districtiùs vindicaturum. Quid verò Siricius? *Quæ solâ*, inquit, *admonitionis autoritate non corigimus, necesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus.* Ex hâc propositione: *Quisquis Siricio monenti obedire non vult, Siricium vindicem suæ autoritatis, & noxæ punitorem experietur*; quid aliud colligendum, quàm quòd tyrannicâ severitate ulcisci noluerit, dum pœnas regulis congruas intentabat? 1. Cor. 5.
Sic Apostolus puniebat incestuosum Corinthium *tradendo Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat*; Sic blasphemos Hymenæum & Alexandrum à communione excludebat, *ut discant non blasphemare:* Sic gaudebat, 1. Tim. 1.
non quia *contristaverat Corinthios, sed quia contristati erant ad pœnitentiam, ut in nullo detrimentum paterentur, & solicitudinem* suam, *quam pro iis habuit, manifestaret.* Tunc justâ, seu *regulis congruâ severitate*, & spiritu Apostolico zelatur Pontifex pro lege, & Apostoli exemplo se conformat, dum admonet, antequam puniat. & dum puniendo *ædificationem, non destructionem* intendit. Cœlestinus & Siricius non pro suâ gloriâ & proprii honoris incremento arbitraria faciebant interdicta, pro fide & disciplinâ tum conservandâ, tum restaurandâ libenter se voluerant *impendere & superimpendi*, ùt Apostolus loquitur. Dum Dei honor & Ecclesiæ publica salus quodam modo periclitari videbantur, debebant ostendere *sibi sui loci rationem constare*; tantò gravior Deo simul & constitutæ in Ecclesiâ supremæ potestati contumelia inferebatur, quantò sæpius interdictum Pontificium fuerat repetitum. 1. Cor. 7.

V. Neque ideò non erat nova præceptio, quia jam idem antea præceptum fuerat. Quis enim neget præcepta decalogi vera esse præcepta, etsi nihil aut præceperint, aut prohibuerint, quod jam antea præceptum, prohibitúmve non fuerat? Potest ad finem, in quem leges Ecclesiasticæ dirigi omnes debent, pro ratione temporum aut locorum novum aliquid, quantùm ad formam & modum, præcipi, aut aliquid tanquam nunc perniciosum prohiberi, quod alio tempore innoxium est; non tunc mera est antiquorum Canonum renovatio, sed novum jus, quantùm ad formam. Jam suprà verbis Illustrissimi de Marca ostensum est, potestatem leges condendi (an leges, an Canones dicantur, nominis potiùs, quàm rei est differentia) convenire Rom. Pontifici. Ex novâ præceptione nova obligatio imponitur, sicut

Judæis,

Judæis, Decalogo promulgato, major erat transgressionis culpa; quanquam antea idololatræ, perjuri, sacrilegi violatores Sabbati, impii in parentes, fures, mœchi, aliique cæterarum legum transgressores sine culpâ non essent.

VI. Liberium laudat Febronius, quòd Constantio Aug. scripserit: *Nunquam mea statuta, sed Apostolica ut essent semper firmata & custodita, perfeci.* Sic Apostolus dixit se non pro suo honore zelatum, imò Christus ipse Apostolos & Pontifices, omnésque Principes modestiam docuit, dum dixit: *Gloriam meam non quæro, sed ejus, qui misit me. Doctrina mea non est mea, sed ejus, qui misit me.* Liberius secutus est morem, ordinémque Majorum; Liberium, aliósque secuti sunt nostræ ætatis Pontifices, dum volunt, ut *suis, imò veriùs Apostolicis pareatur mandatis.* Bene (quis neget) Liberius obstitit, ne quid Episcopatui urbis Romæ decederet. Dum summis perturbationibus implicabatur Ecclesia, furente hæresi Arianorum per Principum potentiam protectâ, de augendâ terrenâ dominatione opportunum non erat inire consilia.

VII. Quæ de S. Gelasio pessimâ fide Febronius consarsit & commiscuit ad Acacii causam spectantia, minimè omnium eò conferunt, quod volebat. Acacius usque ad mortem in schismate & erroribus perstitit. Gelasium, statim ut sancto Felici Papæ, quem impius Acacius è sacris diptychis expungere ausus est, successit, rogabat Euphemius Cpolitanus Patriarcha schismaticus, ut Acacii memoriam in sacris pateretur, eò quòd nihil contra fidem dixisset. Gelasius respondit, eum pessimo exemplo, cùm veritatem non ignoràsset, communicàsse veritatis inimicis: *Adhuc quæritis*, inquit, *quando damnatus fuerit Acacius? Nempe ille, qui Eutychianis detestabili communione factus est particeps, ab eâdem Synodo sinè dubitatione damnatus est, quæ Eutychem, Dioscorúmque cum Successoribus eorum, bisque communicantes Synodico tenore prostravit. Si hæreticorum, vel his aut successoribus communicantium communio vobis placet, eorum dogma simul apertè defendite. Quid juvat dictis polliceri, quod factis negatis? Creditis populum non permittere, submoveri nomina perditorum Acacii & Flavitæ. Dic mihi, rogo te, grex pro te, an tu pro grege reddproviderus es rationem? Veniemus Frater Euphemi ad illud pavendum tribunal Christi; ibi dilucidabitur, utrùm ego, sicut putatis, nimis durus, difficilisque sim vobis.*

VIII. Theodoricus Ostrogothorum Rex, victo & interfecto Odoacre, se Regem Italiæ nominavit, Faustum Magistrum officiorum ad Anastasium Imperatorem misit, ejus relatione compertis querelis Græcorum adversùs Romanam Ecclesiam, quòd Acacium pergeret pro excommunicato habere. Fausto Gelasius per epistolam ostendit, Acacium in excommunicatione mortuum absolvi non posse, cùm Dominus Petro non mortuos, sed mortales subdiderit, dum dixit: *Quæ ligaveris super terram.*

IX.

IX. Pergit Gelasius: *Nobis dum opponunt Canones, nesciunt, quid loquantur; contra quos ipsi venire se produnt, quòd primæ Sedi sana rectâque suadenti parere fugiunt.* Ostendit, Canones non concedere, ut *de judicio primæ Sedis judicetur*, sed mandâsse, ut ejus decretis pareatur: *In hac causâ*, inquit, *solâ Sedis Apostolicæ authoritate dejecti sunt Timotheus Alexandrinus, & Petrus Antiochenus & cæteri, cujus rei testis etiam ipse Acacius, qui eorum damnationem, antequam prævaricator existeret, fuerat executus. Utique hoc Apostolicam Sedem juxta Synodicam formam fecisse manifestum est: siquidem Chalcedonensis Synodus damnando Eutychem eâdem sententiâ fautores involverat. An secundæ & tertiæ Sedis Antistites* (Joannes Alexandrinus & Calendio Antiochenus) *depelli debuerunt, & Religionis inimicus Acacius depelli non debuit?*

X. *Quæro: judicium, quod prætendunt, ubinam putent agitari? An apud ipsos, ut iidem sint inimici & testes & judices? Si quantùm ad Religionem pertinet, nonnisi Apostolicæ Sedi juxta Canones debetur summa judicii totius; si quantùm ad sæculi potestatem, à Pontificibus & præcipuè à B. Petri Vicario debent cognosci, quæ divina sunt, nec sibi hoc de Divinis judicium quisquam potentissimus sæculi, si christianus est, vindicare præsumit, nisi Religionem forsitan persequens. Quapropter non veremur, ne Apostolica sententia resolvatur, quam & vox Christi, & Majorum traditio, & Canonum fulcit authoritas, ut totam potiùs Ecclesiam semper ipsa dijudicet. Sed cogitent magis, si quis in iis Religionis est sensus, ne pravitatem suam nullatenus deponentes, apud Deum hominésque Sedis Apostolicæ perpetuâ Constitutione damnentur.*

XI. En Febroni, quomodo Gelasius fuerit sacrorum Canonum vindex, tutórque. Sacri supremi Principatûs authoritatem intrepidâ & verè Apostolicâ constantiâ ostendit. Euphemio Cpolitano Patriarchæ schismatico communicare noluit. Acacii memoriam in Ecclesiâ detestabilem Anastasii Imperatoris Legato declaravit. Græcis ad Canones provocantibus respondit, eos nescire, quid loquantur. Sacros Canones dixit præcipere, ut Decretis primæ Sedis pareatur, ipsos græcos primæ Sedi sana rectâque suadenti obedientiam detractare. Dixit in causis Religionis nonnisi Apostolicæ Sedi juxta Canones totius judicii summam deberi. Quis Romanorum Pontificum aliquando majori, quam Gelasius libertate Sedem Apostolicam vindicavit? Sedis Apostolicæ judicium dixit voce Christi, Majorum traditione, Canonum authoritate fulciri. Isidori decretales non vidit, & tamen (mirare Febroni Pontificem puriorum temporum) cum imperio loquitur tanquam in Ecclesiâ Christi, tunc potestatem habens, & quidem supremam.

XII. Illud Episcopi Dardaniæ agnoverunt: *Desiderii* (scribunt Gelasio) *& voti nostri est Jussionibus vestris in omnibus obedire, & quemadmodum à Patribus nostris accepimus, Sedis Apostolicæ præcepta intemerata servare. Eutychis, Petri, Acaciique pestifera contagia ante vestram quoque vitavimus*

 jussio-

jussionem. Qui pravâ intentione à Sede Apostolicâ se crediderint segregandos, ab eorum nos alienos esse consortio profitemur. Unum ad nos præcipite destinari, ut sub ejus præsentiâ, quæ fides orthodoxa & vestræ jussionis sinceritas postulat, ordinetur.

XIII. Gelasius ad eos misit Ursicinum Episcopum cum literis Fidei professionem continentibus.

XIV. Etiam Honorio Dalmatiæ Episcopo misit articulos: *Hos*, inquit, *quisquis putaverit abjiciendos, ab Apostolicis se non ambigat exulare doctrinis.*

XV. Aliâ epistolâ Dardaniæ Episcopis declarat: *Nemo vobis persuadeat, Acacio prævaricationis crimen fuisse laxatum, absolutionem, quam superstes nec quæsivit, nec meruit, mortuus non potest impetrare.*

XVI. Cùm respondissent, multis Acacium non videri jure damnatum, utpote non damnatum Synodi sententiâ, seu his, quos Concilium Chalcedonense damnavit, non adnumeratum; hoc ita retundere non distulit: *Percurrere vos oportet ab ipsis Beatis Apostolis, & considerare prudenter, quoniam Patres nostri Catholici Pontifices in unaquaque hæresi, quidquid pro veritate, pro communione Catholicâ, factâ semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps, firmúmque constare; authore cujuslibet insaniæ ac pariter errore damnato sufficere judicârunt, ut quisquis aliquando hujus hæresis communicator existeret, principali sententiâ damnationis ejus esset obstrictus: nullus autem Christianus ignorat uniuscujusque Synodi constitutum non aliam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ & unamquamque Synodum suâ authoritate confirmat, & continuâ moderatione custodit, pro suo scilicet Principatu, quem B. Petrus Domini voce perceptum & tenuit semper, & retinet.*

XVII. Acacius non solùm despexit satisfacere postulatis Sedis Apostolicæ, sed Legationem præmiis, perjuriisque decepit atque corrupit; igitur secundùm formam Concilii Chalcedonensis, quâ error, cui communicavit, elisus est, suo judicio condemnatus apparuit, justéque Sedes Apostolica ipsum à suâ communione submovit.

XVIII. Hoc tenore etiam Timotheus Ælurus, atque ipse Alexandrinus Petrus non repetitâ Synodo, solâ authoritate tantummodo Sedis Apostolicæ, ipso quoque Acacio postulánte vel exequente judicatus est, & damnatus. Non reticèmus autem, quòd cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quòd de omni Ecclesiâ jus habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicio judicare; siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illâ autem nemo sit appellare permissus. Quapropter cùm satis constet Acacium nullum habuisse Pontificium, Petrum sententiâ Sedis Apostolicæ damnatum, dicant certè, quâ Synodo hoc ille

præ-

præſumpſerit, quòd nec ſic quidem abſque Apoſtolicâ Sede fas haberet efficere.

XIX. Sed nec illa prætermittimus, quòd Apoſtolica Sedes frequenter more Majorum etiam ſinè ullâ Synodo præcedente & abſolvendi, quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi nullâ exiſtente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem.

XX. Id probat exemplis Athanaſii, Chryſoſtomi, Flaviani. *Hos*, inquit, *à Synodis damnatos, Apoſtolica Sedes ſola, quia non conſenſit, abſolvit, & Dioſcorum ſuâ authoritate damnavit, & impiam Synodum Epheſinam II. non conſentiendo ſubmovit, ac pro veritate ut Synodus Chalcedonenſis fieret, ſola decrevit, in quâ Pontificibus innumeris, qui latrocinio corruerant Epheſino, veniam poſcentibus ſola conceſſit, & in perfidiâ permanentes ſuâ authoritate proſtravit. Quam Congregatio* (Chalcedonenſis) *eſt ſecuta, quoniam ſicut id, quòd prima Sedes non probaverat, conſtare non potuit, ſic, quòd illa cenſuit judicandum, Eccleſia tota ſuſcepit.*

XXI. Tres alios Tractatus edidit Gelaſius ad confundendas poſtulationes fautorum Acacii: *Quâ*, inquit, *ratione vel conſequentiâ aliis ſedibus deferendum eſt, ſi primæ Beatiſſimi Petri Sedi antiqua & vetuſta reverentia non defertur, per quam omnium Sacerdotum dignitas ſemper eſt roborata atque firmata.* In ſecundo Tractatu redarguit Orientales Epiſcopos, quod cum Petro Moggo & Petro Fullone, aliiſque Schiſmaticis communicaverint. In tertio jura utriuſque poteſtatis, Pontificalis & Regiæ ita exponit: *Fuiſſe in veteri lege* Reges pariter & Sacerdotes, ùt Melchiſedech; ſed *in novâ*, inquit, *nec Imperator Pontificis nomen impoſuit, nec Pontifex Regale faſtigium vindicavit: Chriſtus ſic actionibus propriis, dignitatibúſque diſtinctis officia poteſtatis utriuſque diſcrevit, ut & chriſtiani Imperatores pro æternâ vitâ Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium curſu rerum Imperialibus diſpoſitionibus uterentur, quatenus ſpiritualis actio à carnalibus diſtaret incurſibus, & ideo militans Deo minimè ſe negotiis ſæcularibus implicaret, ac viciſſim non ille rebus divinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſæcularibus implicatus.* En quàm verè dixerim peſſimâ fide Febronium ad Gelaſii judicium provocâſſe, & quæ de Acacio ſcripſit ſanctus ille & doctiſſimus Pontifex, ad ſua paradoxa ſuffulcienda infelici ac temerario conatu congeſſiſſe.

XXII. Promiſerat ſe probaturum, quòd Papa ſolus non habeat poteſtatem condendi leges, quæ vim habeant ante communem Eccleſiæ conſenſum; jam probat verbis Boſſueti totam Orientalem Eccleſiam ſolâ Sedis Apoſtolicæ authoritate fuiſſe compulſam, ut pareret Decretis Chalcedonenſibus. Quis illa disjuncta & contraria componat? Eccleſias Orientales quaſcunque, etiam Majores diſſentientes compellit Gelaſius, ùt Sedi Apoſtolicæ conſentiant. Idem & author & executor eſt Petrus, ſeu ejus Succeſſor Rom. Pontifex, ut capiti connexa ſit fides Eccleſiarum; & tamen Rom. Pontifex nullâ

Synodo interveniente fretus est consensione Ecclesiarum, ut contra Orientales Ecclesias fiducialiter & authoritate insuperabili agat. Implicatum hunc nodum Febronius dissolvat, quarum Ecclesiarum consensio fecerit totam Orientalem Ecclesiam obedire Gelasio, eúmque secutis Rom. Pontificibus.

XXIII. Quid autem titulus Cap. 5. ex Lib. 3. S. Bernardi de Consid. transcriptus à Febronio ad systema illius fulciendum afferre possit, nemo sani judicii & bonæ mentis intelliget. Hortatur Eugenium Bernardus, ut sua, quæ recenter ediderat, Apostolica Decreta institutis Majorum sapienter conformata exequatur, neque sufficiat Eugenio, præclarè multa de reformatione Cleri statuisse, sed adnitatur executioni mandare, quæ tum Rhemis per Synodum, tum proprio suo jussu præceperat. Quis hæc cum Febronianâ ideâ componat?

XXIV. Quæ Illustrissimus Bossuetus Gelasio, aliísque antiquis Pontificibus dedit præconia, quòd invicti fuerint, dum secundùm Canones rem gerebant, quòd solâ Sedis Apostolicæ authoritate Imperatores, totámque Orientalem Ecclesiam ad condemnandos perduelles, nullâ etiam Synodo interveniente perpulerint, certè sunt splendida & magnifica. Quid verò ad hæc Febronius? Contrarium (inquit) sanctissimæ hujus disciplinæ observamus in hodiernâ politicâ Romanâ. Promittit se hoc in Cap. 3. probaturum; ibi ejus criseos inanitatem opportunè perstringendi occasio dabitur.

XXV. Addit denique inter Primatum Papalem & Ordinem Episcoporum hanc suo more differentiam, quòd jura Primatûs plura ex humano, quàm ex divino jure sint; Ordinis autem Episcoporum asserit ferè omnia esse ex jure divino, parem utriusque juris & æqualem esse rationem debere.

XXVI. Hoc dictis Gregorii M. & Gregorii VII. probare nititur. S. Gregorius M. dixit: *Sicut nostra exigimus, ita singulis sua jura servamus.* S. Gregorius VII. dixit: *Sicut Rom. Ecclesiæ debitum honorem impendi à cæteris Ecclesiis, ita unicuique Ecclesiæ proprium jus servare desideramus.* Innocentius III. dixit: *Sicut* jura nostra volumus servari, sic aliorum *volumus illibata servare.* Quis aliquid ex his argumenti pro Febronio colligat? Hi integerrimi vindices S. Sedis Apostolicæ scripserunt, quæ scripsit Benedictus XIV. senserunt, quæ ille sensit, dum dicit: *Ob conjunctionem & necessitudinem, quam membra cum suo Capite habere oportet, maximè decet, ut Episcopi primæ Sedis prærogativas sedulò defendant, & pro viribus promoveant. Suam enim*, inquit, *causam agunt, cùm supremi Pastoris authoritatem propugnant & sustinent; quoniam si hujus jura pervertantur, paulatim pariter inferiorum Præsulum jurisdictio nutabit, & corruet.* Vicissim ab Apostolicâ Sede dicit Episcopos consilium & præsidium quærere oportere, ut Episcopalia jura illibata serventur. Dicit autem accidere interdum aliquot Episcopos deceptos à quibusdam Doctoribus, potestatem uni Rom. Pontifici competentem sibi sumere & ultra præscriptos limites Episcopalem jurisdictionem protendere.

Benedict. XIV. Lib. 9. de Synodo Cap. 1.

Per-

Per hoc oftendit difciplinam everti, & hierarchiam divinitus inftitutam labefactari, membris caput fubjici.

XXVII. Quòd *par debeat effe & æqualis ratio defendendi jura Primatûs & jura Epifcopalia*, paradoxon eft Febronianum & non habens habens formam fanorum verborum. Peffimum eft hoc ejus epiphonema: Si Canonum tutor & vindex non folùm non defendat, fed tollat aut evertat, quæ Canones Ordini Epifcopali propria fecerunt (quod à fe demonftratum effe falfiffimè præfumit) naturale eft, ut quoad ufque officii fui partes debitè refumpferit, tutor ille non agnofcatur. Hoc verò eft claffiicum canere ad fchifma fufcitandum. Præjudicata opinio inferioris de aliquo fuo jure aut non defenfo, aut etiam imminuto vel fublato jus non facit fuperioris authoritatem detrectandi aut excutiendi.

§. VIII.

Quale jus habeat Pontifex fidelibus univerfalis Ecclefiæ obfervanda proponendi.

1. *Quæ fit poteftas legislativa Pontificia ad mentem Febronii.*
2. *Probare nititur ex verbis Chrifti*: Quem vos me effe dicitis?
3. *Febronius dicit quædam credenda & facienda ftatim acceptari finè deliberatione.*
4. *Pro exemplo ponit dictum S. Petri Act.* 1. Oportet impleri Scripturam.
5. *Oftenditur textus, quos applicabat S. Petrus, non clarè oftendiffe Judam.*
6. *Catholici non dicunt neceffarium effe, quòd Papa præ cæteris fit gnarus communis traditionis.*
7. *Ineptè ratiocinatur Febronius ex verbis S. Leonis.*
8. *Quid S. Leo tribuerit* affenfui univerfæ fraternitatis.
9. *S. Leoni tribuit Febronius, concilio opus effe, fi Epifcopi diffentiant.*
10. *Eadem eft fententia Anticonftitutioniftarum.*
11. *Non ad quaslibet diffenfiones finiendas Febronius Synodum requirit.*
12. *Quæ fuerit feditio Act.* 15. *an debuerit ideo inftitui Synodus.*
13. *Improba hypothefis Febronii*, fi Papa imponat univerfæ Ecclefiæ, *perftringitur.*
14. *Quid in S. Cypriano laudetur à S. Vincentio Lerinenfi & S. Auguftino.*
15. *Expenduntur verba S. Auguftini*: Plures hæreíes, ubi exterunt, illic damnari meruerunt.
16. *Nicætes fchifmaticus eadem verba objecit Anfelmo.*
17. *Anfelmi Havelbergenfis Epifcopi refponfum pro fide Apoftolicâ.*
18. *Quæ fuerit mens S. Auguftini.*
19. *Quæ Juftiniani in L.* Cognofcere *Cod. de Ss. Trinit.*

I. Inter Canones Febronianos §. 4. hujus Capitis propositos, verbis Dupinianis conceptos constitutum, fixúmque est, posse Pontificem leges condere (quod Febronio hîc plus non est, quàm verba figuram legis repræsentantia contexere) & toti Ecclesiæ observandas proponere, non tamen, nisi fuerint communi omnium consensu receptæ, vim habituras.

II. Illud, suo more ex S. Scripturâ & Patribus demonstrare ita conatur: Christus interrogavit omnes: *Quem vos me esse dicitis?* Unus respondet pro omnibus; ita vult Petri Successorem loqui ad Ecclesiam ex communi sensu eorum, qui Apostolis successerunt, & ex traditione universali. Quasi verò & Christus *beatos* dixerit omnes, dum *beatum* dixit unum, & divino elogio prædicaverit neminem omnium *ad carnem & sanguinem*, sed omnes ad *PATREM* omnibus æqualiter inspirantem & revelantem attendisse.

III. Febronius quædam Fidei tam apertè consonare opinatur, ut ne contumaces quidem negare audeant, quandam esse vocem Ecclesiæ, quam Catholici haud graviter audiant ante omnem sententiam, magis autem, dum *ab altissimâ*

ſimâ (ùt jam loqui amat) *Petri Sede prolatum judicium ad omnes Eccleſias dilabitur.* Exemplo eſſe poterat Conſtitutio Clementis XIII. quâ Præfationem de Ss. Trinitate præſcripſit in diebus dominicis legendam, & hoc Ss. Myſterium laudavit.

IV. Maluit iterum uti exemplo S. Petri, quòd nempe Act. 1. *exurgens in medio fratrum dixerit: Viri fratres, oportet impleri Scripturam &c.;* hæc (inquit Febronius) cùm viſa eſſet omnibus manifeſta, nullius exquiſita eſt ſententia, ſed in verbo Petri omnes agnoverunt ſenſum Scripturæ.

V. Falſum hoc, ſi quidquam. Agebatur de aliquo in locum Judæ ſufficiendo. Petrus ad Scripturam provocabat illam, quam prædixit Spiritus S. per os David de Juda. Subjungit S. Lucas Author Actuum Apoſt. *Scriptum eſt enim in libro Pſalmorum: fiat commoratio eorum deſerta, & non ſit, qui inhabitet in eâ.* Et: *Epiſcopatum ejus accipiat alter.* Priora verba in Pſalmo 68. leguntur, in quo poſt verba: *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti meâ potaverunt me aceto*, dicit David de his inter alia: *Fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit, qui inhabitet.* Poſteriora autem verba ex Pſalmo 108. ſumpta ſunt. Niſi Petrus tum prima, tum altera Judæ applicuiſſet, quis cujuſcunque ſæculi interpres diceret, manifeſtè ea Judam concernere? Et quis ſeu Theologus, ſeu etiam Juriſconſultus prudenter dixerit, manifeſtum eſſe, quòd in locum Judæ propter ea Davidica verba ſufficiendus ſit alius? Certè S. Chryſoſtomus in hoc Cap. 1. Act. Apoſt. Petrum laudavit his verbis: *Non dixit, nos ad docendum ſufficimus, uſque adeo aberat ab omni inanis gloriæ ſtudio.* Cui ergo manifeſtum eſſe potuit, niſi Febronio per phantaſiam utcunque deluſo, quòd in Petri ſententiam, nullius antè poſtulato ſuffragio, omnes ire debuerint, cùm nec manifeſtum eſſet, in locum Judæ ſubſtituendum eſſe alium, nec manifeſtum eſſet oracula Davidica præſignificâſſe traditorem.

VI. Nemo Catholicorum tribuit Rom. Pontifici inſignem illam præ omnibus mortalibus eminentiam, quòd ſi tanquam unus Epiſcoporum conſideretur, *præ cæteris* hominibus *gnarus* ſit *communis traditionis, eámque faciliùs indagare poſſit*, quàm quiſcunque alius. Et cui perſuadeat Febronius, Damaſum fuiſſe Hieronymo doctiorem? Neque Benedictus XIV. aut Clemens XIII. aliquando ſibi hanc præcellentiam potuit arrogare; neque propterea Eccleſiarum aliarum Antiſtites Rom. Pontificem centrum communicationis appellant, quòd inſtar Salomonis quæcunque ænigmata queat explicare, quaslibet implicatas quæſtiones promptè reſolvere. Hanc Rom. Pontificis facultatem fictitiam nec omnes, nec ferè omnes recognoſcunt; ſua ſibi ſomnia fingit Febronius, tantùm ùt S. Sedi illudat.

VII. Iterum S. Leo producitur in ſcenam, ut agat cauſam Febronii. Quàm verò? Illam, quòd in Petri Decreto non ſit ſententia Petri tanquam ſupremo jure definientis, ſed totius Eccleſiæ ſententia communis. Quo-

modo autem S. Leo huic suffragatur, aut quibus verbis? Febronius respondet, S. Leonem hoc his verbis dixisse: *Manet Petri privilegium, ubicunque ipsius fertur æquitate judicium.* Hem lepidam probationem! Ostendit contextus verborum, quòd judicia summi Pontificis *nec* debeant esse *per nimiam severitatem constricta, nec per nimiam remissionem laxata, ut maneant firma ubicunque.* Quis vel cis, vel citra Alpes hoc negat? Quis ratiocinando id inde colligat, quod intulit Febronius?

VIII. Quis aliam ex S. Leonis epistolâ ad Theodoretum scriptâ eductam sententiam Febronio credat patrocinari? Scribit fuisse recepta, & *universæ fraternitatis irretractabili assensu firmata, ut in hoc quoque Capiti membra concordent.* Quod antea Papali authoritate fuit definitum, postea fuit receptum; ergo dum Leo Papa definiebat, dum prima sedes decretum formabat, tunc non definiebat Ecclesia tota, sed Caput Ecclesiæ; proferebat judicium ille, penes quem erat imperandi authoritas; obediunt subditi, penes quos est parendi necessitas; atque tunc monstratur Capitis & membrorum concordia.

IX. Salvâ proprietate verborum sustineri nequaquam potest id voluisse S. Leonem, quod ei affingit Febronius; imò illud à S. Leone alienissimum est, quod ejusdem sententiæ subjungit, *recurrendum esse ad Synodum communem, si fratres inter se, maximè verò Episcopi collidantur, aut seditio gravis oriatur.* Si res ita se haberet, in impiorum arbitrio erit facere necessitatem generalis Concilii. Quesnellianæ turbæ recens admodum dederunt exemplum. Constat Episcopos inter se fuisse collisos, favisse aliquos Quesnello, hos paucos aliorum non cessisse multitudini.

X. Censuit Quesnellus & cum eo appellantes Episcopi, universali Concilio finiendam esse quæstionem.; cum Quesnello sentire Febronium, ex his ejus verbis non obscurè colligitur. Ingratum non foret Quesnello, si viveret, Febronianum pronuntiatum: si Pontifex extra Concilium aliquid ita ediceret, ut in ejus eloquio non recognoscatur traditio Ecclesiæ, his eam non recognoscentibus competit jus contradicendi.

XI. Non equidem ob quamvis quæstionem censet Febronius convocandum esse Concilium, sed tunc, si *graves dissensiones oriantur de re magnâ, obscurâ, ancipiti, nebulis involutâ.* Quid hac phrasi lepidius? Atqui & hoc Quesnellus, eisque adsentientes in 101. propositionibus damnatis reipsâ deprehendi censuerunt, agi de *re magnâ, obscurâ, ancipiti, nebulis involutâ.* Idem Febronius dicet de bello, quod suscitavit, monarchistico.

XII. Verum est Act. 15. mentionem fieri de factâ *seditione non minimâ*; sed & illud verum est, multitudinem antea scissam in partes repentè coaluisse, & modesto silentio omnes, dum Petrus locutus fuerat, acquievisse. Profecti sunt Antiochiâ Hierosolymam cum Apostolis contradictores, ibi auditis rationum in utramque partem momentis statim cessatum est ab altercatione, & statim postea Antiochena seditio fuit extincta. Dic Febroni quo

textu

textu probes debuisse propterea illud iter institui, quod institutum fuisse constat? Sed nullus S. Scripturæ textus necessariò instituendum fuisse docuit.

XIII. Improbè hanc hypothesim facit Febronius: Si Papa non proponat, sed imponat universæ Ecclesiæ, & imperet injusta. Probandæ hypothesi operam frustra insumpsit Maimburgus, Dupinus, alii. Quod nequierunt Magistri, frustra tentabit Discipulus.

XIV. In S. Cypriano laudavit Augustinus, quòd martyrio & apertâ retractatione eluerit infirmitatem, quam humanitus passus fuit; nunquam verò laudavit, quòd duobus Ss. Pontificibus obstiterit. Excusavit Bellarminus S. Martyrem, sicut excusavit S. Vincentius Lerinensis, dum scripsit de hoc errore tunc, dum vivebat Cyprianus, disputato, postea damnato: *Absolvuntur*, inquit, *Magistri, damnantur Discipuli.* Quod Ecclesia postea damnavit, quod Ecclesiæ judicio postea fecit assertores æternùm perire, illud S. Augustinus, aliique omnium ævo S. Cypriani posteriorum temporum Catholici non laudârunt, neque jam laudabimus; pium verò est S. Martyris intentionem non perstringere acerbiùs, sed humanæ infirmitati, non autem improbæ malitiæ tribuere, quod ab ipsomet S. Martyre fuisse retractatum Augustinus existimat.

XV. Pergit Febronius, ut supremam Rom. Pontificis authoritatem, quantùm in ipso est, aut labefactet, aut minuat, ad S. Augustinum denuo provocare; negavit, inquit, opus fuisse congregatione Concilii *ad apertam perniciem damnandam*; quo asserto nihil est certius: sed per annexa illi asserto S. Doctoris verba: *Multò incomparabiliter plures sunt hæreses, quæ ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt.* Notetur (inquit Febronius) *ubi extiterunt, illic*, necnon: *inde devitandæ.* Sed huic observationi addidit suo ingenio: *Nullâ censuræ Romanæ factâ mentione.* Dic Febroni, an Augustinus, sicut dixit, multò incomparabiliter plures hæreses absque Synodo, quàm in Synodis damnatas esse, ita absque ullâ Censurâ Romanâ multò plures damnatas esse, quàm per judicium Sedis Apostolicæ? Nunquam hoc dixit Augustinus, neque dicere potuit. Negavit opus esse Conciliis, sed Sedis Apostolicæ authoritatem non exclusit.

XVI. Nicætes schismaticus in Colloquio, quod cum Anselmo Havelbergensi, ùt jam supra memoratum est, habuit, eandem S. Augustini sententiam objecit.

XVII. Respondit Anselmus: *Quod autem dixisti, hæreses hic exortas, hic esse mortuas, & hoc dixisti authoritate Ss. Patrum, qui fuerunt in Oriente, miror*, inquit, *tuam prudentiam, quòd hoc adscribas membris, quod erat Capitis, & quod assidentibus hoc tribuas, quod constat esse præsidentis. Ss. Patres, qui Concilio Nicæno & aliis interfuerunt, si hodie omnes viverent, nullus eorum, nec omnes simul aliquam authoritatem Concilii sibi usurparent, quin*

 potiùs

potiùs omnem Conciliorum authoritatem Rom. Pontifici recognoscerent, aut in propriâ personâ præsidenti, aut per Legatos universa confirmanti. Sciendum est ergo, quòd hæreses hìc exortæ sunt Græcorum quidem errore, sed & hìc destructæ sunt non Græcorum, sed Rom. Pontificum authoritate. Tum recitatis monumentis historiæ Ecclesiasticæ pergit Anselmus: *Ecce vides, quaslibet hæreses hìc & ubique exortas à petra fidei per Petrum Apostolum collisas & destructas.* Addit: *Constat Rom. Ecclesiam duo privilegia divinitus habere, præ omnibus incorruptam puritatem fidei, & super omnes potestatem judicandi.* Tum Nicætes Nicomediensis victum se profitetur per antiqua gesta Rom. Pontificum & Conciliorum Actiones, quæ in S. Sophiæ Archivo tunc asservabantur: *In his*, inquit, *reperiuntur eadem, quæ dixisti de authoritate Rom. Ecclesiæ, & ideo non parva inverecundia nobis esset, si ea negaremus, quæ apud nos à Patribus nostris scripta præ oculis habemus.*

XVIII. Magis autem inverecundè Febronius id S. Augustino tribuit, quod ab ejus sententiâ plurimis aliis locis expresâ scit esse alienum. Quid enim hoc argumenti est: S. Doctor Bonifacio I. probat Concilii congregatione opus non esse; probat in Asiâ, in Africâ & natas & damnatas esse hæreses quàm plurimas non convocato antea Concilio, & dum hoc probat, mentionem non facit censuræ Romanæ; ergo sicut sinè Concilio plurimæ hæreses damnatæ sunt, ita plurimæ sinè judicio Sedis Apostolicæ damnatæ sunt.

XIX. Certè alia fuit Justiniani Augusti sententia, qui Epiphanio Cpolitano Patriarchæ scripsit: *Quoties eo in loco* (Diœcesi Cpolitanâ) *Hæretici pullulârunt, ex sententia & recto judicio illius venerabilis Sedis* (Sanctissimi Papæ veteris Romæ) *coërciti sunt.* Ideo voluit, ut ad infringendos Hæreticorum errores servetur unitas Ecclesiarum cum Sanctissimo Papâ veteris Romæ: *Nec enim patimur*, inquit, *ut quidquam eorum non etiam ad ejusdem referatur Beatitudinem.*

L. Cognoscere Cod. de St. Trin.

XX. Æquè infirmum illud est, quod ex trium Augustorum Rescripto Febronius struit, argumentum. Dicunt Augusti, in Religione à Petro traditâ se velle versari, *quámque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum*; inde hæc thesis generalis elicitur: Quando in edicto publico de Fide proponitur traditio sive à Papâ, sive ab alio, non provocatur tantùm ad Ecclesiam Romanam, sed etiam alias, præcipuè Apostolicas. Tale hoc argumentum est: S. Augustinus provocavit ad Ss. fœminas Martyres; ergo sive Papa, sive quisquis alius ostendat fidem esse fortiter defendendam, generaliter provocatur ad confessionem Ss. fœminarum. Piè provocabant Cæsares ad Damasum propter authoritatem S. Sedis, simul & ad S. illum Episcopum Alexandrinum, cujus tunc virtutes Religionis sanctitatem comprobabant. Sic aliorum tunc viventium Sanctorum exempla utiliter addere poterant, cùm omnes, quotquot tunc Sancti erant, in fidei unitate cum Ecclesiâ Romanâ communicarent. Alexandrinâ, aliisque in Oriente

Lib. 1. Cod. de summâ Trinit.

ente Apoſtolicis Eccleſiis poſtea à Rom. Eccleſiâ disjunctis ſemper incorrupta fides Eccleſiæ Romanæ permanſit; & hi omnes ac ſoli orthodoxi reputati ſunt, qui cum Eccleſiâ Rom. communicarent. Ideo Juſtinianus ſcribit Hormisdæ Papæ: *Omnes Sacerdotes ſequentes veſtram ſanctitatem, & cuſtodientes ſtatum & unitatem ſanctarum Dei Eccleſiarum, quam habent ab Apoſtolicâ veſtræ ſanctitatis Sede, uno conſenſu confitentur S. Trinitatis Myſterium.*

XXI. Carolus M. Leoni Papæ de Elipando & Felice ſcribit: *Ad Beatiſſimum Apoſtolicæ Sedis Pontificem de hâc novâ inventione direximus ter quaterque Miſſos noſtræ devotionis, ſcire cupientes, quid ſancta Rom. Eccleſia Apoſtolicis edocta traditionibus de hac reſpondere voluiſſet inquiſitione.*

XXII. Argumentum, quod ineptiſſimè formavit, Innocentii I. Pontificis authoritate nititur fulcire, quòd Alexandro Antiocheno data ſua reſponſa vel per Synodum, ſi fieri poſſit, vel per has, quas mittebat, literas voluerit communicari, ut omnium ſtudio, conſenſúque firmarentur ea, quæ reſponderat. Lepidè dicit magis Innocentio arriſiſſe communicationem per Synodum tanquam magis authenticam: quaſi vel eæ literæ id ſignificâſſent, vel medium defuiſſet Pontifici, quo Epiſcopis literarum ſuarum authentiam oſtenderet. Lepidum hoc etiam, quòd, ſi Fidei decreta cenſuiſſet Innocentius conſenſu ſtudióque omnium firmanda, penes ipſos agnoverit *deliberandi atque diſſentiendi facultatem.*

XXIII. An dum Clemens XI. Conſtitutionem dogmaticam *Unigenitus* ad Epiſcopos & Univerſitates Germaniæ miſit, his judicavit eſſe facultatem deliberandi atque diſſentiendi?

XXIV. Longè alia fuit declaratio Univerſitatis noſtræ, dum prælectâ Conſtitutione declarârunt ejuſdem Magiſtri. 1. Irrefragabilem eſſe Rom. Pontificis determinationem ſolennem toti Eccleſiæ factam ex Cathedrâ. 2. Conſenſum ſeu acceptationem fidelium nec huic nec aliis Conſtitutionibus dogmaticis Rom. Pontificis aliquam efficaciam addere, quin potiùs ex eo, quòd in materiis fidei & morum decretis Pontificiis ſemper Eccleſiæ conſenſus acceſſerit, ex omni retro ſæculorum hiſtoriâ certiſſimum eſſe, quòd judicium & determinatio ſolius ſummi Pontificis debeat haberi pro irreformabili. 3. Non requiri ſolennem & expreſſam acceptationem Eccleſiarum particularium, ut dicatur acceptata; ſed ſufficere, quòd Papa loquatur, & Eccleſia taceat, ſicut, dum Petrus locutus eſt, tacuit omnis multitudo; ideo Decano proponente: *Cenſetisne, agendas eſſe gratias Deo, & acclamandum ſummo Pontifici de editâ, diu deſideratâ & neceſſariâ Bullâ,* reſponderunt omnes Doctores: *Româ Reſcripta venerunt, cauſa finita eſt.*

XXV. Ut verò certiùs intelligatur, quàm inutiliter ad Innocentii I. epiſtolam Febronius provocaverit, inſpiciendum eſt attentiùs, quid Alexander Antiochenus Rom. Pontifici propoſuerit, & quæ viciſſim reſponſa ad ſuas conſultationes à Pontifice acceperit. Patriarchæ Antiocheno reſcripſit Innocentius

centius: Ne finè Antiocheni consensu creentur inposterum in provinciis Antiocheno subditis Metropolitani, cæterique Episcopi, præsertim in Cypri provinciis, quarum Episcopi se Antiocheno Hierarchæ subduxerunt per Arianorum Principum dominationem. Præterea: Ne, quod Imperatores malè concesserant, duo Metropolitani eodem in loco ordinentur, quâ Metropolitarum inutili multiplicatione sacra illa authoritas minuenda & vigor Ecclesiasticæ disciplinæ collapsurus videbatur. Denique: Ut Arianorum Clerici ad officia Orthodoxorum minimè admittantur. Ad urgendam hujus Pontificiæ ordinationis observantiam Antiochenus eodem Rescripto jubebatur, Asiaticarum Ecclesiarum Episcopis vel singulis mittere literas, quibus prædicta definit, vel conjunctim Episcopis in Synodo congregatis eas recitare.

XXVI. Non itaque Innocentius ea, quæ statuerat, Asiaticorum Episcoporum judicio, ac discussioni ulteriori relinquere voluit, sed supremo suo jure obedientiam eorum exspectabat; neque Antiochiam Cyprios, aliósque Episcopos Alexander convocavit, ut eorum arbitrio & sententiis responderetur ad quæstiones, quæ potissimùm ad restringendam electionis Episcopalis libertatem tendebat; eam utique salvam non pauci maluissent; etiam consuetudo, quæ jamtum apud eos invaluerat, Imperialibus Constitutionibus erat suffulta. Certè si Episcoporum consensus assensúsque non Innocentii tantùm, sed & Alexandri Antiocheni judicio necessarius fuisset, consulenti Patriarchæ respondisset Innocentius, anteà Episcoporum ejus provinciæ judicia explorari oportere; at nec illud Alexander voluit; nec voluit Innocentius. Quorsum ergo Papalium literarum talis communicatio, qualis Alexandro magis opportuna videretur, seu in Synodo, seu extra Synodum facienda spectabat? Jussit sua responsa deferri ad notitiam Episcoporum, *ut ea* (inquit) *quæ ipse tam necessariò percontatus es, & nos tam elimatè respondimus, communi omnium consensu, studióque serventur.* Febronius maluit: *firmentur.* Quid autem magis congruum est summo Legislatori Ecclesiastico, quàm à subditis, cùm lex promulgatur, exspectare, ut conformi observantiâ, studióque communi provinciarum Præsides eam servent & exequantur? Contingit hic, quod aliàs sæpè, Febronio, quòd novum pro supremâ potestate legislativâ Pontificis afferat argumentum, dum animi præsensione occupatus eam à se novo ariete pulsari credebat, ideo pro voce, *serventur*, placuit ei legere vocem, *firmentur*, ut robur firmitatis ab Episcoporum suffragiis Innocentio exspectandum fuisse significaretur.

XXVII. Aliud argumentum novus hic Censor Sedis Apostolicæ comminiscitur. In Concilio, inquit, Lateranensi II. Innocentius II. *Decretum* Gratiani publicavit, ejúsque receptionem procuravit. Ergo per te Febroni decretum Gratiani jam anno 1139. quo laudata Synodus fuit celebrata, innotuit?

XXVIII.

XXVIII. Cui mortallum turpi hoc parachronismo fidem facies?

XXIX. Vetustissimum exemplar Vaticanum docet *Decretum* Gratiani Monachi anno 1151. fuisse compilatum, Chronicon Ecclesiæ Ravennatis ei consonat. Idem Editores in Prologo Editionis Parisiensis anni 1612. confirmant. Ab Heterodoxis *Decreti* hujus natales ad Eugenii III. Papatum, non verò Innocentii II. referuntur. Guillelmus Cave Anglicus asserit illud opus, anno 1151. editum, statimque Eugenium Papam illud approbâsse, atque, ut in Academiis publicè legeretur, mandâsse. Vetustissima denique inscriptio in Sacello S. Sebastiani Bononiæ laudatam compilationem pariter refert ad annum 1151, *D. O. M. Gratiani Clusini Cæs. Jur. & Pont. enucleatoris propè divini, qui Monachus in Martyrum Felicis & Naboris æde absolutissimum ibidem opus Decretorum anno MCLI. compilavit; monumentum, quòd carie, ruderibúsque obsorduerat, hic magnificentius renovatum, Joannes Franciscus Aldebrandus Bononiensis IV. Dictator ære publico restauravit anno salutis MCCCCXCVIII. Idib. Junii Joanne Bentivolo II. P. P. Remp. feliciter gubernante.*

XXX. Ne tamen sinè teste Febronius loqui videatur, vadem allegat Ordericum Vitalem, qui in Angliâ eodem sæculo historiam Ecclesiasticam scripsit. Sed dum hic historiam ultra dicti Sæculi 1142. annum non producit, quomodo erit idoneus testis eorum, quæ ferè decennio post acta sunt in Italiâ? Innocentium II. in Concilio Lateranensi *multa de priscis Codicibus propalâsse*, ait Vitalis. Hoccíne est Vitalem Febronio hac in re suffragari? An inde rectè conficitur, eundem Pontificem in Concilio compilationem Gratianeam produxisse, laudâsse, reversósque ad sua Patres & Doctores Gratiani Decretum per regna divulgâsse? Hoc verò lepidissimum est Febronii commentum, publicationem illam ità dicti Decreti velut *generalem insinuationem principiorum Monarchicorum* censeri posse, & *Principes statim subolfecisse, quid Aula Romana per hanc insinuationem adfectare.* Audacter ad hoc probandum verba Orderici refert, quanquam hæc ideam imprimant à Febronianâ penitùs alienam. Scribit Ordericus Vitalis: *Nimis abundans per universum orbem nequitia obduravit corda terrigenarum contra Ecclesiastica scita. Unde... nihil profuerunt Apostolica Decreta oppressis & opem desiderantibus* (Ecclesiasticis) *quoniam à Principibus & Optimatibus, & subjectis plebibus parvi pensa sunt.* Non itaque imaginaria subodoratio Monarchiæ per Aulam Romanam adfectatæ, sed *nimis abundans nequitia terrigenarum* Decretis Apostolicis obstitit. En, quò pruritus Scriptoris undequaque ad perstringendam Sedem Apostolicam corradendi ratiocinia, quantumcunque ad probandum, quòd intendit, ineptissima possit abripere stilum, & ingenium.

XXXI. Sed ne id quidem Guilielmo Caveo, Böhmero, aliísque Protestantibus dandum; quòd Eugenius Papa Decretum Gratiani approbaverit, & in Academiis explicari jusserit. Catus, si quisquam antiquitatis Ecclesiasticæ

siasticæ explorator Antonius. Augustinus Tarrac: in Dialogo 3. testem poposcit, qui assertæ recentiùs approbationi Eugenianæ fidem faciat. Postquam indicâsset Antonius, Apostolicâ authoritate confirmatum censeri non posse opus, quòd multiplices errores complectitur, dicit affirmari ab aliis, alios negare confirmationem Eugenii; à nemine autem visum esse exemplum authenticum Eugenianæ confirmationis. Ecce verba: *A. Si credas omnia, quæ Gratianus scripsit, Apostolicâ esse authoritate confirmata, multiplex hic error erit tuus, & omnia complectetur hoc volumine conscripta. C. Nunc planè intelligo; sed quo pacto probas, non esse confirmata? A. Tu qui ais, vidistíne unquam Eugenii confirmationem? C. Minimè gentium. A. Habésne aliquem, qui se dicat vidisse, aut qui ex eâ partem aliquam referat? C. Ne hoc quidem. Sed sunt, qui asserant, eum confirmâsse. A. Sunt etiam, qui id negant.* Certè negant Joannes Andreas, & Panormitanus, & in Bullâ Gregorii XIII. quam exhibet Decreti editio Parisiensis, nec Eugenianæ approbationis fit mentio, nec ipsiusmet Gregorii authoritate approbatur; sed hoc unum curæ est huic Pontifici, ut ad Vaticanum exemplar editio Decreti perficiatur.

XXXII. Tandem, ne antiquus ille mos ad Rom. Pontificem Acta & Decreta Conciliorum referendi aliquod Pontificiæ authoritatis possit facere argumentum, Rom. Pontifici, quantùm ad hoc, plus non tribuit, quàm præconis officium, cujus ministerio notitia Synodalium definitionum ad omnes Ecclesias transeat. Cur generalia Concilia exceperit, & restrictionem: *haud rarò*, addiderit Febronius, frustra inquiro causam; nempe cavendum erat, ne generalia Concilia viderentur subesse Pontifici, & ne Synodi majores ad sua Decreta Rom. Pontifici mittenda dicantur obligatæ. Admirare Lector cautam Febronii providentiam.

XXXIII. Tacendum illi erat de Gelasio, qui verbis jam suprà citatis jus confirmandi Concilia dixit ad Rom. Pontificem pertinere. Tacendum erat de historiâ Conciliorum generalium & particularium, quæ convincit, semper fuisse creditum, judicatúmque, quòd (ùt ad Leonem de Synodo Chalcedonensi scripsit Anatolius) *gestorum vis omnis & confirmatio authoritati Rom. Pontificis sit reservata.*

XXXIV. Placuit Febronio thesim audacter assertam authoritate primæ Synodi Arelatensis probare suo more, quo ex uno particulari facto inferre amat generalem non unius sæculi, sed plurium, imò omnium antiquorum sæculorum consuetudinem. Ille mos quàm sit heteroclitus & bonæ dialecticæ contrarius, jam aliàs ostensum est.

XXXV. Sed quid reipsâ fecerunt Patres primæ Synodi Arelatensis? Quid scripserunt Papæ Sylvestro? *Rogant*, inquit Febronius, *ut per ipsum, qui majores Diœceses tenet, sua decreta potissimùm omnibus insinuentur.* Ne quis Romanus inde colligat, Majores seu principales Ecclesias etiam subesse Pontifici, seu ab eo *teneri*, ea verba sic interpretatur: *cujus authoritas extensiores fines tenet.* Sed admissâ etiam hac interpretatione

non

non malè concluditur, velit, nolit Febronius, authoritatem Pontificis intra Dicecesim Romanam non concludi, si verò ultra ejus fines illa se porrigat, ad omnes totius mundi provincias extendi, cùm eadem, quantùm ad omnes, sit ratio, & sicut totus orbis, ùt dixit Chrysostomus verbis suprà citatis, commissus fuit Petro, ita & Petri Successori Rom. Pontifici tanquam hæredi sit commissus. Quòd autem Patres Arelatenses non rogaverint solam insinuationem omnibus provinciis faciendam, Synodica ejus Concilii epistola convincit, quæ docet invitatum fuisse Papam Sylvestrum, ipsiúsque nomine interfuisse Legatos Claudianum & Vitum Presbyteros, Eugenium & Cyriacum Diaconos: sicut per hos in omnia Synodi acta influxit authoritas Pontificis, ita ejus etiam authoritate Acta confirmari PP. voluerunt, ùt agnovit Natalis: *De rebus* (ait) *in eâ gestis & Canonibus constitutis relationem ad Pontificem Maximum miserunt, bonorificâ ad eum datâ epistolâ, quâ dicti Concilii, Canonúmque confirmationem & promulgationem ad ipsum pertinere agnoscunt.* *Nat. Alex. Sæc. IV. Cap. 3. art. 1. §. 10.*

§. IX.

Expenditur mens Febronii de necessariâ solicitudine Rom. Pontificis, ut in omnibus Ecclesiis Ss. Canones observentur.

1. *Febronius dicit curam, ut ubique Canones observentur, pertinere ad Pontificem.*
2. *Aliquibus verbis Ss. Cypriani & Augustini malè applicatis obscurum facit, quod erat clarum.*
3. *Quid S. Aug. Bonifacio scripserit de duabus epistolis Pelagianorum.*
4. *S. Augustinus refellit calumniam impactam Zosimo, quòd faverit doctrinæ Cælestii.*
5. *Refellit alteram calumniam de Manichæismo Catholicis imputato.*
6. *Ostenditur, ex hoc ipso libro S. Augustini Febronium refutari.*
7. *Judicium Febronii de Synodo Carthag. & Milevit. erroneum.*
8. *Origo hæreseos Pelagianorum.*
9. *A quibus & quomodo hæc hæresis primùm impugnata sit.*
10. *Quid actum in Synodis Hierosolymit. & Diospolit.*
11. *De hac Synodo judicium S. Hieronymi.*
12. *Quid de Carthag. & Milevit. sentiendum exponitur.*
13. *Quinque Episcopi Africani rogant Pontificem, ut per sententiam hoc negotium absolvat.*
14. *Pelagius animos sumpsit post Synodi Diospolit. successum.*
15. *Pelagius & Cælestius damnantur & excommunicantur ab Innocentio.*
16. *Innocentii judicium de Synodo Diospolit. & libro Pelagii.*
17. *Quid tentaverit Pelagius apud Zosimum.*

18.

18. *Ostenditur Episcopos in eo sæculo sibi judicium ultimatum in causâ fidei non attribuisse.*
19. *Malè probat Febronius suam thesin ex epistola Stephani Papæ ad S. Cyprianum de Marciano Arelat.*
20. *Quid suis literis in hac causa petiverit S. Cyprianus.*
21. *Judicium Petri de Marca de authoritate S. Sedis ex hac epistola S. Cypriani.*
22. *Febronii consilium de oppositione Comprovincialium Episcoporum contra Episcopum apostatam refellitur exemplo Ecclesiæ Coloniensis.*
23. *Nec ante nec post sententiam Pauli III. contra Hermannum, nec ante nec post sententiam Gregorii XIII. contra Gebhardum facta fuit Synodus Nationalis aut Provincialis.*
24. *Malè Febronius argumentum sumit à Nestorii depositione.*
25. *Nestorianæ hæreseos initia.*
26. *Nestorius conformiter decreto Cælestini monetur à Joanne Antiocheno & Cyrillo.*
27. *Hæresi latiùs grassante Ephesina Synodus generalis damnat Nestorium juxta decretum Cælestini.*
28. *Post hanc sententiam advenerunt Legati Pontificii afferentes novam ejusdem epistolam contra Nestorium.*
29. *Acclamationes Patrum Concilii.*
30. *XXX. Episcopi Nestoriani Synodum faciunt contra Ephesinam, deponunt S. Cyrillum & Memnonem.*
31. *Proteguntur ab Imperatore.*
32. *Theodosius à S. Dalmatio ad meliorem mentem flectitur.*
33. *Literæ S. Cælestini ad Synodum.*
34. *Nestorii exilium & mors.*
35. *Febronii de S. Cælestino judicium perstringitur.*
36. *Ostenditur Cælestinum judiciali authoritate processisse.*
37. *Febronii verba antipontificia notantur.*
38. *Malè provocat ad S. Basilium.*
39. *Et ad Dionysium Alexandrinum.*
40. *Contra declarationem Benedicti XIV. eum Febronius sanctum vocat.*
41. *Retorquetur argumentum à Dionysii authoritate sumptum in Febronium.*
42. *Dicit Jovinianum à Siricio non fuisse damnatum jure Pontificio.*
43. *Ostenditur Febronium jungere contradictoria.*
44. *Alia evasio Febronii ineptissima impugnatur.*

I. Canones non fidei tantùm, sed & universaliter receptæ disciplinæ observandos esse, ac, ut ubique observentur, Pontifici esse curandum, Febronius minimè negat; quomodo autem cura illa exercenda sit, nonnulla in-

inquit, *S. Augustini & S. Cypriani loca, quibus pro exemplo utimur, sufficiens nobis lumen accendent.*

II. Facit Febronius, quod, dum S. Augustinus Bonifacio Papæ contra duas epistolas scribebat, fecerunt Pelagiani: *Immittunt*, inquit, *nebulas, ut res manifestas obscuritate turbando quærant latendi locum.* Febronius avulsis à contextu Patrum sententiis vult lumen accendere, & quod manifestè dixerunt, nebulâ suarum præsensionum obtenebrat.

III. Duæ epistolæ scriptæ erant, prima à Juliano, altera ab octodecim Episcopis Pelagianis ad Episcopos Orientales; has Augustinus fœdis calumniis per illas impetitus à Bonifacio sibi transmissas quatuor libris confutavit. Laudat Pontificem, quòd, *quamvis altiùs præsideat, sit amicus humilium: ideo*, inquit, *ausus sum aliquid ad tuam beatitudinem scribere, cùm non quiescant novi Hæretici minùs cautorum vel minùs eruditorum corda tentare; utique iis esset respondendum, etsi non metueremus, ne quenquam Catholicorum deciperent.* Pergit: *Cùm non desinant fremere, communisque sit cura omnibus nobis, qui fungimur Episcopatûs officio, quamvis ipse in eo præemineas celsiore fastigio speculæ pastoralis, facio, quod possum pro mei particulâ muneris, & quæ ad duas epistolas respondeo, ad tuam potissimùm sanctitatem non tam discenda, quàm examinanda & emendanda dirigere constitui.* Acerbè perstringit alteram epistolam, in quâ Romanis Clericis imputabatur, quòd *Jussionis* terrore perculsi ad Manichæorum errores imprudenter deflexerint: *Ex tot & tantis inter Apostolicam Sedem & Afros Episcopos scriptis, etiam gestis de hac causa apud illam sedem* ostendit ejus calumniæ falsitatem.

IV. *Quænam*, inquit, *epistola venerandæ memoriæ Papæ Zosimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præceperi* credi oportere, sinè ullo vitio peccati originalis hominem nasci? Nusquam hoc dixit, nusquam scripsit. Dicit Zosimus libellum Cœlestii catholicum, dixit, cùm Cœlestius dixisset se dubitare, & instrui cupere: Hoc*, inquit, *putabatur catholicè sentire, quando se literis B. memoriæ Innocentii consentire respondit. Quidquid leniùs actum cum Cœlestio, servatâ antiquissimæ & robustissimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, non approbatio exitiosissima pravitatis; & quòd ab eodem Sacerdote* (Zosimo) *Pelagius & Cœlestius repetitâ authoritate damnati sunt, paululùm intermissæ, jam necessariò proferendæ severitatis ratio fuit, non prævaricatio priùs cognitæ; vel nova cognitio veritatis.*

V. Tandem claudit hunc contra duas epistolas tractatum provocando ad Viros sanctos & doctos, famâ totius Ecclesiæ contestante Catholicos, ut ostendat rabiosâ mentis cœcitate jactare Pelagianos, totum penitùs Occidentem impio dogmati Manichæo adhærere. Præterea ut ostendat impiè de Episcopis asseri, quòd subscriptio contra Pelagium & Cœlestium fuerit à singulis extra Synodum extorta. Hæc occasio erat ea scribendi, quæ suprà expensa & refutata sunt de necessitate convocandi Concilii ad hæreses damnan- *S. Aug. Cap. 12. Lib. 4.*

 das,

das, dum dixit absque congregatione Concilii damnatas esse incomparabiliter plures hæreses; his subjungit, Pelagianos superbè captare hanc gloriam, *ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur, & dum orbem catholicum nequeunt, Domino eis resistente, pervertere, saltem* (inquit) *commovere conantur, cùm potiùs vigilantiâ & diligentiâ pastorali post factum illis* (adverte Febroni) *competens sufficiénsque judicium, ubicunque isti lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur, sive ut vitentur, adjuvante Pastore Pastorum.*

VI. En Febroni, quale tibi lumen Augustinus suo ad Bonifacium Papam tractatu accenderit! Ille docuit *post factum competens sufficiénsque Judicium Innocentii & Zosimi ab Episcopis ubicunque conterendos esse Pelagianos*, ut sanentur aut vitentur adjuvante Pastore Pastorum. Ille Zosimum ostendit decrevisse, quod decreverat Innocentius, damnâsse, quod, & quos ille damnaverat, neque prævaricatum esse, neque novam cognitionem definitæ ab Innocentio veritatis instaurâsse. Ille *præeminentem celsiore fastigio speculæ pastoralis Bonifacium* humillimè rogat, ut, quæ *pro sui particulâ muneris* ad transmissas à Pontifice duas Pelagianorum epistolas respondit, *suscipiat examinanda & emendanda*. En (repeto) lumen tibi ab Augustino accensum! Tu illud nebulâ infidæ citationis obscurare tentâsti, ut Lectorem id videre faceres, quod tu volebas, nempe Episcopum ad novi erroris damnationem proruere debere, tunc verò, si negligat, aut ejus authoritas non sufficiat, tunc demum, non antè *de pondere S. Sedis adjiciendo esse cogitandum*, ut malum & *certiùs & fortiùs* comprimatur. Doceat te Augustinus exspectandum esse *competens sufficiénsque judicium*, quale erat Innocentii & Zosimi, *post illud conterendos esse lupos adjuvante Pastore Pastorum*, & quidquid scribit Episcopus, etiam Rom. Pontifice doctior, fortè & sanctior, examinandum, emendandúmque subjici debere Rom. Pontifici.

VII. Pergit Febronius: Hac disciplinâ & methodo Episcopi Africæ usi sunt in negotio Pelagianorum. Patres Conciliorum Carthaginensis & Milevitani dicit *novam hæresim damnâsse*, suúmque judicium cum Innocentio Papâ communicâsse, ut ejus authoritas accederet ad suffocandum errorem. Decreta Pontificia in materiâ Fidei dicit ad universam Ecclesiam ita pertinere, ut salvum sit jus Episcoporum hæc decreta examinandi. Altiùs repetenda sunt initia hæresæos Pelagianæ, ut appareat inanitas illius judicii Febroniani.

VIII. Sub initium Sæculi V. quidam Rufinus errorem de Adam & Evâ, quòd *mortales sint conditi, suóque peccato sibi, non posteris nocuerint*, Romam invexit; ibi Pelagium tunc ingenio, doctrinâ, etiam virtute clarum decepit, qui præter illos Rufini errores adversùs Christi gratiam cœpit & colloquiis, & libellis prava dogmata spargere. Pelagio se junxit Cœlestius. Augustinus illum acutissimum & acerrimi ingenii virum dixit, & hoc inter eos distare censuit, quòd Cœlestius apertior, pertinacior, & liberior esset; Pelagius occul-

occultior & astutior. Ambo Rufinum in Siciliam secuti, anno ejus Sæculi undecimo transierunt Carthaginem; inde Pelagius, relicto ibi Cœlestio, in Palæstinam transiit. Cœlestius delatus Aurelio Episcopo Carthaginensi tanquam reus hæreseos, quòd præter ea, quædixi tradidisse Rufinum, *legem valuisse ad salutem, perinde ut nunc Evangelium. Infantibus etsi non baptizatis dari vitam æternam* credere, & palam docere audeat.

IX. Coram Synodo ab Aurelio convocatâ Cœlestius confessus errores, Ecclesiasticâ communione privatus est. Ab eâ sententiâ ad Rom. Episcopi examen appellavit, sed appellatione neglectâ Ephesum transiit. S. Augustinus hortante Marcellino libris pro gratiâ Christi Redemptoris editis impia dogmata impugnavit, & S. Hieronymus; suppressit uterque nomina Pelagii & Cœlestii, quòd sperarent eos ab erroribus ad veritatis confessionem revocandos: *Malumus*, inquiebat Augustinus, *eos in Ecclesiæ compage sanari, quàm ex illius corpore velut insanabilia membra resecari, si tamen hoc permittit necessitas.* Pelagius veritus, ne hæreseos damnaretur, si quid ederet, aut ne discipuli deficerent, si taceret, Hieronymo respondit; sed volumen solis discipulis legendum dedit.

X. Joanni Episcopo Hierosolymitano adeò callidè virus doctrinæ suæ scivit obtegere, ut, quanquam in consessu Presbyterorum dixerit Orosius, quid in Africâ contra Cœlestium actum esset, præsenti Pelagio patrocinaretur; Presbyteris tamen concessit, ut ad B. Innocentium Papam Romanum fratres & epistolæ mitterentur; universi, quod Papa decerneret, declarârunt se secuturos. Interea autem impositum fuit Pelagio silentium, & jussi sunt alii ab ejus sibi insultatione temperare, quod universis placuit. Hæc acta sunt anno illius sæculi decimo quinto, in quo etiam Diospoli Synodus fuit convocata, ad quam pariter admissus est Pelagius, & veluti testes innocentiæ suæ literas à S. Augustino, aliisque ad se missas protulit, quibus ejus laudes continebantur. Sed placuit Patribus ad examinandos errores objectos procedere, quos partim vitando suppressit, partim obscuritate confudit, aliquos falsâ interpretatione alium in sensum deflexit. Cùm verò per interpretem latinus liber Pelagii Græcis Episcopis exponeretur, versuto Pelagio difficile non erat horum fallere judicium, quanquam abducti non fuerint in errorem. Quæ ex libro Cœlestii ei objiciebantur, ita repressit: *Anathematizo eos, qui sic tenent, aut tenuerunt; hæc utrum Cœlestii sint, viderint illi, qui dicunt ea esse Cœlestii, ego anathematizo eum, qui sic tenet.*

XI. Cùm quædam de Gratiâ dixisset, quæ SS. Hieronymus & Augustinus meritò improbârunt, à Diospolitanis Patribus non animadversa, Synodum hanc Hieronymus vocat *miserabilem.* Quod corde servabat Pelagius, ore anathematizabat, tantùm ut Catholicus haberetur, ideo ad illum sic Augustinus: *Non tu absolutus es, qui damnanda tenuisti, sed illud absolutum est,*

est, quod tenere debuisti. Ut autem tu absolutus putareris, creditus es sentire laudanda, cùm judices non intelligerent te occultare damnanda.

XII. Anno sequenti Carthagine convenerunt Episcopi 68. Coram his exponit Orosius, quid in Synodis Hierosolymitanâ & Diospolitanâ actum esset. Synodica epistola ad Papam Innocentium mittitur, ut, quod Carthagine ante quinquennium definitum fuera contra Cœlestium, confirmaretur, simulque anathematizaretur Pelagius: *Communi*, inquiunt, *deliberatione censuimus hujusmodi persuasionis autores, nisi hæc apertissimè anathematizaverint, ipsos anathematizari oportere, ut si ipsorum non potuerit, saltem eorum, qui ab eis decepti sunt, vel decipi possunt, sanitas procuretur. Non dubitamus Venerationem tuam, cùm gesta Episcopalia perspexerit, quæ in Oriente eâdem de causâ confecta dicuntur, id judicaturam, unde omnes in Dei misericordiâ gaudeamus.* Hanc secuta est Milevitana 60. Episcoporum, quos inter S. Augustinus. Scripsère hi statim Innocentio; impiis erroribus propositis subjungunt: *Hæc insinuantes Apostolico pectori tuo non opus habemus multa dicere, & tantam impietatem verbis exaggerare, cùm procul dubio te ita permoveant, ut ab eis corrigendis, ne latiùs serpant, multósque contaminent, vel potiùs interimant, omnino dissimulare non possis.* Scribunt, quod jam antè S. Augustinus scripserat: *Pelagium & Cælestium sanari malumus, quàm ab Ecclesiâ resecari.* Non igitur eos anathematizârunt Milevitani.

XIII. Quinque præterea Præsules Africani: S. Augustinus, Aurelius, Alypius, Evodius & Possidius Innocentio enucleatiùs Pelagii causam exposuère, imprimis, quid actum fuerit Diospoli: *Non agitur*, inquiunt, *de uno Pelagio, qui jam fortè correctus est, quod utinam ita sit! sed de tam multis, quibus loquaciter contendentibus, & infirmas atque ineruditas animas velut vinctas trahentibus, firmas autem ipsâ contentione fatigantibus, usquequaque jam plena sunt omnia. Aut ergo*, inquiunt, *à tuâ veneratione acciendus est Romam, & diligenter interrogandus, aut hoc ipsum cum eo per literas agendum. Et cùm inventus fuerit hanc dicere Gratiam, quam docet Ecclesiastica & Apostolica veritas, gaudebimus eum sive rectum, sive correctum. si hunc esse suum librum negat, aut eadem in libro loca, non contendimus. Anathematizet ea. Si cognoverint homines librum, quem ejus vel putant esse, vel nôrunt, Episcoporum catholicorum autoritate, & maximè sanctitatis tuæ, quam apud eum esse majoris ponderis, minimè dubitamus, & ab eodem ipso anathematizatum atque damnatum, non eos ulteriùs existimamus ausuros pectora fidelia & simpliciter christiana turbare.*

S. Aug. de gest. Pelag. C. 8. XIV. Post Synodum Diospolitanam audacior factus Palagius gloriabatur teste S. Augustino his verbis: Quatuordecim Episcoporum sententiâ definitio nostra comprobata est, quæ sententia os contradictionis confusione perfudit, & omne in malum conspirantem societatem ab invicem separavit. Adversùs Hieronymum imprimis furens scripsit 4. libros de libro arbitrio.

Lite-

XV. Literis tum Synodicis, tum 5. Episcoporum Africanorum respondit Innocentius Papa: *Antiquæ traditionis exempla servâstis, ut ad nostrum approbâstis referendum esse judicium, scientes, quid debeatur Apostolicæ Sedi, cùm omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, à quo ipse Episcopatus, & tota autoritas nominis hujus emersit. Quem sequentes tam mala jam damnare novimus, quàm probare laudanda; Patrum instituta sacerdotali officio custodientes non censetis esse calcanda, quod illi non humanâ, sed divinâ decrevêre sententiâ, ut quidquid, quamvis in disjunctis, remotisque provinciis ageretur, non priùs ducerent definiendum, nisi ad ejus Sedis notitiam perveniret, ut totâ hujus autoritate, justa quæ fuerit, pronuntiatio firmaretur. Pelagium & Cœlestium Ecclesiasticâ communione privari Apostolici vigoris autoritate censemus, donec resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur. Simul autem præcipimus, ut quicunque id pertinaciâ simili defensare nituntur, par eos vindicta constringat.*

XVI. Quinque Episcopis respondit de Diospolitanâ Synodo: *Non possumus illorum nec culpare, nec probare judicium, cùm nesciamus, utrum vera sint gesta, aut si vera sunt, Pelagium constet magis subterfugisse, quàm se totâ veritate purgâsse.* Librum Pelagii ab eis missum scribit se evolvisse, in eo multa esse blasphema, nihil non à quovis damnandum atque calcandum. Noluit Pelagium Romam accersere: *Si confidit*, inquit, *se non meruisse damnationem, ipse debet potiùs huc festinare, ut possit absolvi.* Hæ sunt illæ literæ, de quibus S. Augustinus: *Româ rescripta venerunt, causa finita est.*

XVII. Coram Zosimo, qui Innocentio successit, Pelagius tentavit causam tueri apologetico scripto. Cœlestius Pontificem adiit, ut ejus subiret judicium; libellum fidei obtulit, in quo, quæ nova erant, dicit: *Vestri Apostolatûs offerimus probanda judicio, ut si fortè velut hominibus quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestrâ sententiâ corrigatur.* Zosimus scribit Episcopis Africanis, Discussis omnibus, quæ priùs acta fuerant, intromisso Cœlestio libellum jussimus recitari, interrogatúmque sæpè Cœlestium, an hæc, quæ in eo libello scripserat, corde, an labiis tantùm fateretur. Addit S. Augustinus id egisse venerabilem Papam Zosimum, ut Sedis Apostolicæ literis, quæ à sanctæ memoriæ suo Prædecessore manaverant, præberet assensum. Cœlestius B. Papæ *Innocentii literis non est ausus obsistere, imò omnia, quæ Sedes illa damnaret, se damnaturum promisit.* Instante Zosimo: *illa omnia damnas, quæ jactata sunt de nomine tuo?* Respondit Cœlestius: *Damno secundùm sententiam beatæ memoriæ Prædecessoris tui Innocentii.* Responso acquiescens Zosimus citavit Africanos, ut vel ad præsentem Cœlestium redarguendum veniant, vel ut audiant absolvendum. Interea tamen vinculo excommunicationis non solvebatur Cœlestius; literæ ex Africâ exspectabantur; tandem etiam Cœlestius damnatur à Zosimo. Hæc series.

XVIII. Non itaque ad Episcopos examen & emendatio Decretorum Papalium

lium in causâ fidei tunc pertinebat. Dum Ecclesiam regebant Anastasius, Innocentius, & Zosimus; non hoc sibi sumpsêre Africani, ut Rom. Pontificis censores essent & judices; tantùm id curabant, ut impiæ novitatis inventores ad obedientiam sinceram converterentur. Rom. Pontificis autoritatem non in verbis tantùm Innocentii Pontificis, sed in ipsismet Africanorum Episcoporum atque imprimis S. Augustini literis & historicâ relatione, dum clarissimè potuit Febronius legere, maluit quædam obscura verba, quæ duabus Synodis Carthaginensi & Milevitanæ attribuit, quasi conjunctim ab iisdem, & in eodem loco expressa essent, tanquam sui systematis fulcimentum proponere.

XIX. A Pelagianâ historia sæculi V. transit ad historiam Marciani Arelatensis seu historiam Novatianorum sæculi III. Stephanum dicit à Cypriano rogatum, ut ad provinciam & plebem Arelatensem literas dirigat, quibus *abstento Marciano alius in ejus locum substituatur*. Vult Febronius hoc Cyprianum voluisse, ut Stephanus Papa Episcopos Galliæ sui officii commoneret. Addit, in fine Epistolæ rogâsse Cyprianum: *Significa nobis, quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus*. Quantum S. Martyr Apostolicæ Sedi tribueret, dum de deponendis Episcopis ob crimina erat quæstio, ipsemet indicavit. De Basilide & Martiali idololatriæ libello contaminatis scribebat: *Cùm alia multa sint, & gravia delicta, quibus implicantur, frustra tales Episcopatum sibi usurpare* conantur, cùm manifestum sit ejusmodi homines Ecclesiæ non posse præesse, nec Sacrificia offerre debere, maximè cùm jam pridem nobiscum & cum omnibus Episcopis in toto mundo constitutis etiam Cornelius Collega noster Sacerdos pacificus ac justus, & Martyrio quoque, dignatione Domini honoratus *decrevit ejusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem Cleri atque Sacerdotali honore prohiberi*. Et quantùm ad Marcianum attinet, quid causæ erat, cur Faustinus Lugdunensis Cypriani interventu Marciani damnationem apud Rom. Pontificem voluerit urgere, si superiorem hac in re Pontificis autoritatem non agnovit? Cur Lugduno Carthaginem, Carthagine Romam scribebatur, ut Cyprianus Stephanum suo hortatu permoveret?

XX. Quid autem est, quod petebat Cyprianus? Literas Papales, quæ Marcianum deponant, & Clerum, populúmque Arelatensem à Marciano abstinere jubeant, aliúmque Episcopum eidem substituant. Petebat etiam, ut quisnam substitutus fuerit, à Stephano sibi signficaretur. Si & depositio & substitutio perfici debebat in Galliâ, Faustinus Lugdunensis Cyprianum breviori compendio poterat informare. Id præcipuè spectabat Cyprianus, ne (ùt ipse loquitur in laudatâ epistolâ ad Stephanum) *ultra Marcianus pervicax & superbus, divinæ pietatis & fraternæ salutis inimicus Collegio Episcoporum insultet, qui necdum* (inquit) *à nobis abstentus jam pridem jactat &*

prædi-

prædicat, quòd Novatiano studens, & ejus pervicaciam sequens à communione se nostrâ segregaverit.

XXI. Agnoscit Petrus de Marca *colligi ex verbis Cypriani, quòd ejus ævo prærogativa decernendi & pronuntiandi, & executioni mandandi excommunicationem Episcoporum constituta fuerit in Cathedrâ Petri, quod nullâ industriâ Novatores elevare possunt; futilis enim est* (pergit de Marca) *& Cypriani verbis adversa responsio illa, non deponi à Stephano Marcianum, sed ad plebem Arelate consistentem scribi æquum esse, ut deponatur.* At tu Febroni aude, quando quidem ita vis, porrò dicere, quod audacter scribis, *nullam de Marciani depositione à Stephano factâ extare notitiam*, neminémque vel mediocriter eruditum asseruisse eo ævo jus deponendi Episcopos competiisse Róm. Pontifici, aut ab eò exercitum fuisse, scilicet Petrus de Marca, & omnes, quotquot aliter, ac tu, hac in re sentiunt, tibi videbuntur ficulnei, & De Marca Conc. Sacerd. & Imp. L.7.C.1.

vervecum in patriâ, crassóque sub aëre nati.

Perge, si vis, pro tuâ prudentiâ judicare, quod colligere gregem ab impio Marciano dispersum pertinuerit non ad Stephanum, sed ad Synódum tanquam propria Synodi materies, ideóque tunc Synodum in Galliâ fuisse collectam.

XXII. Pium, sanctúmque esset, apostatante uno Episcopo alicujus provinciæ aut nationis illico ad subveniendum gregi periclitanti conferri à Comprovincialibus Episcopis fraternam solicitudinem, ne contagio proserpat; at, dum sæculo XVI. Ecclesia nostra Coloniensis duorum Antistitum defectione affligebatur, nec *copiosum corpus Sacerdotum Germaniæ*, nec *gluten concordiæ*, nec *unitatis Vinculum* eò alios nationis nostræ Præsules urgebat, ut opem afferrent; Clerus & Academia libros libris, prædicatores prædicatoribus primùm opponebant, tum supplicationes mittebant ad Rom. Pontificem & Imperatorem, donec autoritate Pontificiâ supremâ per judicialem sententiam alter Pauli III. alter Gregorii XIII. exautorabantur, & de Cathedrâ Episcopali dejecti à finibus nostris excessêre.

XXIII. Dirigebantur à Papâ literæ ad provinciam, quibus abstento Hermano, & postea Gebhardo, seu excommunicato, & à Sede Episcopali dejecto tum Hermanno, tum pòst Gebhardo, illis, ad quos Episcopum eligendi facultas pertinet, jurisjurandi religione solutis mandabatur Antistitis Pontificiâ autoritate confirmandi electio; nullum tunc de Synodo colligendâ consilium erat, qualem lepidè admodum pro suâ divinandi libertate Febronius conjectat in causâ Marciani fuisse convocatam; neque illud, quod ad Clero populóque subveniendum suo interventu Imperator promovit, eóque apud Sedem Apostolicam promovente tandem obtinebatur, subsecutâ aliquâ Synodo nationali aut provinciali postea fuit confirmatum approbatúmve.

XXIV. Quod de Nestorii depositione à Cœlestino factâ promisit Febronius

nius se dicturum Cap. 5. ita ibi dicit, ut probet se sinè ratione, sinè autoritate asserere, quod lubet.

XXV. Ut certiùs de Cœlestino judicetur, exhibenda est historiæ Nestorianæ Synopsis. Anno 428. ordinatus Episcopus Cpolitanus Nestorius, statim inanis gloriæ studium patefecit, dum coram populo universo ita Imperatorem alloquitur: *Da mihi Imperator terram hæreticis purgatam, & ego tibi cœlum retribuam; Hæreticos mecum debella, & ego tecum Persas debellabo.* Statim cœpit aggredi Arianos, Novatianos, Mecedonianos, & quidquid tunc Hæreticorum erat; sed eo ipso primo sui Pontificatûs anno cœpit novos suos errores ipso die Natalis Domini pro concione proponere negando Mariam Deiparam, Christum Filium Mariæ esse Deum, & in unâ hypostasi duas ejus naturas esse conjunctas. Primus illi se palàm opposuit Eusebius tunc laicus, postea ob doctrinam & pietatem Dorylæi Episcopus, quem secutus est Proculus Episcopus ordinatus, sed tunc adhuc Presbyteri Catechistæ Constantinopoli officio persungens, cujus homiliam tribus sermonibus omni convitiorum genere contra Proculum refertis confutare conatus est. Cyrillus, his Alexandriæ compertis, Monachos suos Constantinopoli consistentes per epistolam conatus est in fide confirmare. Hoc primum fuit fomentum irarum Nestorii contra Cyrillum. Nestorii sermones missi sunt ad Cœlestinum. Hic, quanquam eum communione catholicâ statim privandum censeret, ratus tamen lapsis manum porrigendam, hortari maluit per literas Nestorium. Crescente interea Cpoli scandalo, cùm ad impietatem Nestorii accederet crudelitas, quâ Orthodoxos verberibus, carcere & exilio persequebatur, Nestorius dolo S. Cœlestinum tentavit, & vicissim (ad præoccupandum Pontificis animum) Orthodoxis hæreseos calumniam affinxit; simul autem nonnulla suæ impietatis argumenta iisdem literis inseruit; Cyrillo interea diligenter Fidei causam tuenti tum literis, tum prædicationibus iracundè rescripsit Nestorius eum ignorantiæ, imò & hæreseos incusando, statímque Pelagianos, & inprimis Cœlestium & Julianum sibi adjunxit. Cœlestinus, quæ tum à Cyrillo, tum à Nestorio scripta fuerant, jussit latinè verti, ut certiùs omnia cognosceret, probatâque S. Cyrilli doctrinâ eidem vices suas commisit, simúlque ad Clerum & populum Urbis Cpolitanæ scripsit hortatorias, ut maneant in fide ipsis prædicatâ per S. Joannem Chrysostomum, Atticum, & Sisinium, resistántque Nestorio, ejúsque fugiant hac epistolâ à Cœlestino designatos errores. Addit se Nestorio, nisi resipuerit, minatum esse depositionem. Cyrillus literas à Cœlestino missas communicat cum orthodoxis Episcopis, Joannem Antiochenum, Juvenalem Hierosolymitanum Episcopos literis hortatur, ut conversioni Nestorii dent operam; *si eum*, inquit, *ad veritatem transtulerimus, lucri faciemus fratrem.* Providè hoc etiam censuit curandum, ut Imperator & Augustales ad rectæ fidei stabilitatem orbi terrarum conciliandam, ovésque à malo Pastore liberandas studia conferant, nisi consiliis obsequatur Nestorius.

XXVI.

XXVI. Joannes Antiochenus, in id uſque tempus Neſtorii amicus, eum literis rogat, ut à novis turbis abſtineat, ne fiant per contentionem & obſtinationem inemendabiles : *Licet*, inquit, *inducias anguſtiſſimas interpoſuerit literis Dominus meus Epiſcopus Cæleſtinus decem ſolummodo dierum, attamen licet hoc opus facere & die ſolummodo uno. Non refutes*, inquit, *indubitanter Dei Genitricem dicere ſanctam Virginem, hoc namque nomen nullus Eccleſiaſticorum refutat.* Reſpondit Neſtorius amicè & comiter, ſed abſque ullo mutatæ mentis indicio, imò in perverſâ ſententiâ illum obfirmabat ſpes concepta de convocandâ Synodo, de Imperatoris favore, & amicorum potentiâ. Cyrillus Epiſcopos Ægypti Alexandriam convocat, indéque Synodicam mittit ad Neſtorium his verbis inter cætera conceptam : Ecce te ſimul cum Synodo, quæ apud Urbem Romam congregata eſt, præſidente ſanctiſſimo fratre & Conſacerdote noſtro Cœleſtino Epiſcopo, his ſcriptis jam tertiò convenimus, conſilium dantes, ut à pravis abſtineas, diſtortíſque dogmatibus, quæ & ſentire cognoſceris & docere; ſi hoc Religio tua facere diſtulerit *juxta dilationem literis Cæleſtini præfinitam, ſcias te nullam ſortem habere nobiſcum, nec locum, aut colloquium cum Dei Sacerdotibus & Epiſcopis obtinere.* Tum juxta Cœleſtini literas declarat omnes propter fidem à Neſtorio *depoſitos, aut excommunicatos Laicos & Clericos eſſe in communione Eccleſiæ Catholicæ.* Poſtulat, ut jurejurando anathematizet profana ſua dogmata conceptis à Cyrillo 12. anathematiſmis expreſſa. Neſtorius quaſi actus in furorem Cœleſtino Papæ ſcripſit Cyrillum ſubterfugere judicium Synodi orbis totius, quam, inquit, indeclinabiliter indixit Imperator. Cyrillus quoſdam ex Alexandrinâ ſuâ Synodo ad Neſtorium miſit Epiſcopos, qui literas Cæleſtini & Cyrilli Neſtorio traderent, quibus acceptis poſterâ die pro concione eadem, quæ antè, & his deteriora populo propoſuit, Cyrillo 12. anathematiſmos à ſe pro ſuâ hæreſi compoſitos miſit. Neſtorii pertinaciam confovit Joannis Antiocheni & Theodoreti & Andreæ Samoſateni non obſcura ad cauſam Neſtorii defendendam propenſio.

XXVII. Auctis & per Orientales Eccleſias jam latè diffuſis Neſtorianis feſtinatur Conventus Epiſcoporum. Epheſi fit Synodus generalis, eò venit Neſtorius cum Legato Imperatoris Candidiano. Cyrillus cum 50. Epiſcopis ibi advenit, ſtatim coram Synodo in laudem Dei Genitricis orationem dixit, & Neſtorio impias contra Chriſtum hæreſes exprobravit : *Teſtem*, inquit, *locupletem proferamus Cæleſtinum Archiepiſcopum & Patriarcham magnæ Urbis Romæ, cujus monitis obtemperare noluit Neſtorius.* In primâ ſeſſione cùm non compareret Neſtorius, quanquam tunc Epheſi eſſet, & Synodus eum tertiò ad conſeſſum invitâſſet. Tum lectum eſt Symbolum Nicænum & ſecunda Cyrilli epiſtola ad Neſtorium & Neſtorii reſponſio ad Cyrillum, quâ recitatâ exclamârunt Patres : *Quicunque Neſtorium non anathematizat, anathema ſit*; lecta etiam epiſtola Cœleſtini Papæ, & Ss. Patrum

 te-

testimonia producta. Tum Patres : *Coacti per sacros Canones, & epistolam S. Patris nostri & Comministri Cælestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi ad lugubrem hanc contra Nestorium sententiam necessariò venimus. Igitur J.C.D.N. quem suis ille blasphemis vocibus impetivit, per hanc Synodum eundem Nestorium Episcopali dignitate privatum & ab universo Sacerdotum consortio & cætu alienum esse definit.* Populus universus hac sententiâ compertâ Deum glorificavit, & publicis lætitiæ signis commune gaudium Patribus commonstravit.

XXVIII. Post hanc sessionem Româ tres Legati advenerunt, eorum unus in sessione alterâ proposuit : Dudum sanctissimus Papa noster Cœlestinus Sedis Apostolicæ Episcopus per suas epistolas ad Cyrillum virum piissimum de præsenti hâc causâ & negotio definivit, quæ literæ sancto vestro cœtui sunt exhibitæ, & nunc alias rursus ad corroborationem Fidei catholicæ ad vestrûm omnium pietatem per nos misit literas, quas à nobis exhibitas decenter jubete legi, ac inter Ecclesiasticos commentarios referri.

XXIX. His lectis approbatisque acclamârunt Patres : *Hoc justum judicium, Cælestino, custodi Fidei, Cælestino cum Synodo concordi, Cælestino universa Synodus gratias agit.* Postea Philippus Legatus ad Patres : Non ignoratis, *totius Fidei vel Apostolorum Caput esse B. Apostolum Petrum*, proinde cùm nostra mediocritas seriùs accesserit, rogamus, ut ea nobis patefieri mandetis, quæ ante adventum nostrum in sanctâ hac Synodo acta sunt, quò juxta B. Papæ nostri, præsentisque hujus S. Cœtûs sententiam acta confirmemus. Actis recitatis Philippus Legatus dixit : Sæculis omnibus notum est, quòd S. Petrus Apostolorum Princeps & Caput, Fidesque columna & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum à D. N. J. C. claves regni accepit, qui ad hoc usque tempus & semper in suis Successoribus vivit, & judicium exercet. Hujus itaque secundùm ordinem Successor & locum tenens S. Pater noster Cœlestinus nos ipsius præsentiam supplentes ad hanc Synodum misit. Cum eo alii duo Legati Arcadius & Projectus Nestorium declarant Episcopali dignitate exutum, atque à totâ Ecclesiâ, & à communione omnium Sacerdotum alienum esse. Subscriptione depositionem Legati tres Philippus Presbyter, Arcadius & Projectus Episcopi confirmârunt.

XXX. Synodo 210. Patrum Synodus 30. Schismaticorum Nestorio faventium opponitur, & damnationi Nestorii damnatio S. Cyrilli, depositioni Joannis Antiocheni depositio Cyrilli & Memnonis.

XXXI. Eò etiam Nestoriani progressi sunt, ut jussu Imperatoris & Nestorius & Cyrillus & Memnon custodiæ traderentur, & sententia depositionis adversùs integerrimos Fidei defensores Cyrillum & Memnonem rata & legitima censeretur ; quin & tota Synodus Episcopis Constantinopoli agentibus, & Clero scripsit : *Sciat Pietas vestra Ephesum, perinde ac carcerem nos inhabitare, in quâ jam per trimestre spatium usque adeò arctè inclusi tenemur, ut*

neque

neque per mare, neque per terras liberè & absque discrimine quemquam amandare possimus, ut Tabularii sexcenta vitæ discrimina evaderent, in alias atque alias formas se transformare coacti sunt. Quòd autem tam diligenter custodimur, aliunde non provenit, quàm quòd ad piissimos Imperatores omnia contra nos falsò deferuntur. Clerus acceptis his literis libellum supplicem obtulit Imperatori pro Cyrillo & Memnone: *Si œcumenicæ Synodi Præses*, inquiunt, *cujus sententiæ reliqui omnes subscripserunt, indignum quidpiam pertulerit, alii ejusdem sententiæ consortes, imò omnes orbis Episcopi cum ipsis sanctissimis Viris depositionis sententiæ subjacebunt.*

XXXII. Tandem *Theodosius S. Dalmatii* mirâ eloquentiâ commotus in S. Synodi Placita concessit.

XXXIII. Cœlestinus anno 432. scripsit ad Synodum: *Obtinui, quod credidi, quia contra perversos, innocentes & recti adhæserunt mihi. Unâ eâdémque relatione dejectionem justam Nestorii & exaltationem didicimus justiorem Maximiani. Lætati præterea sumus de hoc christianissimi Imperatoris testimonio. Felix Imperium, cui militat executio divinorum.* Ostendit, periculosum fore Antiochenis, quòd inter eos morari concessum sit Nestorio: *Elaborate*, inquit, *fratres charissimi, ut verè tollatur de medio vestrûm. Sola decet tales homines solitudo.* Theodosium Imperatorem literis rogat, ut plenum faciat victoriæ fructum nihil relinquendo, quod rursus Ecclesiam Dei perturbet; *ab omni*, inquit, *societate removeatur Nestorius, ne qua maneat ipsi facultas aliquos perdendi.* Viginti duobus post scriptas has epistolas diebus tantùm Cœlestinus vixit, & vitam sanctam pari morte finiit. Successori Sixto Antiochenus & qui cum ipso erant Episcopi, se subdiderunt, datísque ad Papam literis eadem Cyrillus significavit.

XXXIV. Nestorius Theodosii jussu in perpetuum exilium Petras deportatus anno 435. inde in fines Thebaidos relegatus novo Cæsaris mandato, ùt S. Cœlestinus voluerat, ne qua illi occasio esset animas pervertendi. Non diu post vermibus consumptâ linguâ, & corpore putrefacto periit.

XXXV. Quis, nisi Febronium legerit, credat eò abripi posse hominem catholicum, ut non vereatur, quæ Cœlestinus in causâ Nestorii fecit & scripsit, ad meram propositionem, tum & publicationem judicii per Episcopos pronuntiati constringere, omni in Episcopos jurisdictione destitutam nominalem superioritatem Rom. Pontifici tribuere?

XXXVI. Processit Cœlestinus tanquam supremus Judex. Visis Nestorii sermonibus inquirendum censuit, an essent Nestorii; an ab alio compositi fuerint. Cyrillum jubet hac super re, quid certi in Oriente perceperit, transmittere. Comperto Nestorium impiorum sermonum esse authorem, huic scribit, eos in his errores contineri, ut cum eo manere nequeat communio, paternè tamen hortari maluit, ut resipiscat, quàm festinare ad pœnam. Nestorius agnoscens, quid Rom. Pontifex possit, callidè tentat ejus animum

praeoccupare & incusare Cyrillum. Cyrilli & Nestorii literas jussit latinè verti, ut certiùs super accusatione ipsemet cognosceret. Post duas monitiones fit tertia peremptoria. *Intelligas, volo, post primam & secundam illius & hanc correptionem nostram, quam constat esse jamtertiam ab Universitate Collegii & conventu Christianorum te prorsus fore sejunctum, nisi mox, quae malè dicta sunt, corrigantur.* Cyrilli fidem declarat se *probâsse & probare.* Praecepit Nestorio, ut *idem praedicet, quod Cyrillus damnatis omnibus, quae sensit illi contraria: Statim, volumus, haec praedices. Apertè hanc nostram scias esse sententiam, ut nisi intra decimum diem ab innotescentis tibi hujus conventionis die numerandum apertâ & scriptâ professione damnaveris, scias ab universis te Ecclesiae Catholicae communione dejectum.* Atque ut Nestorius de authentiâ sententiae Papalis dubitare non possit, dicit: *Hanc formam judicii nostri per Diaconum Possidonium ad sanctum Consacerdotem meum Cyrillum destinavimus, ut agat vice nostrâ, quatenus statutum nostrum & tibi, & universis fratribus innotescat*; finem legis *bonum commune* declarat se intendere. *Quia*, inquit, *omnes debent nôsse, quid agitur, quoties omnium causa tractatur.* Executionem suae praeceptionis Cyrillo injungit. *Hanc exequèris districto vigore sententiam, ut aut infra decem dies pravas praedicationes scriptâ professione condemnet, aut nisi hoc fecerit, mox sanctitas tua illi Ecclesiae provisura à nostro eum corpore sciat modis omnibus esse removendum.* Quâ authoritate judicet, declarat: *Eadem scripsimus ad sanctos fratres & Coepiscopos nostros Joannem, Rufum, Juvenalem, & Flavianum* (Antiochenum, Thessalonicensem, Hierosolymitanum & Philippensem) *ut nota sit de eo nostra, imò Christi nostri divina sententia.* Excommunicationem, quâ Nestorius aliquos plectere tentaverat, cassam & irritam pronuntiat: *Sint in communione, quos ipse* (Nestorius) *resistentes sibi à communione summovit.* Ut Vicario Apostolico, qui Coelestini jussionem integerrimâ fide intrepidè perficiebat, non deessent prompta, tutáque consilia, tres Româ Legati Ephesum à Coelestino mittuntur, Philippus, Arcadius & Projectus.

XXXVII. Haec ferè omnia recitat ipse Febronius, & tamen inverecundè negat Coelestinum Judicis munus contra Nestorium exercuisse, imò, qui summus est impudentiae gradus, Nestorio Episcopos sibi adversos excommunicanti C. 5. §. 4. Coelestinum in eo comparat, quòd *neuter aliquam jurisdictionis speciem habuerit.* Quid magis à modestiâ Catholici Scriptoris alienum est, quàm illa ejus phrasis: *Nullam praetermittemus regiminis Ecclesiastici partem, in qua aliquid juris Rom. Pontifex sibi vindicare possit, ubilibet curatè indagabimus, quid in quavis habeat juris originarii, & adventitii*? Puffendorfium, aut Casaubonum hìc loqui credas, neutiquam verò Catholicum aliquem Jurisconsultum.

XXXVIII. Regulâ ex Ss. Augustino & Cypriano, imò ex Ecclesiae latinae Actis, ùt quidem gloriatur, propositâ progreditur ad Graecos, ut totius Eccle-

Ecclesiæ Græcæ communem respectu primæ Sedis ostendat disciplinam. Unus jam illi Basilius abunde sufficit. Quid verò est, quod Athanasio scripsit Basilius ad mentem Febronii ? Censuit scribendum Episcopo Romano, ut, quæ tunc in Asiâ gerebantur, *consideret*, & *sententiam expromat*. Hem singulare Febroniani systematis patrocinium! Annon disquisitis Asiaticarum Ecclesiarum dissensionibus, & consideratis Episcoporum dissidentium argumentis *expromere sententiam* est Romæ in Asiaticos exerceri judicium, seu jurisdicundi authoritatem ? An *expromere sententiam* idem tunc erat Basilio, quod *proponere*, *in commune conferre*, *cum aliis Episcopis consultare*, *deliberare* jam est Febronio ? An dum penes Populum Romanum erat authoritas, priùs rogabatur Prætor, ut considerato dissidentium negotiò sententiam expromat ante solenne illud : *Vultis*, *jubetis Quirites*? An in Imperio Romano - Germanico concedunt Ordines Imperii, ut penes quem est directorialis authoritas, sententiam expromat ? Quid verò hoc verborum est : *si causa sit generalior*, & *malum latiùs serpere velle videatur* ? Rom. Pontifices malunt obstare principiis, antequam mala per moras longas invalescant. Adelberto & Clementi se S. Bonifacius statim opponebat, Zachariam Pontificem informando, & ejus sententiam rogando. Febronius ipse verbis S. Basilii ad Damasum Papam ostendit, veterem hunc fuisse morem Asiaticorum, Romæ apud Pontificem auxilium petendi per damnationem novarum hæreseon ; dum timebat *omnia sub hæresis potestatem redactum iri per excidium Ecclesiarum*, & opem exspectat, *omnino*, inquit, *nihil novi exposcimus*, *sed quod præcipuè Rom. Pontificibus olim usitatum fuit*. Nec felicior est probatio, quàm à Dionysio Alexandrino Febronius exspectavit.

XXXIX. Obiter illud hic memorandum, quòd eidem sancti titulus non rectè tribuatur ; in literis Apostolicis ad Joannem Portugalliæ Regem novæ Martyrologii editioni præfixis Benedictus XIV. n. 30. sic post prolixè producta sanctitatem Clementis affirmantium & negantium argumenta de Clemente loquitur :

XL. *Quisquis citra partium studia maturo judicio secum expendat*, *quæ à nobis hucusque prolata sunt*, *profectò fateri cogitur*, *Dionysii Alexandrini doctrinam dubiam saltem*, *suspectámque esse de erroribus*, *ne gravior in opera illa intorqueatur sententia.* In hoc autem rerum statu nemo, qui sapiat, affirmabit Clementis Alexandrini nomen Martyrologii Romani Codici esse inscribendum. Censet hujus & aliorum quorumdam nomina per sequioris ævi Scriptores pietatis ac religionis prætextu, privatóque studio veteribus Martyrologiis esse addita.

XLI. Ut verò ad id, quòd præcipuè jam quæritur, transeam, potiùs ex hoc Dionysii Alexandrini conatu, quo fidem suam S. Dionysio Rom. Pontifici per apologiam probare adnitebatur, conficiam argumentum contra Febronium. Inter Orientales princeps tunc erat Ecclesia Alexandrina ; ibi

Dionysius seu tunc Presbyter, seu Episcopus quorumdam Catholicorum opinione censetur de Ss. Trinitate fovere errorem. Videri poterat malum hoc, ut Febronii verbis utar, *latiùs velle serpere*; non laborabatur de Synodo ibi cogendâ, sed seu Romam delatus, seu ultro, ut labem hanc à se dimoveret, apologeticon mittit S. Dionysio Romano, sciens contra imputatæ sibi tunc heterodoxiæ suspiciones, nullo efficaciori testimonio se posse præmuniri; quàm si Rom. Pontificis judicio probaverit orthodoxum.

XLII. Jovinianum hæreticum fatetur à Syricio Papa fuisse damnatum & anathemate confixum; at verò hæresim, authorem, fautorésque damnare; etiam loco pellendos decernere; jubere, ut *divinâ sententiâ & nostro judicio extra Ecclesiam remaneant*, quæ sunt verba Siricii, Febronio nondum eam videntur emphasim habere, ut agnoscat Pontificem suo jure depositionem decernere. Dic Febroni, quare hoc? *Id eveniebat*, inquit, *ut hæc depositio tanquam damnationis aut excommunicationis sequela haberetur, aut quæ à Papâ eatenus decreta essent, in Synodo deinde confirmarentur.* Mihi hæc legenti contigit ferè idem, quod S. Hieronymus dicit sibi evenisse, cùm Joviniani libros ex urbe Româ missos à fratribus accepisset, ut ad ejus ineptias responderet: *Cùm legissem*, inquit, *& non intelligerem, cœpi revolvere crebriùs, & non verba modò, atque sententias, sed singulas quoque syllabas discutere, volens priùs scire, quid diceret, & sic vel probare, vel redarguere, quod dixisset. Sed nec quid loquatur, nec quibus argumentis velit probare quod loquitur, intelligere potui. Sic involvit omnia, & extricabilibus nodis perturbat, ut illud Plautinum possit aptari: Præter Sibyllam leget nemo, nam divinandum est.* Quis enim expeditè hæc disjunctissima conjungat: Papa damnat hæresim & authorem & fautores; per Decretum removet à communione, etiam à loco, seu cathedrâ depellit; sed illa depulsio est aut sequela damnationis & excommunicationis nescio cujus, aut Decretum illud remotionis à loco, à Synodo adhuc confirmabitur, nescio quando, & ubi.

XLIV. Addit, Papam Syricium dixisse: *Apostoli secuti præceptum*, ergo configendo, damnando hæresim & authorem, *non judicat, sed Apostoli judicium denuntiare se profitetur.* O vestræ potestatis immemores, & improvidi legum conditores, qui de institutis majorum, & legibus antiquis mentionem in vestris constitutionibus facitis, illico hac imprudentiâ excidistis ab authoritate supremâ vestri imperii, profitendo judicia jam antè publicata. Nempe nisi sint omnia nova, legis novæ rationem jussa & præceptiones habere non poterunt, judice Febronio. Illud etiam vobis, quicunque leges Regiâ authoritate conditis, diligenter sciatis providendum, ne illa, quæ à vobis definiuntur, subditi valida & firma esse declarent; ne subditæ provinciæ, ordines, capita populorum dicant se pro ejectis & proscriptis habere, quos vestra edicta proscripserunt; infirma videbuntur anteriora vestra jussa, quæ firmitatem ab obedientiâ subditorum exspectârunt. Cedo Febroni, an non

non ita sentis & judicas? *Papa Cœlestinus*, inquit, *tulit sententiam depositionis irreligiosorum Pelagianorum, & Cœlestianorum* scripsit S. Synodus: *Censemus & nos valida & firma perdurare, quæ definita fuerunt à tuâ Reverentiâ, & consentanei sumus in sententiâ.* Dixerunt Patres Ephesini, quod antea dixerant Innocentius & Zosimus & Cœlestinus, quòd valida & firma perdurent definita per Cœlestinum, quòd omnes illos pro depositis habeant, quos deposuit sententia Cœlestini. Tu infers: ergo Cœlestinus non definivit. Quis non videat argutiarum quas Febronius contexuit, inanitatem? Ad mentem Febronii abstinere debebat Cœlestinus à sententiâ depositionis præoccupatâ, & arroganter tentatâ, cum ad eum plus non pertineret, quàm proponendi, deliberandi, Episcopos auscultandi, horum sententias colligendi officium, aut saltem differenda erat executio decretæ à Rom. Pontifice depositionis, usque dum Ephesini Concilii Patres, quid facto opus. definiissent; at jam sub initium sui Pontificatûs petenti Cœlestio Papa negaverat audientiam, sciens damnatis non examen judicii, sed solùm pœnitentiæ remedium esse præstandum, imò & ex Italiæ finibus eum extrudi jussit. Annon hoc est agere cum imperio? Annon diu antequàm Ephesini Patres de illis excommunicationibus & depositionibus mentionem fecerunt, illæ vim & robur ex Pontificiâ authoritate acceperant? Ubi tunc erant Isidorus, & Gratianus?

§. X.

Examinatur, quibus finibus & quare Febronius Rom Pontificis jus & potestatem Vicarios, Legatos, Nuntios mittendi circumscribat.

1. *Ex curâ omnium Ecclesiarum infert Febronius, quòd Papæ conveniat, mittere Nuntios seu Legatos.*
2. *Probat exemplo Innocentii I. qui Rufum fecit Vicarium Apostolicum.*
3. *Quæ fuerat Rufi authoritas.*
4. *Rufo inconsulto retractant Episcopi causam Perigenis à Bonifacio I. judicatam.*
5. *Hoc Bonifacius improbavit.*
6. *S. Bonifacius defendit suum Primatum & Rufum.*
7. *Episcopis ad Imperatorem refugientibus resistit Bonifacius.*
8. *Theodosius favet Bonifacio.*
9. *Legati Romani olim dicti*: Nuntii Senatûs, *vel* populi, *quorum instar sunt Nuntii Apostolici.*
10. *S. Germanus fuit Legatus Papæ Cœlestini.*
11. *S. Bonifacius Legatus Gregorii II.*

12. *Apocrisiarii à Pontificibus missi ad Imperatores, ut S. Gregorius à Pelagio, Pelagius à Vigilio.*
13. *Pelagius jurisdictionem exercuit in provinciâ Legationis.*
14. *Quoad jurisdictionem differentia inter Legatum Pontificium & Regium.*
15. *Febronii commentum de auctâ post Isidorum authoritate Nuntiorum Apost. refellitur.*
16. *De Legatis Gregorii VII. Giraldo & Richardo abutentibus potestate.*
17. *Bonifacius VIII. à Nauclero Sorbonico defenditur.*
18. *Febronii falsa observatio, quare Nuntii Apostolici sint Archiepiscopi in partibus.*
19. *Böhmeri de Nuntiis Apostolicis seu Legatis judicium impugnatur.*
20. *Commentum Febronii, quòd Nuntii in Galliâ, Belgio, Siciliâ ne minimam spiritualis jurisdictionis partem habeant.*
21. *De potestate* NUNTIORUM *in Germaniâ.*
22. *Febronii frivola provocatio ad Decretales Isidori in materiâ de Legatis.*
23. *A Drogone Metensi Legato Sergii,*
24. *Et Ansegiso Legato Joannis VIII. Febronius ineptè format argumentum.*
25. *Petrus de Marca citatus à Febronio ei non favet.*
26. *Petri de Marca opinio de Synodi particularis authoritate impugnatur.*
27. *Febronii frivola cautela, quod nimiæ indulgentiæ aut ignorantiæ sit imputandum, si commissionibus Papalibus non fuit contradictum.*

I. Agnoscit Febronius curam & superintendentiam in omnes Ecclesias vi muneris incumbere summo Pontifici, & nullibi pro extraneo eum haberi posse, cùm ad Ecclesias longo à se intervallo disterminatas transire nequeat, impediendum non esse, quominus faciat per Vicarios, Legatos aut Nuntios, quod Officii Papalis rationes postulant.

II. Exemplo Innocentii I. probat id ad Rom. Pontificem pertinere; si enim Rufo Thessalonicensi commissa est cura Vicaria non paucarum Ecclesiarum, quod Rufo dedit, dare & aliis potuit. Hæc Vicarii Apostolici per Innocentium facta constitutio est inspicienda diligentiùs, cùm illius solius particularem mentionem fecerit Febronius. XXIII. Episcopi Macedoniæ, inter quos Rufus eminebat, Synodo factâ Innocentium super quibusdam ad disciplinam pertinentibus consuluerant.

III. Respondit statim Innocentius ad singula, voluitque, ut Rufus per Ecclesias Africanas cuncta, quæ Pontifex decreverat, recitanda dirigeret. Quod esset Rufi ingenium, quis Zelus, quæ mentis integritas, hoc experimento cognovit Innocentius; vicariæ illius potestati non dubitavit subjicere Achaiam, Thessaliam, Epirum, Cretam, Dardaniam, aliásque conterminas provincias: *Arripe*, inquit, *dilecti sime frater nostrâ vice per eas Ecclesias curam; salvo earum Primatu sis ipse inter Primates primus; quidquid* ad

ad nos mittere necesse fuerit Episcopis, non sinè tuo postulent arbitratu. Voluit, ut aut per ejus experientiam finiantur causæ, aut ejus consilio Romam transeundum esse mandetur.

IV. Innocentio defuncto Episcopi Illyrici Synodum indicunt Corinthi, Rufo inconsulto, ut retractarent causam Perigenis, quem Papa in Metropoliticâ Sede Corinthiorum contra mentem Episcoporum Comprovincialium constituerat. Querelam statim Rufus ad Pontificem Bonifacium, qui Innocentio successerat, detulit, quòd Vicariatus per Achaiam sibi ab Innocentio concessus per hoc veniat in contemptionem, eáque in suî personam redundet.

V. Rescripsit Bonifacius: *Nihil timebis, habes B. Apostolum Petrum. Non patitur ille Sedis suæ perire privilegium. Aderit & Canonum violatores, atque Ecclesiastici juris inimicos Deo authore compescet. Thessalis comminationis & correptionis plenas literas misimus. Ad Synodum, quæ dicitur illicitè congreganda de causâ fratris nostri & Coepiscopi Perigenis, cujus scripsimus statum nullâ posse penitùs ratione turbari, talia scripta direximus, quibus universi fratres intelligant, convenire se citra tuam conscientiam minimè debuisse; deinde de nostro non esse judicio retractandum; nunquam enim licuit de eo, quod semel ab Apostolicâ Sede statutum, rursus tractari. Demum intelligant, si quid contra consuetudinem fecerint, priùs esse cassandum.* Declarat Causianum, Cyriacum atque Calliopum, nisi Rufus intervenerit, à suâ communione summovendos. *Maximum* (inquit) *quem malè tua charitas retulit ordinatum, in totum censemus bonore Sacerdotii privandum.*

VI. Thessalis Episcopis hoc etiam scripsit S. Pontifex: *Institutio universalis nascentis Ecclesiæ de B. Petri sumpsit bonore principium, in quo regimen ejus & summa consistit. Ergo servate bonorem debitum Capiti, quia nolumus, ut intra se membra decertent, ita ut tendatur eorum ad nos usque certamen, dum fratrem nostrum Rufum dignum ducitis contemptu, cui nihil novum authoritas nostra concedit, sequens priorem gratiam, quâ huic sæpè cura Ecclesiarum videtur injuncta. Intemeratum hoc servari volumus in futurum. Non decet fratres alterius dignitate morderi.*

VII. Cùm Episcopi non acquiescerent Bonifacii literis & per Theodosium impetrâssent, ut non Rufo, sed Attico Cpolitano Episcopo subderentur, & ab eo Synodus Corinthi indicta esset, ad vindicandum Romanæ Sedis Primatum se intentiùs applicuit. Episcopis Illyrici ostendit suæ Cathedræ dignitatem: *Nemo*, inquit, *unquam Apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit, nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit judicari.* Probat Sedem Romanam semper in arduis fuisse consultam ab Ecclesiis Orientalibus; auxilium Pontificis petiisse Athanasium & Petrum Alexandrinos, Meletium & Flavianum Antiochenos. His copiosè propositis prohibet Perigenis causam Papali judicio terminatam denuo tra-

tractari; alias verò caufas jubet ad Rufum referri, Vicariatu Apoftolicæ Sedis rurfus confirmato. Etiam apud Honorium egit per Legatos, ut Romanæ Ecclefiæ jura faciat confervari.

VIII. Ejus Principis interventu obtinuit, ut Theodofius declararet: *Omni Epifcoporum per Illyricum fubreptione remotâ ftatuimus obfervari, quod Apoftolica difciplina & Canones veteres eloquuntur.* Egit Innocentius, ejúsque Succeffor Bonifacius inftar fummorum Principum fæcularium, dum per Vicarium fuum Epifcopum Theffalonicenfem fua juffa executioni mandârunt, ejus authoritatem contra diffentientes Epifcopos, etiam Cæfaris authoritate per fubreptionem protectos defenderunt, caffa & irrita declarârunt Vicariatui à S. Sede commiffo contraria. Pofteritas Ifidorum fecuta nullum nobis Vicarium Sedis Apoftolicæ exhibet, cui pleniorem poteftatem vicariam aliquando Sedes Romana commiferit.

IX. Romanorum Pontificum Legatos ad normam Legatorum Reip. Romanæ in remotioribus provinciis negotia Ecclefiæ curâffe, nemo negat. Antiqua Roma illos, quorum operâ confilióque peregrè Magiftratus utebatur, *Legatos* dixit, aut *Nuntios Senatûs vel populi*; horum alii Proconfulibus & Præfidibus provinciarum impendebant operam; alii in privatarum tantùm caufarum cognitione mandatâ autoritate utebantur; fi quid majorem diligentiam pofceret, remittendum erat ad Proconfulem. In Ecclefiâ ad fidem infidelium terris inferendam, aut ad fidem contra hærefes defendendam, aut collapfam difciplinam Ecclefiæ corrigendam à fummis Pontificibus Legati miffi funt.

Rofinus L. 1. Antiq. Rom. C. 24.

X. Ita S. Germanus bis in Angliam juffu Cœleftini titulo Legati tranfiit, ut eam Pelagianis erroribus purgaret. Bonifacius in Germaniam & Galliam à Gregorio II. miffus eft. Omitto alios, cum omnibus fæculis talium Legationum exempla abundent.

XI. Alii Legati ad Synodos mittebantur, quorum quæ fuerit autoritas, Orientalium & Occidentalium Synodorum hiftoria loquitur.

XII. Alii à Rom. Pontificibus pro Ecclefiæ negotiis ad Imperatores chriftianos miffi funt, quos Græci Apocrifiarios dicebant, cum ἐξεχόντως ἀποκρίσεις feu refponfa Principum exciperent, Romámque transmitterent. Horum erat Ecclefiæ commodis invigilare, & fummi Pontificis refponfa Principi exhibere. Ita S. Gregorius M. cùm Ecclefiæ Romanæ Diaconus effet, à Pelagio Pontifice fe miffum effe ad Principem teftatur his verbis: *Dum juffione Pontificis mei Cpolitanæ Urbis Palatio refponfis Ecclefiafticis defervirem.*

XIII. Tefte Procopio jurisdictionis prærogativam Pelagio Diacono & Apocrifiario primæ Sedis Romanæ dedit fpeciali delegatione Vigilius. Idem Pelagius cum Patriarchis & Epifcopis in Palæftinam profectus eft, ut Gazæ Paulo Epifcopo Pallium Epifcopale aufferrent, & eum ab officio deponerent. Perperam ergo afferit Febronius, Legatos Pontificios olim ne minimam jurifdictionis partem exercuiffe.

Pet. de Marca L. 5. C. 16. Liberatus in Brev. C. 23.

Hoc

XIV. Hoc præ Legatis aliorum Principum tribui Legatis Pontificiis debebat, quòd in caufis Ecclefiafticis jurisdictionem fpeciali Pontificum juffu exercuerint, cùm illud inter Pontificem & Principes difcrimen fit, quòd Pontifici in terris exteris particulari nexu conjunctum fit Sacerdotium, & Laici, quantùm ad fpiritualia, Pontificem tanquam fuperiorem revereantur, Principi autem fæculari in alienâ provinciâ nulla omnino fit imperandi autoritas, fed eo tantùm nexu Principes conjungantur, quo inter fe diverforum regnorum populi conjuncti funt. Inde eft, quòd aliud non fit officium Legati Regii, quàm hoc, quòd huc illuc refponfa perferat; Legato autem Pontificis ea, quæ ad Deum & divina pertinent, ad commune univerfalis Ecclefiæ commodum committantur.

XV. Quod Febronius de auctâ poft fæculum IX. autoritate Nuntiorum Apoftol. comminifcitur, ad cætera ejus figmenta pertinet. In unaquàque Provinciâ Germniæ inquirantur Synodorum Provincialium Statuta, non Concilio tantùm Tridentino, fed etiam Conftantienfi anteriora, patebit exhis concurrentem cum Epifcopis jurifdictionem nullibi apud gentem noftram invaluiffe; imò nec id Gregorio VII. & Bonifacio VIII. tribui poteft, quòd, quidquid eft jurifdictionis contentiofæ aut voluntariæ, conati fint fuis Legatis afferere.

XVI. Si Giraldus Oftienfis Epifcopus in Aquitaniam à Gregorio VII. miffus Legatus præter jus fásque nonnulla præfumpfit injuftè alios excommunicando, alios deponendo; fi Richardus ab eo miffus in Hifpaniam Legatus infolenter multa fecit, & concefsâ ad falutem poteftate abufus eft ad quæftum, an hæc Gregorio volente & probante, aut in impii lucri partem veniente facta dici poterunt? Declaravit fe nolle, infamiam pravi judicii ad fe ufque pertingere; arguit Giraldum, quòd neglexerit nuntiare, quæ egiffet, quatenus, inquit, confpectis omnibus confirmanda confirmaremus, & fi quæ mutanda viderentur, difcretâ ratione mutaremus. Eidem objicit, alios injuftè excommunicatos, alios inordinatè depofitos, alios immeritò interdictos fe conqueri, & quàm à terrenâ cupiditate alienum animum gereret, totus ejufdem Pontificatus monftravit.

XVII. Bonifacium VIII. ùt refert Nauclerus Doctor Sorbonicus, poft 9. annos Clemens V. annuentibus 300. Patribus in Concilio Viennenfi, ubi præfens aderat Rex Franciæ Philippus, verum, Catholicum, nullâque labe pollutum fuiffe pronuntiavit; omnium malevolorum calumnias, impofturas, mendaciáque in illius Pontificis famam contorta, ut Regi placerent, placendo illuderent, illufum deciperent, ipfe Pontifex cum toto Concilio deteftatus execrationi fubjecit. *Naucl. de Monarch. p. 4. L. 7. C. 18.*

XVIII. Quid hoc obfervationis eft, quòd *propter reftrictiones exceffivæ Legatorum autoritatis potiffimùm per Concilium Tridentinum factas non mittantur ampliùs Cardinales Legati, fed plerumque Archiepifcopi in partibus?* Quafi verò ante Concilium fuerit mos conftans mittendi Cardinales in Germaniam.

maniam. Vidit gens nostra Cardinales Legatos Nicolaum Cusanum, Laurentium Campegium, Thomam Cajetanum; de his nemo querelas fecit, præter Novatores. Joannes Anagniensis Cardinalis Legatus Lucii III. gratam Coloniensi Ecclesiæ suî memoriam reliquit. Raras admodum fuisse Cardinalium Legationes, ne ipse quidem Barthelius diffitebitur.

Bohm. ad cit. decret. de offic. Legat.

XIX. Böhmerus admittit semper in Ecclesiâ fuisse morem Legatos mittendi, per quos communio mutua Ecclesiarum conservaretur, quorum consilio, auxilióque ad communem Ecclesiæ salutem spectantia curarentur, sed fuisse Nuntios tantùm sinè caractere & jurisdictione. Cùm pro suâ hæresi nihil spiritualis potestatis & jurisdictionis mittenti Pontifici concedat, mirum non est, illam à Böhmero & Missis seu Legatis abnegari. Addidit, quid quid pruritus maledicendi potuit ei contra Rom. Pontifices inspirare. Non vacat improbum hunc morem operosè perstringere; id nunc videndum, quid de Legatis Apostolicis proferat Febronius.

XX. Id imprimis à vero alienum est, quòd ne minimam partem spiritualis jurisdictionis exerceant in Galliâ & Belgio. De Siciliâ viderint alii. Nuntiaturam S. Sedis in Regnis Siciliæ, & Neapolis tribunal habere, Siculi non negant. Bullam Pontificiæ Legationis in Galliam dicit à Nuntio exhiberi Parlamento Parisiensi, ut, si quid inveniatur libertati Ecclesiæ Gallicanæ adversum, dispungatur; jurari à Legato se his facultatibus ita restrictis usurum. Quomodo autem, si facultatibus restrictis utitur, nullas retinet? Si retinet aliquas, quomodo ne *minima quidem*, *jurisdictionis pars* ex Pontificio mandato exercetur? Exhibeat Febronius, concordiam discordantium suorum Canonum. Verba solennis illius juramenti Parisini proferat, aut testem idoneum nominet, qui Legatum S. Sedis tali sacramento se obstringentem viderit. In Belgio consuetudines rationabiles, legitimè præscriptas, ipsáque etiam Pontificiâ autoritate approbatas servari jus fásque est; sed quomodo inde concluditur, ne minimam partem jurisdictionis à Nuntio Apostolico in Belgio exerceri?

XXI. Quid in Germaniâ possint, non possint Nuntii Apostolici, tenor facultatum demonstrat; hi inprimis, qui exemptionis privilegio pollent, in provinciâ hujus Legationis, jurisdictionis exercitium agnoscunt. Quod pro temporum & locorum varietate varia sit Nuntiis Apostolicis potestas, prudentem eò movere non potest, ut cum Febronio varietatis illius originem in Isidoricis Decretalibus quærat; ùt à mittentium Principum, ita Pontificum liberâ voluntate pendet, quid committere velint, aut nolint Legatis.

XXII. Quod nec idoneâ autoritate, nec justo ratiocinio probat Febronius, audaciæ magis, quàm prudentiæ est tribuendum. Quis Ecclesiam Romanam & Ecclesias Germaniæ prudenter dicat octo aut novem sæculis errore deludi? Quis dicat prudenter centies de falsis Decretalibus mentionem fieri, cùm ne unus quidem omnium, quotquot his posterioribus sæculis Ec-

clesiam

clesiam Christi gubernârunt, ostendi possit, qui aliquid solâ alicujus falsæ Decretalis autoritate nixus in Ecclesiæ morem induxerit? Sed fucus faciendus erat multitudini, & justæ probationis defectus provocatione ad falsas Decretales suppleri debebat. Ideò fit impudentiùs, quò plura jam ex ipsis primis sæculis producta sunt summorum Pontificum exempla, quibus invictè probatur id, quod ideis Febronianis è diametro adversum est.

XXIII. Displicuerit Patribus Vernensibus Drogoni Metensi à Sergio data autoritas, quid sani ratiocinii inde aliquis Febronianus concludat? Certum est non omni tempori, non omni nationi easdem præceptiones convenire. Si Drogo, quod ambitiosè quæsivit, obtinere non potuit, maneat hoc illi gloriosum, quòd ambitionem commendabili modestiâ & patientiâ correxerit. Drogo erat & communione Sacerdotii conjunctus Episcopis, & consanguinitatis nexu propinquus Principi, ideo eum & Ecclesiæ rebus, & publicis Galliæ commodis utilitatem allaturum sapienter censuit Sergius.

XXIV. De Ansegiso idem fuit Joannis VIII. judicium. Erat Senonensis Ecclesiæ Archiepiscopus, & Regi Carolo Calvo Imperatori, à quo Romam missus est, charus imprimis; etiam in Synodo Pontigonensi Patrum major pars collaudabat Ansegisi prælationem; sed cùm Hincmarus obsisteret, & juri Metropolitico vicariam illam potestatem adversari, vehementiùs contenderet, eidémque Decreto Joannis Pontificis negaret Episcopos in Synodo Pontigonensi liberè adhæsisse, sed eorum plures metu Principis tacuisse. Tranquillitatis publicæ ratio his, quibus pax Ecclesiarum cordi erat, persuasit, ut mallent aliis gratam, aliis molestam vicariam potestatem Ansegisi firmitate non potiri, quàm turbas, quas pertinax Hincmari oppositio fovebat, invalescere. Jussis Apostolicis Joannis Papæ se, aliósque sibi adsentientes Episcopos declarabat parituros, si secundùm sacros Canones, & Decreta Pontificum anteriorum è Canonibus promulgata formarentur. Odo Belluacensis Episcopus, qui Synodo eidem interfuit, testatus est, *pluribus* Hincmari sententiam *placuisse*, *duorum tantùm vel trium favori*, *ac paucorum silentio*, *& imperiali potentiæ contra Sacrorum Canonum & Apostolicæ Sedis Pontificum Decreta Joannem concessisse*. Aimonii recentioris Historici autoritate nixus de Marca Odonis Belluacensis Acta censet *nullius esse momenti*. Autor Annalium Bertinianorum, ut Hincmaro placentia scriberet, Odoni Belluacensi suffragatur; sed hunc Natalis Alexander ostendit *præjudiciis totum occupatum*, *Hincmaro penitùs devotum*, *plura in hujus gratiam commentum esse*. Ex Chronico Autisiodorensi citat Natalis hæc verba: *Resistere voluit Hincmarus Rhemorum Archiepiscopus*, *sed Apostolicâ autoritate compressus est*.

XXV. Addit Febronius citationes duorum locorum Petri de Marca, in quibus de Nicolao I. in causâ Lotharii & Theutbergæ Legatos mittente fit mentio. Sed ibi fatetur Autor, *nihil novi statuisse Nicolaum*, *eámque fuisse*

 portio-

portionem antiqui juris Episcopo Romano competentis, ut ad eum referendæ sint ambiguæ tales controversiæ, quæ in Synodo terminari non possint.

XXVI. At verò censuit laudatus de Marca prorsus aboleri authoritatem Synodorum per hoc, quòd jubeat Nicolaus Acta Synodi sibi mitti, ut si quid injustè fuerit judicatum, restaurari jubeat cognitionem. Non videtur ea satis consequenter dixisse, nam si controversia per dissensionem non terminabilis referenda sit ex veteri more ad Apostolicam Sedem, quare, si quid perperam plurium suffragiis definitum fuerit, Legati ad Sedem Apostolicam id referendo censeantur Synodorum autoritatem intervertere, & quæ penes Episcopos est, totam Sedi Apostolicæ facere propriam? Definire controversiam dissensionis impedimento non terminatam, & emendare, quod perperam definitum fuit, perinde videri debet esse pristini moris. Omnem, quæ penes Episcopos est, autoritatem adeò non voluit ad se in illâ causâ trahere Nicolaus, ut Metensibus scripserit: *Si secundùm æquitatem definiverint, se Deo omnipotenti gratias relaturum*; neque difficillimâ Legatione opus censuisset, si nullam voluisset Episcopis Germaniæ & Galliæ de famosâ illâ divortii causâ judicium relinquere.

XXVII. In eo singulari cum providentiâ & circumspectione Febronius voluit se cautum ostendere, quòd quibuscunque in hâc materiâ Legationum Pontificiarum undecunque proponendis exemplis occurrerit his verbis: *Pone tamen extare commissionum exempla, quibus contradictum haud appareat, Rom. Curiæ rationibus nequicquam accedit, sive indulgentiâ, juris ignorantiâ, seu aliâ quâvis causâ id factum fuerit.* Nempe hoc erat uno ictu heroicè omnia sternere, quidquid de Legatorum autoritate, rebus per eos gestis proponatur, non dubitavit citò vel *indulgentiam*, vel *ignorantiam juris* & Episcopis, & Synodis & Principibus objicere. Rogavit Lotharius Nicolaum, ut convocaret Metis Concilium, ac Legatos suos eò mitteret ad judicandum dubiam causam sui matrimonii. Nicolaus scribit Lothario: *Regalis Excellentia vestra nuper Apostolatui nostro direxit, ut pro perficiendâ Synodo Missos à latere nostro mittere dignaremur.* Age Februni Lothario indulgentiam, veri juris ignorantiam imputa, aliam, quam volueris, causam tum Nicolao tribue, quòd miserit Legatos, tum & Episcopis utriusque Nationis Germanicæ & Gallicæ, quòd Legatos admiserint. Suo se indicio prodit sorex.

§. XI.

§. XL.

Perstringitur heterodoxa idea Febronii de Principatu Summi Pontificis, quòd sit expers jurisdictionis, & tantùm in ordine & consociatione consistat. De usu & abusu tituli: *Episcopus Universalis*.

1. *Febronius iterum impugnat Titulum Papalem*: Universalis Ecclesiæ Rector.
2. *S. Leo dictus* Patriarcha œcumenicus *ab Alexandrinâ Ecclesiâ*.
3. *Synodica Epistola PP. Ephesinorum dicit Leonem* Caput Ecclesiæ, *non Ecclesiarum. Commissam ei à Christo* curam vineæ, *non vinearum.*
4. *Hormisdas dictus* universi orbis terræ Patriarcha & caput omnium.
5. *Agatho* universalis Princeps Pastorum.
6. *Leo III.* Archipræsul Ecclesiæ, quæ sub cœlis est.
7. *Hadriano II. acclamatum in Synodo generali:* Universali Papæ vita.
8. *Ineptæ repetitiones & contradictiones Febronii.*
9. *Iterum abutitur verbis S. Gelasii.*
10. *Ejus ratiocinium ex Dupino.*
11. *Iterum ad declarationem Cleri Gallicani anno 1682. factam provocat.*
12. *Ex voce:* Pertinere, *quam vocat* vigilantem, *argutatur.*
13. *Febronius à Cleri declaratione tantum recedit, quantum accedit ad Quesnellum.*
14. *Iterum provocat ad S. Cypriani dissidium cum S. Stephano.*
15. *Propositio Febronii*: Præter propter Papa habet Principatum in universâ Ecclesiâ, qualem S. Cyprianus in Africâ, *refellitur.*
16. *Pessimè denegat Rom. Pontifici jurisdictionem.*
17. *Quid sit jurisdictio, explicat Gerson.*
18. *Authoritate Conc. Trid. probatur jurisdictio Papalis.*
19. *Febronius cribrat titulos Rom. Pontificis & repetit de verbo* jussionis *sententiam S. Gregorii.*
20. *Erkelius Batavus à Card. Busso excommunicatus perstringit titulum:* Universalis totius orbis Episcopus; *huic consonat Febronius.*
21. *Wickius contra Erkelium explicat, quid S. Gregorius M. recusaverit.*
22. *Quomodo Apostolus se insipientem dicat, ut superbos Corinthios ad modestiam flectat.*
23. *Eum imitatur S. Gregorius.*
24. *Exempla severitatis, & rigoris in puniendo Natalem Salonitanum.*
25. *In Rescriptis contra Joannem Jejunatorem.*
26. *In corrigendo Episcopos Campaniæ.*

In

27. *In defendendo Januarium Episcopum*
28. *Argumentum Febronii ex Commentario in S. Gregorii opera est contra Febronium.*
29. *Quomodo S. Leo sit usus titulo*: Episcopus Catholicæ Ecclesiæ Urbis Romæ.
30. *Quomodo Episcopi Africani se dixerint Episcopos Catholicos.*

I. Anacephaleosin proponit Febronius quorumdam antè dictorum. Repetit, 1. quantis studiis frustra conati sunt Patres Tridentini, ut Pontifex *universalis Ecclesiæ Episcopus & Rector* declararetur. Vicissim quæ ad inanem hanc Febronii cavillationem retundendam Cap. 1. §. 8. à me dicta sunt, iterum oppono.

II. S. Leo magnus à Clericis Alexandrinis titulo Patriarchæ Oecumenici honoratus est hâc libelli supplicis inscriptione: *Patriarchæ Oecumenico Leoni*, quo titulo universalis Patriarchæ Patres ejusdem Synodi frequenter usi sunt, ipséque Leo in epistolis ad Marcianum & Leonem Augg. & Eudoxiam.

III. Addo etiam Synodicâ Patrum Epistolâ vocatum esse *Patrem & Caput Ecclesiæ, cui Christus vineæ suæ curam commisit*; non *vinearum* dixerunt, sed universamEcclesiam voce metaphoricâ singulari significabant. Eâdem in Synodo sententia pro Theodoreto his fuit verbis concepta: *Theodoretum sanctissimus & beatissimus universæ Ecclesiæ Episcopus Urbis Romæ dudum in communionem suscepit.*

IV. Hormisdam ab Archimandritis Orientalibus *universi orbis terræ Patriarcham & Caput omnium.*

V. A sextâ Synodo scriptum Agathoni: *Tibi ùt primæ Sedis Antistiti universalis Ecclesiæ quid gerendum sit, relinquimus stanti super firmam fidei petram.*Eundem Agathonem à Constantino Aug. nominatum esse *universalem Principem Pastorum.*

VI. Leonem III. à Theodoro studitâ vocatum esse *Patrem Patrum, Archipræsulem Ecclesiæ, quæ sub cœlis est.*

VII. Hadriano II. communi Orientalium, aliorúmque acclamatione dictum: *Universali Papæ vita, universali Papæ sempiterna memoria.*

VIII. Illud etiam Febronius repetit, quòd jam suprà discrimen fecerat inter to *solicitudo universæ Ecclesiæ*, & *solicitudo omnium Ecclesiarum*; quâ cavillatione nihil ad scopum ineptius. Repetit & hoc, quòd jus proponendi Leges ab Ecclesiis omnibus observandas habeat Pontifex non suo jure, sed sic, ut à voluntate universalis Ecclesiæ pendeat, an illa velit, nolitve eas leges agnoscere: nempe mirabili subtilitate scivit Febronius hæc ἀσυμφωνα concinnare ad symphoniam harmonicam: *Ecclesiæ debent observare Leges à Pontifice propositas. Universalis Ecclesia potest has leges Pontificias respuere, si vult.*

vult. Repetit, ante Concilium Sardicense nullâ ratione jus appellandi ad Pontificem pertinuisse. Causas omnes, tam quæ sunt fidei, quàm quæ ad particularia Episcoporum, inferiorúmque Clericorum negotia pertinent, ita complicat Febronius, ut intelligatur ante Sardicense Concilium non magis Romam, quàm Carthaginem, aut Alexandriam fuisse undecunque terrarum provocatum; quamvis non ignoraret sibi Asiam & Africam, imò & Galliam obstare, & jam suprà indicatis verbis & exemplis Polycarpi & Irenæi ac Tertulliani ostendi morem primorum temporum. Repetit impudenter paritatem suam inter Præsidem Senatûs & Rom. Pontificem; quanquam sciat à nullo unquam cujuscunque in toto orbe Senatûs ad eam formam dari communia præcepta non auditis antè Senatorum suffragiis, sicut luculenta totius antiquitatis testimonia comprobant, egisse cum imperio Rom. Pontifices, quoties de Fide aut Ritu, ad universalem Ecclesiam spectante, fuit inter Episcopos disceptatum. Repetit, quòd in casu exortæ hæresis debeat Papa scribere ad Episcopos, ut comprovincialem schismaticum aut hæreticum Episcopum deponant; quanquam ex his, quæ de Papâ Stephano dicta sunt, convincatur, non extare ullum talis obligationis fundamentum. Repetit, ne tunc quidem, dum Pontifici non obtemperant comprovinciales Episcopi, posse deponi à Pontifice apostatam Episcopum, quanquam suprà recitatis & antiquis & novis exemplis pateat contrarium.

IX. Repetit etiam, promittitque se cap. sequenti demonstraturum, quòd excommunicatio non sit actus jurisdictionis propriè talis, iterúmque inverecundè abutitur authoritate Gelasii, de quo, quid debeat (quantùm ad eam *quæstionem facti*: Quid reipsa docuerit Gelasius) etiam quisque omnino ab Ecclesiâ nostrâ Catholicâ extraneus judicare, solis ejusdem decretis & jussionibus attentis ipsa ratio dictat. Hæc autem Gelasii verba recitat: *Non solùm Pontifici, sed unicuique Episcopo licere quoslibet secundùm regulam hæreseos, antè damnatæ, à catholicâ communione discernere.* Si hoc vult Febronius, datâ (priùs damnatæ) hæreseos hypothesi, quemcunque illius hæreseos reum à quocunque Episcopo vitari posse tanquam catholicæ communionis exortem, nemo est, qui obstet. Quis enim neget ipsummet Febronium supposito, quòd aliquam in Insulis Philippinis urbem Lutheri errores pertinaciter tueri constiterit, eam hæreticam & à communione catholicâ extraneam audacter declarare posse, omnésque orthodoxos eò migrantes hortari, ut cum ejus civibus nullâ utantur communione Sacrorum, neque eos habeant ùt fratres, quos error damnatus à credentium cœtu divisit? Quis autem sustineat hoc omnibus illis excommunicationum Pontificiarum decretis, quæ in historiâ Ecclesiasticâ consignantur, applicari?

X. Argutulam hanc ratiocinandi methodum à Dupino didicit Febronius: *Excommunicatio*, inquit Dupinus, *à Victore I. lata non probat illum ullam in Asianos jurisdictionem habuisse, cùm omnes Episcopi possint se ab aliorum com-*

 munione

munione secernere, & Ecclesiæ desertores se ipsos potiùs excommunicent, quàm excommunicentur. Hac arte expeditum erit Febronio, nec Petrum, nec Paulum fecisse aliquid, dum *Satanæ* impios *tradiderunt*, cùm jam antea ipsimet impii per malitiam propriâ voluntate commissam se Satanæ tradiderint, aut fidei contraria dogmatizando abierint ab illis, quos sciebant contrarium credere, & docere.

XI. Repetit etiam provocationem suam ad declarationem Cleri Gallicani anno 1682. editam. Illud autem liceat & mihi repetere, quòd ne ipsa quidem Gallia eam huic declarationi authoritatem tribuat, ut universæ Ecclesiæ, seu, quòd libentiùs audit Febronius, omnibus Ecclesiis imposita sit obediendi necessitas. Scit Febronius illum Cleri conventum nequidem formam Concilii Nationalis habuisse, minùs autem ea illi potestas tribuenda, quæ Concilio œcumenico per ipsum tribuitur. Ad quid ergo peremptorium illud Febronii decretum his verbis conceptum: *Rectè baud dubiè, nec quisquam bonus Catholicus aliter sentiet.*

XII. Quæ verò illa phrasis est: *Vigilanti verbo* pertinere *Clerus usus est, quod cum negativâ irreformabilitatis conjunctum, & cum jure omnium & singulorum Episcoporum propriâ veráque in ipsos à Christo delapsâ authoritate cognoscendi de puritate Decretorum Fidei à Romanâ Sede emanantium, sufficienter excludit imperium, omni jurisdictioni verè tali connatum. Vigilans* illud *verbum pertinere* Ciceroni, Ulpiano (quos citat Lexicon R. Stephani) aliisque latinis idem est, ac *pertingere, se extendere*, si autem Papalia Decreta sic ad omnes & singulas Ecclesias pertingant, ut omnes & singuli propriâ verâ à Christo delapsâ authoritate cognoscant, an sint pura vel impura, certum est excludi imperium, & principatum & jurisdictionem, nisi dicamus, quòd verba legis concinnare sit esse Legislatorem, & quòd inter *Theologos minores*, qui Tridenti jussu Patrum Decreta futuræ sessionis componebant, & Patres, qui præconceptis eorum Theologorum verbis, ùt sæpè factum, in sessione judicium ferebant, nihil discriminis intercedat.

XIII. At verò aliâ tunc viâ inceditur, quàm quæ ab Illustrissimo Conventu Cleri Gallicani signabatur iis verbis, quæ *præcipuas in fidei quæstionibus partes Rom. Pontifici* tribuebant. Ecclesiæ universalis consensum Clerus poscebat, Febronius omnium & singulorum Episcoporum. Censuit Clerus præcipuas esse Pontificis partes, quòd ejus Decreta omnes & singulas Ecclesias obligandi vim habeant; Febronius dicit singulos authoritatę à Christo datâ jus habere de puritate & impuritate Decretorum Fidei à Romanâ Sede emanantium cognoscendi, definiendi. O quantis te præconiis extolleret Quesnellus, si eum fata in hæc tempora servâssent!

XIV. Ut hoc paradoxon Patrum authoritate fulciat, & velo antiquitatis tegat novitatem, iterum ad S. Cypriani cum S. Stephano Pontifice Romano dissidium provocat; recitatis quibusdam Cypriani verbis, quæ vehementior

mentior commotæ mentis æstus protrusit, pergit ita Febronius: Qui bonâ fide acta inter Stephanum & Cyprianum contulerit, animadvertet Cyprianum à Primatu verum imperium & externam coactionem exclusisse.

XV. Addit scitè admodum: *Præter propter habet Papa principatum in universali Ecclesiâ, qualem Cyprianus ipse gerebat in Africanâ.* Febronio par est conditio Stephani & Cypriani in jure convocandi Concilia, his præsidendi salvâ Episcopis & libertate & æqualitate; dispar autem in hoc, quòd Cypriani Primatus ad omnes & solas Africanas Ecclesias pertinuerit; Rom. Pontificis autem Primatus omnes totius mundi Ecclesias complectatur, & quòd Primatus Africanus humani juris sit, Romanus autem Divini. Debebant Africani obedire Stephano, debebant eâ in disceptatione obedientiam negare Cypriano: hic errorem docebat, ille veritatem, quod jam satis ex S. Augustino & S. Vincentio Lerinensi, ac subsecuto totius Ecclesiæ Catholicæ consensu demonstratum est. Quidnam itaque illud *præter propter* Febronianum significat, nisi quòd Cyprianus errans proponatur tanquam norma, & errantis exemplo moneantur fideles, ut detrectent obedientiam supremo Pastori? *Necesse erit*, ait Author Disceptationis de Ecclesiâ sui temporis, *hæsitare unumquemque, quamdiu nescietur, an causa Fidei fuerit plenè cognita ab omnibus & singulis Episcopis*, & dum Quesnellus quatuor Galliæ Episcopos habebat suæ novitatis patronos (qui eo duce à Constitutione Papali appellabant ad *futurum generale & liberum & legitimum omni ex parte Concilium*) dici debebit prudenter Clementi XI. obstitisse. At præstabit ad hanc S. Hieronymi sententiam attendere: *Ecclesiæ salus à summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quædam & omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot Sacerdotes.* Consonat S. Cyprianus: *Inde schismata & hæreses obortæ sunt, & oriuntur, dum Episcopus, qui unus est, & Ecclesiæ præest, superbâ quorumdam præsumptione contemnitur.* Idem aliis verbis suprà recitatis expressit, dum dixit, *hæreses non aliunde ortas, aut nata schismata, quàm quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, neque unus in Ecclesiâ ad tempus Sacerdos, & unus judex cogitatur.*

S. Hier. Dial. adv. Lucif.

S. Cypr. Epist. ad Pupian. 69.

Epist. 3.

XVI. Frivola est Febronii hæc assertio: *Quod multi jurisdictionem in Papâ, nos authoritatem dicimus: quis rectius loquatur, judicent peritiores; saltem nos cum Tridentino loquimur.* Nemo jurisperitus dubitat, Imperatorem de suâ imperiali jurisdictione loqui, dum dicit: *Omnia nostra facimus, quibus authoritatem nostram impertimur.*

L. 1. C. de vet. jur. enucl.

XVII. Jurisdictio quid sit, Febronio molestum non erit Gersonii verbis doceri: *Potestas*, inquit, *Ecclesiastica jurisdictionis in foro exteriori est potestas Ecclesiastica coërcitiva, quæ valet exerceri in alterum etiam invitum ad dirigendum subditos in finem æternæ beatitudinis; propriè verò jurisdictio est facultas seu potestas propinqua dicendi vel sententiandi jus in alterum etiam invitum.*

Gerson de pot. Eccl. Consid. 4. p. 1. c. 2.

Conc. Trid. Sess. 25. C. 2. de Reform.

Sess. 13. C. 8. de Reform.

XVIII. Hanc potestatem luculentissimis verbis S. Synodus expressit, dum declarat *omnes Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos spondere & profiteri Romano Pontifici veram obedientiam, si quis renuerit, eum statim à Comprovincialibus Episcopis Rom. Pontifici esse indicandum, ut coërceatur.* Declarat causas Episcoporum criminales ad Rom. Pontificem esse *referendas, & per ipsum terminandas.* Declarat se per Decreta sua noluisse Pontificis potestatem coarctare, sed *salvam velle in omnibus authoritatem S. Sedis Apostolicæ.* Ad arbitrium Pontificis declarat pertinere *examen Episcoporum, & formam inquirendi, plenámque agnoscit ei esse facultatem digniores præficiendi, indignos rejiciendi, cùm sanguinem animarum de manibus eorum sit requisiturus.* Quid verò est *sententiare, jus dicere* etiam *in invitum*; si negetur exerceri judicium veræ jurisdictionis, dum observato legitimo processu repellitur electus, criminosus punitur, obedientia juratur?

XIX. Denique Febronius cribrat admodum diligenter titulos Rom. Pontifici à venerandâ antiquitate per Ss. Concilia & monumenta Patrum attributos: *Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Oecumenicus Episcopus.* Sed in quem sibi videtur scopum collineare, ab eo imprudenter deflectit. Repetit S. Gregorium Papam suâ ad Eulogium epistolâ à verbo *jussionis*, & titulo *Papæ universalis* abstinendum censuisse. Addit hæc ejusdem verba: *In sanctâ Chalcedonensi Synodo, atque post à subsequentibus Patribus hoc Decessoribus meis oblatum vestra sanctitas novit, & tamen nullus eorum uti hoc vocabulo voluit*, quòd vanitatem inflare & charitatem vulnerare videretur. Aut Conciliis generalibus & Ss. Ecclesiæ Doctoribus primorum Ecclesiæ temporum vile assentationis vitium Febronius imputet, erroneúmque judicium de Rom. Pontificis authoritate, aut, quod à Conciliis & Patribus justè ac verè dictum est, Gregorium, aliósque Pontifices non veritatis, sed modestiæ causâ dicat recusâsse.

XX. Erkelius schismatis in Missione Apostolicâ Hollandicâ primus author, promotórque præcipuus, ideóque publicè hic Coloniæ affixo anathemate ab Eminentissimo Bussio tunc ad Rheni tractum Nuntio Apostolico punitus Pontificiam authoritatem libellis editis impetere, ac Sebastenum Vicarium Apostolicum à Clemente XI. post diuturnam ac plenam causæ discussionem an. 1704. 3. Aprilis exauctoratum defendere ausus est libello: *Protestatio Cleri Romano-Catholici præcipuarum in Hollandiâ Civitatum*, atque inter alia hæc scribere: *Aliquam hæc*, quæ contra Papam scripserat, *fortè præ se ferent umbram veritatis, si Rom. Pontificem totius orbis universalem statueremus Episcopum, at hoc commentum nullâ cujusquam argutiâ probari unquam poterit. Nam & Gregorius M. illud explosit, & probatissimi quique Theologi etiamnum rejiciunt. Pontificem Rom. summum fatemur esse Pastorem atque Episcopum, id est, inter omnes Pastores & Episcopos primum at-*

que

que supremum, sed nullum hinc illi jus emergit Episcopalis potestatis in omnes totius orbis Ecclesias, quæ suos habent Episcopos à Spiritu S. constitutos.

XXI. Suprà laudatus Wyckius tunc, dum contra Erkelium scribebat, constanti annorum 52. Missionis Hollandicæ ministerio perfunctus opponebat definitionem Florentinam suprà propositam. Addebat hæc de S. Gregorio Magno: Vir modestus & humilis arrogantiam retundit Joannis Constantinopol. qui titulum universalis Patriarchæ sibi adscribebat. Duo, ait, sunt distinguenda: Universalis Episcopus in Ecclesiâ. Universalis Episcopus Ecclesiæ. Primum reprehenditur à Gregorio, alterum Rom. Pontifici conceditur. Universalem ita se dicere, ùt Joannes faciebat, est alios ab honore Episcopali excludere. Triste valde est, ait Gregorius, ut patienter feratur, quatenus despectis omnibus prædictus frater solus conetur vocari Episcopus. At verò dici Episcopum universalis Ecclesiæ indicat generalem curam & gubernationem totius Ecclesiæ, licèt gubernatio specialis Ecclesiarum particularium ad Episcopos alios pertineat.

XXII. Tali arte Apostolus quibusdam Corinthiis vanam de suâ sapientiâ & fortitudine præsumptionem ostentantibus se *insipientem*, *infirmum* dicebat, ut suâ humilitate eorum fastum detumescere faceret: at verò dum à quibusdam advertebat sui Apostolatûs authoritatem deprimi, & suæ prædicationis fructum impediri, quasi gloriæ humanæ captator, quanta pro Christo fecerit & passus sit, exaltat. Idem, ut *astutus dolo caperet* Corinthios, humiliter obsecrare novit; at dum humilitas & suî depressio minùs ad scopum sui ministerii opportuna videbantur, ita eos compellat: *Timeo, ne fortè, cùm venero, non quales volo, inveniam vos, & ego inveniar à vobis, qualem non vultis. Prædixi & prædico... Si venero iterum, non parcam. An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis. Scio humiliari, scio & abundare.* 2.Cor. 13 Philip. 4.

XXIII. Pulcherrimè imitando Apostolicam hanc & Ecclesiæ saluberrimam varietatem Gregorius animum didicit ad humilitatem & severam correctionem, imperiúmque, ùt res ferebat, & muneris ratio postulabat, componere; jam se *Servum Servorum Dei* summâ benignitate, jàm se rigidum impietatis ultorem pœnis inflictis exhibuit, conformiter proprio præcepto: S. Greg. Pastor. Prælatus Ecclesiæ sit bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus. P.2. C.1.

XXIV. Inutile non erit pauca quædam Apostolici rigoris illius exempla indicare. Natalis Episcopus Salonitanus, quod Gregorius Papa præscripserat, exequi neglexit; eo comperto ad eum Gregorius scripsit: Fraternitas tua Honoratum Presbyterum in suum mox, ut mea scripta susceperit, locum suscipiat. Quod si facere distuleris, usum tibi Pallii, qui ab hac Sede concessus est, noveris esse sublatum. Si verò amisso etiam Pallio in eâdem pertinaciâ adhuc subsistis, Dominici corporis ac sanguinis te scias participatione

tione privatum. Post quæ necesse est, ut causas tuas subtiliùs indagantes, an in Episcopatu persistere debeas, summâ curâ atque inquisitione debeamus tractare. Eum verò, qui contra justitiæ regulam ad locum Honorati se provehi consensit, ab Archidiaconatûs honore deponimus. Qui si ulteriùs in eo ministrare præsumpserit, se participatione muneris sacri noverit esse privatum. Tu frater charissime nequaquam nos ampliùs provoces, ne duros valde in asperitate sentias, quos erga depositos in charitate contemnis. Sententiæ hujus executionem Antonio Subdiacono commisit, simul & Jobinum Præfectum Illyrici hortatus est, ne Natali contra justitiam operam ferat.

XXV. Cùm Joannes Jejunator Patriarcha Cpolitanus Gregorio eum per literas increpanti, quòd quemdam Sacerdotem in Ecclesiâ Patriarchali fustibus cæsum ultus non esset, respondisset, se nescire; statim rescripsit Gregorius: Quid potest esse deterius, quàm ut agantur talia contra servos Dei, & ipse nesciat, qui præstò est? Quæ enim potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & Pastor nescit? Si autem scivit sanctitas vestra, & mihi scripsit: nescio; contra hoc quid respondeam, quando veritas dicit: Os, quod mentitur, occidit animam? Numquid non meliùs fuerat in illud os carnes ad vescendum ingredi, quàm de eo falsum sermonem ad illudendum proximum exire? Narseti Patritio intervenienti per literas, fidem facientes Gregorio, Joannem velle Canones custodire, respondit: Omni virtute & omni pondere eandem causam exigere paratus sum, in quâ si videro Sedis Apostolicæ Canones non servari, dabit omnipotens Deus, quid contra ejus contemptores faciam.

XXVI. Cùm nuntiatum esset Campaniæ Episcopos officium pastorale turpiter negligere, nullam Ecclesiarum & Monasteriorum & pauperum curam gerere, ita scripsit Anthimio: Nostrâ tibi authoritate præcipimus, ut eos à te convocatos nostro illos mandato districtè commoneas, quatenus desides ulteriùs esse non debeant. Si quem verò eorum post hæc negligentem esse cognoveris, ad nos eum sine aliquâ excusatione transmitte, ut, quàm sit grave nolle ab his, quæ reprehensibilia sunt, corrigi, regulari in se valeant districtione sentire.

XXVII. Cùm Januarius Episcopus Malacitanus injustè per vim depositus esset, aliúsque in ejus locum ordinatus, ordinantem ab omni Ecclesiastico Ministerio deposuit, & depositum jussit Januario tradi, ut in custodiâ habeatur, aut Romam transmittatur. Consentientes ejus ordinationi Episcopos ad semestre Dominici corporis & sanguinis communione privavit, & pœnitentiam in Monasterio agere jussit. Etiam Justiniani Imperatoris constitutione eam injuriam fecit vindicari. Hæc & multa his similia in epistolis Gregorii M. continentur, & Lectorem facilè convincent, quàm inaniter Febronius S. Gregorium suæ præjudicatæ opinionis defensorem fecerit, scripseritque: *Perversè religiosus foret, qui aliter, ac Sedes Apostolica per Gregorium, aut sentiret, aut scriberet.* Certè si & Gregorii modestiam imitaberis Febroni,

ni, & tot argumentis probatam supremam ejus jurisdictionem agnosces, apprime religiosum incipiet esse tuum de Sede Apostolicâ & supremâ ejus per universam Ecclesiam jurisdictione judicium. Intelliges etiam perperam eos à te gravis peccati reos dici, qui eo sensu Rom. Pontificem dici existimant Ecclesiæ Catholicæ Episcopum, ut Catholica Ecclesia sit ejus Diœcesis, in quâ proprio jure agat Episcopum, id est, Pastorem & Patrem omnium, quotquot ad ovile Christi pertinent, & falsissimam illam inde à te illationem formari, quòd reliqui præter nomen nihil nisi vicariam administrationem earum, quibus præsunt, Ecclesiarum habeant. Etsi Pastori Pastorum subsint, veri possunt esse Pastores, & Dispensatores Mysteriorum Dei.

XXVIII. Illud nemo satis mirari possit, quid Febronium moverit, ut commentarium ab Editoribus Benedictinis Operum S. Gregorii compositum adderet suo systemati è diametro adversum. Editores hoc tribuunt Heterodoxis Apostolicæ Sedis infensissimis hostibus, quòd Primatum & amplissimam in omnes Ecclesias jurisdictionem hac S. Gregorii ad Eulogium sententiâ pulsari contendant, & quidem planè immeritò: Febronius autem id attribuit omnibus illis Catholicis, qui Pontificium Primatum non solius ordinis & consociationis, sed & jurisdictionis veræ & propriæ per universam Ecclesiam esse defendunt. Editores dicunt ab Heterodoxis aut non attendi, quo sensu Gregorius vocem hanc interpretetur, dicunt cæcutire eos, qui non vident Gregorium de se suáque authoritate tam modestè sentientem; dicunt liquere, quòd jurisdictionem in totâ Ecclesiâ exercuerit Gregorius. Hæc omnia tamen tanquam sui systematis planè immemor Febronius recitat, & hac solâ à se interjectâ parenthesi contentus est: *Existimamus vocabulum authoritas melius, quàm to Jurisdictio supremo juri Rom. Pontificis convenire.*

XXIX. Quòd autem S. Leo hac epigraphe: *Leo Papa Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ*, usus sit, quod certè non semel, sed sæpius factum constat, Febronio interprete aliud non significat, quàm quod in subscriptionibus Fortunatiani, Aurelii, & Augustini. Peccat contra regulam hermeneuticam, qui pro arbitrio significationem tribuit vocibus, dum de mente iis utentium constat.

XXX. Leo se sciebat Rom. Pontificem, & totam Ecclesiam nullâ ejus parte exceptâ sibi tanquam hæredi Petri esse commissam. Sciebant contra tres illi Episcopi Africani, qui conjunctim se Donatistis Episcopis opponebant, particulares Ecclesias in Africâ suæ curæ pastorali commissas esse. Evidens est, nec Leonem voluisse suam potestatem intra muros & agros Romanos concludere, nec illos tres Africanos voluisse curam suam pastoralem ad extremos terminos terræ protendere. Ergo Febronius operam perdidit, dum inscriptionem Leonis cum subscriptionibus trium Africanorum communi significatione commiscuit.

§. XII.

§. XII.

Febronius perperam asserit, Ecclesiam Romanam ad prospiciendum bono unitatis à statu primorum octo sæculorum, quem primævum vocat, recessisse.

1. *Ut Protestantes Romanensibus, ita Febronius Romanis imputat novitatem.*
2. *Differt in eo, quòd illi post VI. Sæculum Ecclesiæ Romanæ doctrinam dicant innovatam, Febronius in sæculo IX. Isidori.*
3. *Qualem errorem Romanis imputet Febronius.*
4. *Quali medio doceat Febronius occurri hæresibus ante convocationem Concilii generalis.*
5. *Refellitur medium, quod proponit ex Bossueto,*
6. *Et quod proponit ex Gersone,*
7. *Et quod proponit de suo ingenio.*
8. *Imperitè citat Bellarminum de historiâ Ss. Stephani & Cypriani.*
9. *Refutatur ejus argumentum ex verbis Urbani I.*
10. *Febronii explicatio favet schismati.*
11. *Febronius dicit erroneè, quòd primis octo sæculis omnes hæreses aliter, quàm per Rom. Pontificem fuerint sublatæ.*
12. *Iterum dicit reunioni Protestantium obstare Monarchiam Pontificis.*
13. *Refutatur hoc ejus paradoxon.*
14. *Systema suum ridiculis laudibus extollit.*
15. *Ejus systematis capita sigillatim proponit.*
16. *Ostendere nititur Febronius sui systematis commoda.*
17. *Docet omnes causas Ecclesiasticas intra provinciam terminandas.*
18. *Refutatur ex S. Concilio Trid.*
19. *Qualis moderatio præscripta sit appellationibus & inhibitionibus à Benedicto XIV.*
20. *Febronius calumniam impingit Card. Perronio.*

I. Quâ formâ Protestantium Theologi de *Romanensibus* loquuntur, eâ loquitur de *Romanis* Febronius, quasi sint homines doctrinæ novæ florentissimis Ecclesiæ temporibus incognitæ.

II. Eò tamen differt ab illis, quòd numerum sæculorum majorem ad florentissima illa tempora computet, nempe ab epochâ Isidori numerat sæcula Ecclesiæ caliginosa, atque ita longior est Protestantibus Romanensium error, quàm Febronio Romanorum.

III. Sed quid hoc erroris? *inquiunt Romani*, observante Febronio, *in incerto Religionem fluctuaturam, nisi Papæ tribuatur jus absolutum ex jure divino*

divino de rebus fidei decidendi. Ita est; hoc inquient semper; sic didicerunt à Patribus. Romani in Symbolo Apostolorum alia verba non inveniunt fidem orthodoxam significantia, quàm illa: *Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Ad hæc verba Romani omnia in illo Symbolo claré non expressa dogmata referunt concordi sententiâ; neque Romani volunt rebellium *facilè* Synodis particularibus insultantium insaniam protegere: at neque volunt ipsi ad eam proruere temeritatem, ut cùm Febronio *Decreta summorum Pontificum, & particularium Synodorum* paris momenti faciant. Confitetur, solâ Rom. Pontificum authoritate, nullo interveniente Concilio, plurimas hæreses damnatas & suppressas esse, dicat, an jure proprio & absoluto, an ita restricto: *Si placuerit Episcopis*? Posterius utique dicat necesse est, si volet cohærentia dicere; at verò tunc hæresis nondum dicetur damnata, suppressa, dum ultimatum judicium restat exspectandum.

IV. Occurrit objectioni *Romanorum* inferentium, ad Rom. Pontifici resistendum arma suppeditari hac explicatione Febronianâ. Ita est, hoc persuasum habent Romani; sed quid opponitur? Dicturum se Cap. 6. quæ media interim, donec generale Concilium convocatum fuerit, adhibenda sint. Quæ illa? Ex Bossueto hæc profert: *Docti ad traditionem attendent, & indocti tanquam boni filii exspectabunt piæ Matris judicium.* Ex Gersone: *Spiritus S. habet multa media, suggeret aliquid.* Ex suo ingenio sic: *Jansenistæ nullum erit confugium, licèt nondum damnatus in formâ, cùm debeat agnoscere adesse modò omnia materialia prævidendæ damnationis.* Quid horum sit infeliciùs cogitatum, nemo facilè respondeat. Bossuetico asserto Romani opponent:

V. In bello constitutionario Gallorum docti erant Episcopus Miripiscensis, & tres quatuórve cum eo appellantes. Docti 45. Episcopi Constitutionem Clementinam reverenter amplexi. Utrimque traditioni tanquam tutissimæ basi superstruebatur opinio, cui se addixerant. Indocti verò in fluctuatione hærere debebant incerti, quid post unum alterúmve sæculum aliquando Synodus generalis sit definitura. Hæc de Bossueti remedio.

VI. Si Gersonius videbitur audiendus, jure merito postulabunt Romani, cui à Spiritu S. illa suggestio sit communicanda ante Concilium generale.

VII. Febronianum si quis illis prætulerit ambobus, interrogabitur novi systematis inventor: Undenam constabit, omnia materialia esse collecta? An interim quis credat suo arbitrio relictum, cujusnam se voluerit magisterio subdere? an Quesnello & 4. Episcopis appellantibus, an Rom. Pontifici, & 45. Episcopis ei obedientibus? Tantóque erit Quesnellianus, aut quisquis alius novæ alicujus doctrinæ sectator audacior, si ex Febronio compererit ad judicium fidei ultimatum etiam pertinere assensum inferioris Cleri & Laicorum. Piget proliziùs contra deplorandam potiùs christianâ commiseratio-

ratione, quàm verbis refellendam præoccupatæ opinionis novitatem contendere.

VIII. Hoc dissimulari non potest, imperitè à Febronio citari Bellarminum, quòd doceat S. Stephano S. Cyprianum propter repugnans conscien-
Act. 23. tiæ dictamen obedire non debuisse. Theologis constat, quæ sit vis conscientiæ errantis; hâc Apostolus se excusavit, dum dixit: *Nesciebam fratres; scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.* An peccaverit Cyprianus mortaliter (ait Bellarminus) non est omnino certum. *Ex unâ parte non videtur mortaliter peccâsse, quia non peccavit, nisi ex ignorantiâ; sciebat enim Pontificem non definivisse tanquam de fide, & simul videbat secum sentire Concilium 80. Episcoporum, ideo S. Augustinus eum dicit venialiter solùm peccâsse. Ex alterâ tamen parte videtur dicendum,* inquit Bellarminus, *mortaliter Cyprianum peccâsse, cùm sciret seriò præcepisse Stephanum, ut non rebaptizarentur Hæretici, & contumeliosa verba contra Stephanum non esse proferenda.* Hoc considerato S. Augustinus asserit vel Cyprianum ea non scripsisse, vel postea eum pœnituisse verborum, quæ acerbiùs contra Stephanum scripsisse dicitur. Vide Febroni, quàm imprudenter ex Bellarmino colligas resistentiam posse esse legitimam, quâ summo Pontifici in his, quæ ad fidem, aut communem fidelium disciplinam pertinent, contradicitur.

IX. Huic simile illud Febronii ratiocinium est, quod ex Urbani I. verbis à Gratiano relatis colligit. Eo in Canone potestatem legislativam Rom.
Cauf. 25. q. 1. Can. 6. Pontifici convenire declarat Urbanus, *non tamen ubi apertè Dominus, vel ejus Apostoli, & eos sequentes Ss. Patres aliquid sententialiter definiverunt. Si enim, quod docuerunt Apostoli & Prophetæ, Rom. Pontifex destruere niteretur, non sententiam dare, sed magìs errare convinceretur. Sed hoc procul sit ab eis, qui semper Domini Ecclesiam contra luporum insidias optimè custodierunt.* Ex his idem concludi debebat, quod ex verbis Apostoli: *Licèt*
Galat. 1. *Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*; nempe hoc modo: Si id fieret, erraret Angelus; sed procul absit erroris imputatio ab eis, qui semper faciem Domini vident. Ita inferendum erat: Si Papa destrueret doctrinam Apostolorum, erraret; sed à Pontificibus, per quos semper Ecclesia Christi optimè est custodita, procul absit imputatio destructæ per eos doctrinæ Apostolorum.

X. Fingit Febronius hypothesim, quòd rationabiliter aut Regnum, aut Respublica credat, aut plures Episcopi prudentes & pii credant extare casum, de quo loquitur Urbanus. Quotquot restiterunt Pontifici Romano in causâ celebrandi Paschatis, in causâ Baptismatis Hæreticorum, &c, ut alios omittam, nuper in causâ Constitutionis *UNIGENITUS*, sibi videbantur rationabiliter credere extare casum ejusmodi; an ideo legitimè resistebant? An ideo Rom. Pontifices dici poterunt *ascititiæ, nec à Deo, nec ab hominibus ob-*

tentæ

tentæ authoritatis usurpatores? Nihil aptius ad schisma vel suscitandum, vel fovendum dici posset.

XI. Eò & illud spectat, quòd dicat, *primis octo sæculis Rom. Pontificis authoritatem intra fines Petro à Christo præscriptos mansisse conclusam, adeóque feliciter hæreses omnes per media* (ùt loquitur) *Ecclesiæ connata sublatas fuisse, ut earum nulla remanserit. Sed eâdem authoritate postea in monarchiam dilatatâ prudentissimè dubitari, an exspectari possit exitus schismatis, quo ultra duo sæcula premitur Ecclesia.* Quasi hoc solâ suâ futili assertione demonstrâsset, audacter subjungit: *Judicet quisque bonus & æquus, quo systemate horum duorum, an primo, an secundo, meliùs consultum sit unitati.* Sed ostendi debebat, quos fines Christus Petro præscripserit. Et quis adeò rudis est rerum Ecclesiæ, ut Febronio credat earum hæreseon, quarum natales ad aliquod ex octo illis sæculis pertinent, nullam in mundo remansisse? An quia Febronius domi suæ non videt Arianos, schismaticos Græcos, antiquis erroribus Orientalium addictos, an inquam, ideo sunt nullibi terrarum?

XII. Iterum tentat monarchico Principatui Pontificio tribuere causam, quare Lutheri & Calvini sequaces adhuc Ecclesiæ Catholicæ pascua fugiant.

XIII. Sed dum ipse libenter fatetur, nec Gallos nec Belgas pati jugum illius monarchicæ dominationis, dicat, quare jam annis ferè 130. pertinax manet Jansenii progenies in Galliâ? Quare in Belgio jam annis ferè 70. Quesnelli progenies S. Sedi & Rom. Pontifici insultat? Dicat Febronius, qualem prognosim de celeri horum schismatum exitu conceperit? Potiùs roget cum Romanis Dominum, ut det, quam mundus dare non potest, pacem.

XIV. Gloriosè inquit: *Systema nostrum ab Ecclesiâ* (utique invisibili) *agnitum, tot sæculis sanctè servatum* (dici non potest, ubi terrarum) *nec ulli sæcularium potestatum præjudicium aut inquietudinem generans* (contrarium agnoverunt Principes, qui politicis etiam rationibus moti sunt, ut Jansenianis & Quesnellianis turbis juxta Rom. Pontificis desiderium se opposuerint) *systema, in quo omnes hæreses feliciter suppressæ ac sublatæ sunt* (immemor verborum, quæ eodem hoc §. dixerat: *Non ignoramus plurimas hæreses solâ Rom. Pontificum authoritate damnatas & suppressas esse.*) *hoc systema*, inquit, *ad hæc capita reducitur*:

Collat. actor. Const. Unigenitus. p. 597. 611.

XV. 1. *Incumbit Petro solicitudo omnium Ecclesiarum.* Rectè. Nemo est alius sub sole, cui uni incumbat.

2. *Ideo undique ad eum referenda sunt, quæ ad communem Ecclesiæ statum pertinent.* Bene est; ergo Ecclesia status est, quod in fine hujus §. negat, laudare & sequi malens Puffendorffium, qui extraneo Sacerdoti omne jus denegat in Germanos, & negat Ecclesiam esse statum.

3. *Ad eum pertinet cura & defensio Canonum à generalibus Conciliis sancitorum, aut ab Ecclesiâ acceptatorum.* Ergo ad Papam non spectat confirmare

Concilia generalia; si erraverint, ea corrigere; Canones seu sacras præceptiones vim obligandi habentes jure suæ Cathedræ non potest toti Ecclesiæ proponere, non audito antea generali Concilio, sed ut curam suam ac defensionem suscipiat; existere antea & plenariam authoritatem habere debent Canones, quos curet atque defendat.

4. *Instruit, hortatur, arguit, contra refractarios utitur mediis per Canones*
Ad Tit. 2. *præscriptis.* Si Episcopus potest juxta exemplum Titi *arguere cum omni imperio*, magis id Rom. Pontifici convenit, à quo etiam Episcopi, si errant, plectuntur; at verò hoc negat Febronius.

5. *Scribit ad Episcopos provinciæ, ut Collegam scandalosum aut hæreticum deponant.* Jam antè monstravi Ss. Gelasii & Gregorii M. & aliorum Pontificum Rom. exemplis, damnoso illo circuitu & periculosâ ambage opus non esse Romano Pontifici.

6. *In causâ Fidei suborto dubio, priusquam definiat, Episcoporum sententias rogat, colligit, ponderat.* Iterum immemor est eorum, quæ jam monui excidisse. Iterum S. Gregorii, aliorúmque exemplis falsi convincitur.

7. *Si ne sic quidem satisfactum appareat, sed plures atque insignes Ecclesiæ reclament, universalem Synodum congregat.* Atqui *insignes* Episcopi sub Urbano VIII. & Innocentio X. certabant pro libro Jansenii; *insignes* reclamabant contra Constitutionem *UNIGENITUS*, an propter eos de universali Synodo congregandâ cogitatum?

8. *Salvo præsidio permittit Synodo examen, cognitionem & decisionem.* Sibi servat confirmationem & potestatem infirmandi, si Patrum etiam pars major erraverit.

9. *In negotiis disciplinæ dependet vigor ab acceptatione & publicatione.* Prolixiorem discussionem hæc assertio postulat. Quædam sunt disciplinæ negotia, in quibus est communis parendi necessitas, quales erant quæstiones de Paschate & Baptismo Hæreticorum; quædam verò, in quibus particularis provinciarum consuetudo à Pontifice ignorata tam validi postea videtur momenti, ut libenter Papa sustineat legem Concilii generalis E. G. Tridentini, aut suam constitutionem cedere consuetudini. Generatim itaque concepta Febronii assertio de illâ jam dictâ *dependentiâ vigoris* omnino abnormis est à communi regulâ Ecclesiæ Catholicæ.

XVI. 10. Ait: *Rom. Pontifex si huic suo systemati se accommodaret, non invaderet ordinaria Episcoporum jura, neque ea sibi privativè arrogaret, quæ Christus omnibus Episcopis tribuit, neque pastorali eorum inspectioni subduceret oves Episcopo creditas.* Papa nec vult, nec potest solus esse in toto mundo Episcopus, neque solus *dispensator mysteriorum Dei*, neque solus *legatione fungi pro Christo* in administratione Sacramentorum. Quod Episcopis & Parochis, & Sacramenti pœnitentiæ Ministris cæteris datum est à Christo per ordinationem, quomodo illud privativè sibi possit Pontifex arrogare?

Hi

Hi omnes pro Christo legatione funguntur, & sunt dispensatores Mysteriorum Dei, hi omnes solvunt & ligant, non in nomine & vice Papæ, sed in nomine & vice Christi. Subducere autem oves inspectioni pastorali nunquam tentat Papa merè pro arbitrio, sed per Pastorum crimina necessitate compulsus id facit, & pro muneris ratione facere debet, & sapientissimè fecerunt ii, qui Nestorium, Dioscorum, Photium, Guntharium, Marcum Antonium de Dominis, Hermannum Wedanum, Gebhardum Thruchsesium pedo pastorali & inspectione Episcopali privârunt, & fideles obedientiæ illis addictæ sacramento solverunt.

XVII. 11. Dicit: *Ex constituto sanctissimorum Canonum ab universali Ecclesiâ sancitorum omnes causæ Ecclesiasticæ intra provinciam judicandæ & terminandæ sunt.* Ubinam sunt illi sanctissimi Canones?

XVIII. Causas Episcoporum criminales ad summum Pontificem *referendas esse, & per ipsum terminandas*, Concilium Tridentinum expressè declaravit. *Causæ omnes ad Ecclesiasticum forum quomodolibet pertinentes* juxta ejusdem Concilii constitutionem *in primâ instantiâ coram Ordinariis locorum duntaxat cognoscendæ sunt, atque infra biennium ibi terminandæ;* addidit tamen Concilium: *Ab his excipiuntur causæ, quæ juxta canonicas sanctiones apud Sedem Apostolicam sunt tractandæ, vel quas ex urgenti, rationabilique causâ judicaverit summus Rom. Pontifex per speciale rescriptum signaturæ sanctitatis suæ manu propriâ subscribendum committere aut avocare.* Dic, amabo, Febroni, an Concilio generali Tridentino contra te, an tibi contra Concilium fidem adhibendam esse arbitreris? Dic iterum: *Judicet quisque bonus & æquus, utrum ex his amplecti meliùs consultum sit Catholico?* Quædam Rom. Pontifices pro suâ sapientiâ & æquitate Vicariis Apostolicis, quædam Synodis provincialibus judicanda & terminanda reliquerunt; sed jussione additâ, ut, quid factum, referretur ad Sedem Apostolicam.

Conc. Trid. sess. 13. de Reform. Cap. 8.

Sess. 24. de Ref. c. 20.

XIX. Nunquam voluerunt Rom. Pontifices, neque nunc volunt, ut in quibuscunque causis ad Rom. Curiam appelletur. Nemo Jurisconsultorum ignorat, quid in Constitutione Benedicti XIV. *De appellat. & inhibit. concedendis vel non concedendis* provisum fuerit. Jussit Illustrissimus *Lucinius*, Nuntius Apostolicus nuper ad sacram Nuntiaturam Hispanicam à summo Pontifice designatus in *Ordinatione judiciali* Coloniæ an. 1760. quo Legatione Apostolicâ in hac Germaniæ parte fungi incipiebat, publicatâ, ut pro obtinendâ Commissione in gradu appellationis exprimatur qualitas causæ ad hoc, *ut dignosci possit, num secundùm Bullam sanctæ memoriæ Benedicti XIV. de appellat. & inhibit. in suspensivo vel devolutivo admittenda sit appellatio.*

XX. Eò etiam processit Febronius, ut Doctissimo Cardinali Perronio hanc impingat calumniam, quòd epistolâ ad Casaubonum scriptâ ita de Ecclesiâ Romanâ tanquam centro unitatis Episcopalis & Ecclesiasticæ commu-

 nionis

nionis loquatur: *Primatus & inspectio Pontificis Romani in omnes causas religiosas & Ecclesiasticas unicum punctum est, quod Ecclesia exigit tanquam Fidei articulum publicâ confessione ab intrantibus communionem Ecclesiæ agnoscendum, ut Societas Catholicorum à Societate Græcorum & aliorum, qui se sectis addixerunt ante aliquot sæcula ab Ecclesiâ visibili, separatis hac tesserâ, seu characteristico dogmate discernatur.* Verum est eos, qui ad Ecclesiæ Catholicæ communionem admittuntur, abjuratâ hæresi agnoscere debere Rom. Pontificem, eique obedientiam promittere, sicut forma professionis Pii IV. præscribit; at verò quæ alia Fidei dogmata in eâ fidei professione contineantur, nemo Catholicus ignorat. Quæ de Febronii cum Samuele à Puffendorf consensu sub finem dicuntur, jam bis indicata, & justâ crisi, qualem Ecclesia Catholica postulat, perstricta sunt, ostensumque est Febronium affirmare & negare, quòd Ecclesia sit *status*. Puffendorffio consentire, dissentire, & quidquid cogitaverit, certè pugnantia scripsisse.



DISSER-

DISSERTATIO III.

DE

INCREMENTIS, QUÆ PRIMATUI ROM. TRIBUIT FEBRONIUS.

§. I.

Episcopatum asserit in Ecclesiâ unum omnibus Episcopis suopte explicandi modo communem.

22.

22. *De oppositis Synodorum judiciis in causâ S. Athanasii.*
23. *Febronius malè provocat ad exemplum S. Chrysostomi,*
24. *Et exemplum S. Cyrilli Alexandrini.*
25. *S. Cyrillum authoritate S. Cælestini extra provinciam suam fecisse munia Episcopalia docet Thomassinus.*
26. *Febronii commentum, quòd Acacius Cpl. Petrum Moggum Alexandrinum damnaverit.*
27. *Paradoxon Febronii, quòd dependentia Episcoporum à Rom. Pontifice spectet ad accessoria.*
28. *Verba Christi:* Docete omnes gentes, *Febronius extendi ad omnes Episcopos.*

I. Mirâ subtilitate & facundiâ Febronius dicit *Claves datas esse à Christo non uni Apostolo, sed corpori Ecclesiæ, primariò gerendas traditas esse singulis Apostolis, ita ut æqualem habeant in eis clavibus partem quoad primam & essentialem Religionis partem, seu Fidei propagationem & conservationem, non quoad externum & politicum regimen.* Catholicè omnino, cum Ecclesiâ Romanâ loquitur Febronius, si vult, verba: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis &c. docete omnes gentes*, sinè discrimine ad omnes Apostolos pertinuisse; pari illapsu in omnes descendisse divinum ignem; nec veriora Petrum præ cæteris docuisse; nec certiùs remisisse peccata; nec baptizatos à Petro abundantiori charismate fuisse donatos; in exteriori autem tantùm regimine politico, quo credentium una civitas sancta, familia una, regnum unum formatur, Apostolos fuisse inæquales.

II. At verò, quòd Claves dicat Febronius non uni Apostolo, sed corpori Ecclesiæ datas esse, *æqualem in clavibus partem omnes Apostolos accepisse*, atque ita potestatem regendi Ecclesiam Christi visibilem cum potestate docendi & baptizandi & absolvendi confundat; nihilominus externum regimen civitatis sanctæ à doctrinæ christianæ propagatione & conservatione discernat, quid hoc aliud est, quàm simul ædificare & destruere, & callidâ subtilitate ideas pugnantes commiscere?

III. Obscuritatem illam adducta S. Chrysostomi authoritas non tollit. Paulus à S. Doctore proponitur *salutans Priscillam & Aquilam*; admiratur Paulum de uno viro & unâ muliere fuisse solicitum, cùm totum mundum, terram & mare, cunctásque civitates, quæ sub cœlo sunt, & barbaros & Græcos, & tot populos in se ipso circumferret. Si quis jam Episcopus de aliquo suæ Diœcesis specialem mentionem faciat, dicit Chrysostomus non esse mirum, cùm unius tantùm civitatis curam susceperit. Cor autem Apostoli quasi immensâ quâdam charitate dilatatum terras & maria, & populos omnes, quæ sub cœlo sunt, in se ipso circumtulisse. Cum Episcopo unius tantùm civitatis curam habente S. Paulum comparabat. Quis inde pro Febronianâ commentatione inferat, id quod Romani tribuunt ex divinis oracu-

lis

fis S. Petro, ejúsque Succeſſori, idem S. Paulo eſſe tribuendum? Ita vult Febronius.

IV. Imò addit de Timotheo dixiſſe eundem S. Doctorem, quòd ſit *univerſi orbis Epiſcopus*. Aſt nec hoc dixit, ſed τὴν οἰκουμένην ἐπιτραπεὶς *curam terræ habitatæ* habuiſſe. Phraſi oratoriâ id eloquentiſſimè dixit, quod ad Timothei laudes opportunum videbatur, quanquam ſciret illum Epheſinæ Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe conſtitutum.

V. Quid Chryſoſtomus reipsâ ſenſerit, apertiùs exprimit, quoties ex propoſito de Petri Primatu loquitur. Petrus illi eſt ἐκκρίτος τῶν Ἀποστόλων, καὶ στόμα τῶν μαθητῶν, καὶ κορυφαῖος χοροῦ, οὐ τὸν θρόνον τῶν Ἱεροσολύμων, ὡς ὁ Ἰάκωβος, ἀλλὰ τῆς οἰκουμένης διδάσκαλος electus tanquam *eminentior Apoſtolorum. Os Diſcipulorum. Princeps chori. Non Sedis Hieroſolymorum, ùt Jacobus, ſed orbis* ſeu terræ habitatæ *Magiſter*. Dicit Chriſtum dediſſe Petro τὴν προστασίαν τῶν ἀδελφῶν præſidentiam ſupra fratres.

VI. Diviſis Diœceſibus dicit Febronius hoc jus penes Epiſcopos permanſiſſe, ut quoties Fidei ſubvertendæ periculum in Diœceſibus vicinis advertérint, æquè ac pro ſuo grege manum admovere teneantur; Diœceſeon fines negat tunc attendendos, dum fides impetitur, cùm tunc totus orbis unius inſtar Diœceſis habeatur, & Fides Catholica terminos non habeat.

VII. Scimus utiliter parochias ſuis limitibus circumſcribi. Inter paſtores Abrahami & Lothi; inter paſtores Geraritas & Iſaci paſtores nata ſunt diſſidia. *Gen.* 13.
Numerus nimiùm utrimque auctus diſſenſionibus materiem dabat, quam hi, *Gen.* 26.
quorum imperio ſuberant, ſatìs efficaci providentiâ ſubmovere non poterant. Diſſidia fecerunt *puteos* nominari alium *calumniam*, alium *inimicitias*, ſeparatione opus erat, quæ ſola ſtabile diſcordiis remedium, certúmque diſſipationi damnoſæ repagulum opponere poterat. Eadem eſt Diœceſes & Parochias diſterminandi ratio.

VIII. Finium ſeu limitum religiosè obſervandorum cura Epiſcopis & Paſtoribus eſt præſcripta, ne leviter quoquo Religionis in alienâ Diœceſi reſtaurandæ, aut Fidei defendendæ prætextu iniqua fiat invaſio. Epiſcopi vicini ex S. Concilii Trid. Decreto negligentiam Coepiſcopi Rom. Pontifici tenentur indicare, ut Papa de mediis opportunis provideat. Communis utique eſt ſpecula paſtoralis, at celſiore faſtigio præeminentem Pontificem donavit Chriſtus authoritate ſupremâ corrigendi, confirmandi fratres. Dum *proximus ardet Ucalegon*, vicinus debet ſuæ domui proſpicere; ſuopte gregi curam impendat Epiſcopus, ne ſuſcitatus in propinquo loco funeſtus ignis hæreſeos aut ſchiſmatis ſuum ovile corripiat. Communis eſt Fidei cauſa, ſed non eſt communis Epiſcopos vicinos corrigendi authoritas; *pro ſui particulâ muneris faciant* conterminarum Diœceſeon Epiſcopi, *quod poſſunt; peſtilentibus vicinorum ſcriptis medentia & munientia ſcripta opponant*, ſed extra pomœria ſua non tranſeant.

IX.

IX. Iterum dico, ita in hâc noſtrâ provinciâ Colonienſi fuiſſe tunc pacem quæſitam, dum Paſtores perfidi gregem luporum prædationibus exponebant, ut nec ad Comprovinciales Epiſcopos, nec ad vicinos Archiepiſcopos, ſed Romam ſpes omnes Eccleſia noſtra Colonienſis dirigeret.

X. Cyprianum oratoriâ phraſi *Epiſcopum univerſalem* à S. Gregorio Nazianzeno fuiſſe vocatum, ſimilique titulo S. Athanaſium honoratum fuiſſe, facilè conceſſerim; ſumma utriuſque & doctrina & ſapientia, & egregia fama virtutis undequaque confluere faciebant Epiſcopos, ut ſalubri conſilio ſuas facerent dubitationes expediri; eo ferè ſenſu, quo olim ob Romanorum Vejis M. Furio Camillo ſalutationis officia impendentium frequentiam dicebat Poëta:

Vejos habitante Camillo
Tunc ibi Roma fuit.

XI. Non his tantùm ſententiis apertam auxeſim oratoriam ſignificantibus abutitur Febronius ad æqualitatem Apoſtolorum inter ſe, tum & æqualitatem perfectam Epiſcoporum ſtabiliendam, ſed & Symmachi Papæ verbis, quibus ſignificavit *unum per diverſos Antiſtites Sacerdotium eſſe adinſtar Trinitatis, cujus una & indiviſa poteſtas eſt.* Si Chriſtus voluit, ut ſimus perfecti, ſicut Pater cœleſtis, & ut ſimus unum, ſicut Pater & Filius æternus unum ſunt, an ideo corpus Eccleſiæ, quod ex membris diſparibus componitur, verè ad eam perfectionem & unitatem pertingit, ut divinæ perfectioni & unitati penitùs aſſimiletur? Certè ipſe Symmachus ſatis expreſſit in illo corpore eſſe Antiſtites; ergo alii ſubſunt, alii præſunt. Agnovit eos Antiſtites eſſe diverſos, dum diſtinctis Eccleſiis præſident, voluitque, ut ad conſervandam unitatem Sacerdotii, *ſequentes à prioribus non diſcordent*, & ſtatuta, quæ in diverſis locis & ſæculis conduntur, ad eandem fidei unitatem & diſciplinæ chriſtianæ perfectionem dirigantur. An Febronio Symmachus adeò tunc, dum hæc ſcribebat, videtur fuiſſe immemor ſui officii & loci, ut cuicunque Epiſcopo ſibi parem poteſtatem concederet?

XII. Iterum producit Febronius illud Cyprianicum: *Epiſcopatus unus eſt*, ut ſuum paradoxon S. illius Doctoris ſententiâ fulciat; quòd *quilibet Epiſcopus æqualem univerſi curam ſuſtineat.* Satis multa jam ex illius magni Doctoris epiſtolis & libris producta ſunt, quæ hanc ideam falſi convincant. Qualem unitatem voluerit, ut alia omittam, ille ipſe locus oſtendit, quo hæc à Febronio adducta verba leguntur. Hortatur Epiſcopos, ut *unitatem firmiter teneant, & nemo eorum fraternitatem mendacio fallat, fideique veritatem perfidâ prævaricatione corrumpat.* Agnoſcit *unitatem corporis*, & quòd *Eccleſia in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenſa ſit*, ſicut multi ſunt arboris rami, multi radii ſolis, multi rivi de uno fonte, ita ut unitas ſervetur in origine. Cyprianum præiverat Tertullianus, qui unitatem Ecclesiæ Catholicæ ita explicuit: *Apoſtoli primò per Judæam, dehinc in orbem*

Tert. C. 20. de Præſ.

orbem profecti eandem doctrinam ejusdem Fidei promulgaverunt nationibus. Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt Act. 14. à quibus traducem fidei & semina doctrinæ cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, ut Ecclesiæ fiant, ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur ùt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ una est illa ab Apostolis prima, ex quâ omnes. Sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum unam omnes probant unitatem. Communicatio pacis & appellatio fraternitatis & contesseratio hospitalitatis, quæ jura non alia ratio regit, quàm ejusdem sacramenti una traditio. Sicut ille dixit tot ac tantæ Ecclesiæ una est illa prima, ita Cyprianus: tot ac tanti Episcopatus unus est ille Episcopatus primus, ex quo, & in quo omnes.

XIII. Illud intolerabile est, quòd Febronius audeat Thomassinum, Petrum de Marca & Tournelium (Hericourtum non vidi) sui paradoxi approbatores dicere. Æqualitatem & unitatem Episcopatûs in Papâ & Episcopis aliter non tuetur Thomassinus, quàm *sospite & intactâ inferiorum erga superiores obedientiâ.* Sic Symmachi verba antè dicta, & formulam professionis fidei ab Hormisdâ Pontifice præscriptam interpretatur Thomassinus, & S. Isidori Hispalensis verba de honore Pontificatûs Petro collati profert: *Cujus dignitas potestatis, etsi ad omnes Catholicorum Episcopos est transfusa, specialiùs tamen Rom. Antistiti singulari quodam privilegio veluti capiti cæteris membris celsior permanet in æternum. Qui igitur ei debitam non exhibet reverenter obedientiam, à capite sejunctus acephalorum schismati se reddit obnoxium.* N. 8. per Febronium citato ait Thomassinus: *Quamvis Apostolatûs & Sedis Petri, cujus partem singuli habent Episcopi, una sit & æqualis potestas; nulli tamen non exploratum est, Rom. Præsuli Afros omnes semper concessisse Episcopos, quippe qui & jure quodam singulari successerit Petro, & omnium caput sit Episcoporum, vocatus non in partem, sed in plenitudinem cùm sollicitudinis, tum potestatis.*

XIV. Addit hæc Possessoris Episcopi Africani ad Hormisdam verba: *Quis majorem circa subjectos solicitudinem gerit, aut à quo magis nutantis fidei stabilitas exspectanda, quàm ab ejus Præside, cujus primus à Christo Rector audivit: Tu es Petrus & super hanc Petram* &c. Hæc Thomassinus.

XV. Petrus de Marca loco per Febronium citato allegat verba S. Cypriani, quibus docet *Petri Cathedram & Ecclesiam principalem esse, unde unitas Sacerdotalis exorta est*; & Optati *de unâ Cathedrâ in urbe Româ Petro primùm collatâ, contra quam quisquis alteram collocaverit, pro schismatico haberi debet.* Hunc, inquit Illust. de Marca, horum verborum germanum sensum esse existimo, quòd origo unitatis & communionis sit in Ecclesiâ Romanâ, licèt aliorsum à plerisque torqueantur; unum tantùm Episcopatum, unámque Cathedram in illo corpore mystico (quod Cypriano nihil aliud est, quàm

plebs ab Episcopo collecta) constitui oportere, cujus Cathedræ dignitatem dicit iis verbis collatam, quibus Petro Clavium & pascendi gregis curam demandavit. Petrum solùm à Christo interpellatum, ut unitas Ecclesiæ demonstraretur, & Petro dignitas illa tribueretur, ita unus Episcopatus esset, ut ejus fons & origo ab uno Petro inciperet, atque adeò nulli, ne ipsis etiam Apostolis liceret Episcopatum tenere à communione & consortio unitatis, quæ viget in Cathedrâ Petri, alienum. Alia huc spectantia ex hoc Illustrissimi Petri de Marca loco jam suprà proposui.

XVI. Tournelius contra Launoium ita Ecclesiam definivit: *Cœtus hominum unius Fidei christianæ professione, & eorumdem Sacramentorum communione conjunctus sub regimine legitimorum Pastorum ac præcipuè Rom. Pontificis.* Unionem membrorum Ecclesiæ, eorúmque subordinationem ac dependentiam ab iis, qui eam societatem regunt, dicit essentialiter ad Ecclesiam pertinere, cùm debeat ex Cypriani sententiâ esse *plebs adunata*, & *Pastori grex adhærens*, multísque SS. Patrum sententiis convincit, falsò asserere Launoium, quòd Rom. Pontificis mentio ante Canisium & Bellarminum facta non sit.

XVII. Idem hoc absurdum adoptavit Erkelius Bussiano anathemate hic Coloniæ damnatus Quesnelli sectator & hostis Rom. Ecclesiæ, cujus hæc propositio: *Definitio illa, quâ dicitur Ecclesia congregatio omnium fidelium sub capite visibili Rom. Pontifice est nova ac Jesuitica, omnibus Majoribus incognita & à P. Canisio primùm inventa.*

XVII. Ostendit Tournelius unitatem Ecclesiæ in tribus potissimùm esse positam, 1 in universali consensu ejusdem fidei & doctrinæ: 2. in ejus regimine ubique gentium simili: 3. in dependentiâ ab uno capite visibili Rom. Episcopo, quam dependentiam dicit unitatis esse centrum & originem, seu breviùs, ad Christianæ societatis unitatem requirit UNITATEM SPIRITUS, REGIMINIS ET CAPITIS.

XIX. Ineptissimè hanc S. Cypriani verbis applicatam falsam interpretionem tentavit S. Athanasii & S. Eusebii Martyris praxi confirmare, quòd, ut gregi Domini per Arianos disperso & Pastoribus destituto prospicerent, ordinationes fecerint extra suam Diœcesim, & quidem Eusebius non tantùm Sacerdotes, sed & Episcopos multis in locis constituerit, ùt Beroeæ, Hierapoli, Edessæ, Dorylæi, Chalcide &c. Si nemo reprehendat, imo quisque pro merito laudet parochùm, qui ad vicinam parochiam, profugo, vel fugato, vel occiso ejus Pastore, transit, ibi Sacramenta administrat morientibus, nemo imputabit Eusebio, quòd furente Arianismo dispersis, vel interfectis Pastoribus, opem tulerit gregi, eísque Pastores dederit. Certè tunc charitas urget, & necessitas licitum facit, quòd aliàs non licet per legem.

XX. Rectissimè dicit Epiphanius: Etsi nemo super alienam mensuram extendatur,

datur, præponi omnibus charitatem Christi, considerandúmque esse, si quid Episcopus aut Pastor foris agat, quo tempore, quo modo, quibus, & quare id faciat.

XXI. Quòd Osius Cordubensis judex & arbiter sederit in Synodo Alexandrinâ, ideam Febronii non corroborat. Episcoporum Pater habebatur Magnus Osius, ejúsque literis libenter omnes Præsules obtemperabant, valebat gratiâ Imperatoris, à quo ad componendas turbas Alexandriam mittebatur; incertúmque est, an tanquam Legatus Apostolicus illi Synodo præsederit, quod placet Baronio; an verò ipsorummet Episcoporum voluntate præsidium ei fuerit oblatum, cùm omnes perspectam haberent Osii fidem & doctrinam, & Constantini Aug. benevolam erga Osium voluntatem.

XXII. Quòd Athanasius, per Synodum Tyriam damnatus, per Sardicensem absolutus sit, nihil aliud evincit, quàm ambigua fuisse Episcoporum judicia, alios favisse Athanasio tanquam orthodoxo, alios per Arianorum calliditatem eum de quibusdam erroribus suspectum habuisse, Synodos Synodis fuisse contrarias, sicut in causâ S. Joannis Chrysostomi constat Episcopos Asiaticos in factiones oppositas fuisse divisos. Itáne hoc Febronio idoneum videri potuit ad aliquam verisimilitudinem novo commento tribuendam?

XXIII. Quòd S. Chrysostomus ad convertendos Hæreticos & Idololatras se non continuerit intra suæ provinciæ limites, quis neget Apostolicè factum fuisse? Sed an ideo æquale illi jus erat in fideles aliarum Ecclesiarum, quod habebat in suos?

XXIV. De Cyrillo Alexandrino constat Pontificiâ illum authoritate vicariâ Cœlestini I. contra Nestorium processisse, antea verò epistolam ad Monachos suos Constantinopoli degentes scripsisse, ut eos in fide contra nova dogmata Nestorii confirmaret. Dic Febroni, quâ fronte paternam illam Cyrilli de suis utili antidoto contra novum venenum præservandis solicitudinem jactare audeas illius à te confictæ æqualitatis inter Episcopos argumentum. Si quis extraneus Monachos sibi speciali nexu conjunctos in eâdem tecum provinciâ commorantes per epistolam hortaretur, ut hanc damnosam tuam novitatem cautè fugiant, an ab eo credes actum Episcopalis potestatis in extraneâ Diœcesi exercitum?

XXV. De hoc Cyrilli facto ita Thomassinus: *In Nestorii damnationem, exautorationémque non antè ingressus est Cyrillus, quàm potestate & mandatis Rom. Sedis muniretur. Neque enim alioqui ullum jus esse poterat Alexandrino Archiepiscopo in Cpolitanum, cùm vetarent Canones, ne quid Patriarchæ, nec Metropolitani extra subjectam sibi provinciam auderent. Unde ad Nestorium Cyrillus scripsit: Cælestino jubente investigare cogor* &c. *Thomass. Part. 1. Lib. 1. Cap. 8. N. 1.*

XXVI. Addit: *Petrum Moggum Alexandrinum Præsulem damnavit Acacius Cpolitanus.* Hoc à veritate alienum omnino esse, certissimum est, cùm ideo Acacius à Felice Papâ communione simul & dignitate fuerit privatus,

quòd cum excommunicato Petro Moggo contumaciter communicare pergeret, & hâc sententiâ Summi Pontificis contemptâ, sicut à divino sacrificio non abstinuit, ita usque ad infelicem mortem pertinaciter cum impio Petro in communione permanserit: Acacium Felix hâc sententiâ perculit: *Alienarum tibi provinciarum jura temerè vindicâsti* (adverte Febroni) *Hæreticos non modò communioni tuæ recipiendos putâsti, verùm aliis Ecclesiis præsidere fecisti; & quasi hæc minora tibi viderentur, in ipsam doctrinæ Apostolicæ veritatem ausu superbiæ tuæ tetendisti, ut Petrus, quem damnatum à Decessore meo* (Simplicio) *ipse retuleras, B. Marci Sedem te connivente rursus invaderet, & fugatis orthodoxis Episcopis & Clericis suî procul dubio similes ordinaret, pulsóque eo, qui fuerat regulariter ordinatus, captivam teneret Ecclesiam, eundémque Petrum Chalcedonensis Decreta Concilii anathematizantem per Misenum & Vitalem credideris excusandum, nec eum laudare desieris; tantùm autem perseveras in hominis defensione perversi, ut quondam Episcopos, nunc verò honore & communione privatos Vitalem atque Misenum, quos ad ejus expulsionem specialiter miseramus, sublatis chartis custodiæ passus fueris mancipari, &... ad Hæreticorum, tuámque communionem pertraxeris, & ad libellum fratris nostri Joannis Talaïæ, qui te gravissimis objectionibus impetivit, in Apostolicâ Sede respondere diffidens objecta firmâsti... Habe ergo cum his, quos libenter amplecteris, portionem ex sententiâ præsenti, Sacerdotali honore & communione Catholicâ, necnon etiam à fidelium numero segregatus, sublatum tibi nomen & locum ministerii Sacerdotalis agnosce S. Spiritûs judicio & Sede Apostolicâ damnatus, nunquámque anathematis vinculis exuendus.* C. Felix Episcopus S. Ecclesiæ Urbis Romæ. V. Kal. Aug. Venantio Conf. seu an. 484. subscripsêre 67. Episcopi. Nonne tam à vero alienis probationibus malâ fide congestis, etsi innumera ejus generis alia corraderes,

Causa patrocinio non bona pejor erit?

XXVII. Nefas est homini catholico dependentiam à Rom. Pontifice illis accessoriis, quæ pro locorum & temporum variâ conditione variantur, accensere. Canon substantialis est, Sacerdotium Catholicorum à Cathedrâ S. Petri unitatis & originem habere & conservationem, eíque Canoni adversatur assertio Febroniana, quòd potestas Episcopi particularis Ecclesiæ tam latè se extenderit, aut extendat, quàm Episcopi Romani, & Episcopus particularis etiam Constantinopolitanæ Ecclesiæ æquè totius Ecclesiæ aliquando fuerit, & nunc sit Episcopus, ac Episcopus Romanus.

XXVIII. Vulgatum illud axioma: *Ex uno absurdo sequuntur plura*, suo etiam exemplo Febronius confirmat, dum dicit: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Docete omnes gentes*, non ad omnes tantùm Apostolos, sed & ad omnes Episcopos pertinere. Quis Germanorum Episcoporum sustineat Episcopum aliquem Orientalem aut Gallum

vel

vel Italum horum textuum fiduciâ suâpte authoritate officium prædicationis in suâ provinciâ exercere?

§. II.

Ex falso principio falsam illationem deducit Febronius, Papam autoritate Primatûs non agere, quæ agit extra Provinciam Romanam.

1. *Hypothesi falsæ Episcopatûs indivisi superstruit Febronius ad omnes Episcopos pertinere obligationem defendendi fidem etiam extra provinciam.*
2. *Ad Pontificem pertinere* curam subsidiariam.
3. *Quidquid Papa fecerit extra provinciam Romanam, negat esse actum veræ jurisdictionis.*
4. *Ostenditur hujus asserti falsitas.*
5. *Asserentes veram jurisdictionem Pontificiam dicit vel ignorantiâ vel assentatione, vel inadvertentiâ errare.*
6. *Febronius Rom. Pontifici negando jurisdictionem non explicat, quid ei neget.*
7. *Editoribus Operum S. Gregorii PP. Benedictinis non satisfacit.*
8. *Jurisdictionem exercuit S. Gregorius jubendo convocationem Concilii, pœnam reis Episcopis dictando.*
9. *Implorare brachium sæculare non obstat jurisdictioni Ecclesiasticæ.*
10. *Febronius tacitè fatetur jurisdictionem à Gregorio exercitam in causâ Januarii Malacitani.*
11. *Ejusdem jurisdictio probatur per judicialem absolutionem Episcoporum.*
12. *Febronius fatetur Gregorium jurisdictionem exercuisse in Illyrico.*
13. *Ostenditur Febronium sibi contradicere, dum negat jurisdictionem Pontificiam fuisse agnitam ante Isidorum.*
14. *Demonstratur ex epistolis Gregorianis jurisdictio Rom. Pontificis.*
15. *Iterum ostenditur manifesta contradictio Febroniana de terminatione causarum præsertim fidei.*
16. *Lepidum illius diverticulum de* materialibus ad damnationem præparatis.
17. *Ostenditur nec doctis, nec indoctis hoc medium Febronianum fore ad persuadendum utile.*

I. Supra hypthesim Episcopatûs indivisi Febronius audacter superstruit asserta illi figmento simillima, quòd siquis Episcopus in fidei defensione defe-

deficerit, cuilibet Episcopo (nullâ divisionis diœceseon ratione habitâ) incumbat fidem in extraneâ provinciâ *sartam salvámque statuere.*

II. Quòd ad Romanum Pontificem pertineat (ùt absurdissimè loquitur) *Cura subsidiaria* tanquam ad Primatem, ita quidem, ut Febronii judicio levior possit esse cujusvis particularis Episcopi culpa, si defectum Coëpiscopi deficientis emendare omiserit; longè autem gravior culpa futura sit Rom. Pontificis, propter quam *non coram Deo tantùm, sed & coram corpore Ecclesiæ rationem reddere teneatur.*

III. Quidquid autem boni fecerit extra fines suæ provinciæ, negat propriè dictæ specialioris jurisdictionis facere argumentum; negat eam aut supponi, aut involvi, errare omnes tanquam aut minùs peritos, aut parùm attentos, quicumque censuerint in eos actus, aut ad hæresim reprimendam, aut ad fidem sustinendam factos à Rom. Pontifice, ordinariam & immediatam jurisdictionem indicare.

IV. Quæ sit notio genuina jurisdictionis Ecclesiasticæ, jam suprà ex Gersonio indicatum est. Si Episcopi etiam inviti parère debent Rom. Pontificis Decretis, omniáque Concilia generalia illam potestatem coërcitivam quorumcunque etiam Episcoporum & Patriarcharum professi sunt; si criminales Episcoporum causas supremo judicio terminandi potestatem ad Romanum Pontificem pertinere Tridentini Patres apertè profiteantur, & quod multis Summorum Pontificum exemplis demonstratum est, perfidi, rebelles Episcopi authoritate Pontificiâ à suis Sedibus & communione catholicâ dejecti fuerint, quis ferre possit intolerabilem illam catholici Scriptoris audaciam, quæ S. Sedi Apostolicæ nihil tribuit etiam in fidei negotio præter curam, ùt improbè loquitur, merè subsidiariam? Nisi malit Febronius oculos mentis penitùs occludere, ipsæ jam suprà recitatæ sententiæ Cœlestini, Leonis, Gelasii, Felicis, Gregorii convincere debent, quòd, si quis velit cum imperio loqui, & tanquam supremam in Episcopos potestatem habens, non possit luculentiùs specialem & propriè dictam jurisdictionem significare. *Si qua culpa in Episcopis invenitur*, ajebat M. Gregorius, *nescio quis Apostolicæ Sedi Episcopus subjectus non sit. Cùm verò culpa non exigit, omnes secundùm rationem humilitatis æquales sunt.* Ita Joannes Diaconus in vitâ S. Gregorii à se conscriptâ. Petrum Apostolum dixit *æqualem & mitem* fuisse *Cornelio, ad quem transiit; potentem & sævum Ananiæ & Saphiræ, quos punivit. Illic* (inquit idem Biographus) *communionem æqualitatis meruit sanctitas actionis, hic zelus ultionis jus aperuit potestatis.*

V. Facit Febronius, quod solenne est omnibus, qui contra Rom. Pontifices insurgunt; facilis est ad impingendum illis, qui Primatum veræ jurisdictionis Rom. Pontifici tribuunt, errorem vel ex ignorantiâ, vel inconsideratione, aut, ùt aliàs, ex assentandi libidine prognatum.

IV. Tituli

VI. Tituli honorem; loci praeeminentiam, dicendi authoritatem, obligationem admonendi liberaliter concedit, sed absque jurisdictione, ut loquitur, speciali ore ac propriè dictâ. Hoc verò ita facit, ut minimè genuinam specialioris & propriè dictae jurisdictionis notionem doceat.

VII. Equidem ad ea, quae pro sacrâ jurisdictione S. Gregorii per universam Ecclesiam ab eo exercitâ promserunt Patres Congreg. S. Mauri in editione novissimâ Operum S. Gregorii, respondere nititur in Cap. 5. §. 4. quò hìc provocat; sed ad objecta respondendo sacram jurisdictionem invitus fulcit potiùs, quàm evertit.

VIII. Imò non dissimulat minas Gregorii, quas Joanni Patriarchae Cpolitano suo ad Narsetem Patritium, qui pro Joanne intercesserat, responso intentabat. Quòd Columbo in Numidiâ Episcopo commissam causam attinet, Hilaro Diacono Legato suo in Numidiae provinciâ mandaverat, ejus instantiâ convocandum esse Concilium, & subtili indagatione omnia esse perquirenda, quae delata fuerant contra ejus provinciae Episcopos Arientium & Maximianum, Columbo Episcopo scribit: *Si Maximianus sceleris fuerit convictus, à dignitate, officióque degradetur.* Mittere Legatum, jubere convocationem Concilii, poenam determinare, si reus deprehensus fuerit Maximianus, quis neget certum esse jurisdictionis exercitium?

IX. Quòd Syagrio Augustodunensi Episcopo commiserit, ut apud Guntramnum Regem agat de finibus Dioeceseon constituendis, curétque, ut, quod malè factum est, corrigatur; & quae violenter ablata sunt, veritate patrocinante reddantur, jurisdictionem Papalem neutiquam infirmat. Si Pontifices & Episcopi & Judices Ecclesiastici inferiores ad infringendam perduellium contumaciam brachii saecularis potentiâ suorum decretorum executionem nituntur cogente resistentium improbitate promovere, non ideo suâ se jurisdictione destituunt, sed oeconomiâ Sedis Apostolicae constitutionibus & frequentibus exemplis probatâ utuntur.

X. Quartum est, cujus jam suprà memini, quòd Januarium Malacitanum Episcopum jusserit restitui Sedi, unde per vim detrusus fuerat, & intrusum in custodiâ detineri, aut Romam mitti; ab omni Ecclesiastico ministerio dejectum & Sacerdotio privatum. De hoc aliud, quod dicat, Febronius non habet, quàm quòd *aliquid speciale habeat hæc causa*; quid hoc aliud est, quàm fateri jurisdictionem plenam, absolutámque & immediatam?

XI. Quintum est, quòd Paulum, qui Romam ad se purgandum venerat, absolverit. At & hoc actum jurisdictionis esse, nemo negaverit, si attendatur modus, quem in absolutione tali S. Gregorius observavit. Exemplo sit absolutio, quâ Hadrianum Thebarum Episcopum injustè Episcopali judicio damnatum dignitati restituit his verbis: *Hadrianum in suum locum atque ordinem reverti Christo comitante disponimus.* Et Joanni Episcopo injustae illius sententiae authori scripsit: *Cassatis atque ad nihilum redactis sententiae*

tuæ decretis ex B. Petri Principis Apostolorum authoritate decernimus 30. *dierum spatio te sacrâ communione privatum &c.* Joanni Lariffæo Episcopo, qui suis machinationibus illud judicium promoverat, & interea temporis, quo Hadrianus ab officio Episcopali abstinere debuit, ejus Diœcesim curaverat, scripsit Gregorius: *Nos humaniùs decernentes, communionisque tibi sacramentum interim conservantes decernimus, ut fraternitas tua ab Hadriano. & Ecclesiâ ejus omnem jurisdictionis potestatem abstineat, sed si qua causa vel Fidei, vel criminis, vel pecuniaria* (Simoniaca) *adversùs præfatum Consacerdotem nostrum potuerit evenire, vel per responsales nostros, si mediocris est quæstio, cognoscatur, vel huc ad Apostolicam Sedem, si ardua est, deducatur. Quòd si contra hæc, quæ statuimus, quolibet tempore, quâlibet occasione, vel subreptione venire tentaveris, sacrâ scias te communione privatum, nec eam te excepto ultimo vitæ tuæ tempore nisi concessâ Romani Pontificis decernimus jussione percipere.*

XII. Sextum (quod Episcopos Illyrici concernit) etiam Febronius agnoscit, indicium facere specialis jurisdictionis, cùm tantùm respondeat: *notum est, nullam esse regionem exteram, in quam tantum authoritatis sibi tribuerint summi Pontifices, ac in Illyricum. Non mirum ergo est*, inquit, *si nonnulla ibi extent Romanæ potestatis exempla, quæ alibi frustra quæsierit.*

XIII. At mihi jam valde mirum est, quomodo Gregorius ad purissima illa Ecclesiæ tempora pertineat, ille ipse Gregorius, qui, etsi Decretales Isidoricas non viderit, quasi unus Pontificum, qui inter ignorantiæ tempora judice Febronio cæcutierunt, toties & tam luculenta jurisdictionis, ùt ille loquitur, specialioris & absolutæ & propriè dictæ indicia prodidit.

XIV. Excussâ præsensione Febronius Magni Gregorii epistolas attentiùs inspiciat, discet ex his, quomodo in gravioribus Ecclesiæ negotiis primam *sententiam* sæpè *prompserit extra Concilium*, quantâ, quàm severâ gravitate obedientiam ab Episcopis & Sacerdotibus pastoralis & sacerdotalis officii incuriis exspectaverit, quàm fortiter executioni mandaverit sua decreta depositionum, excommunicationum, quorum jam quædam exempla ex ejus epistolis protuli. Discet ex illis hoc etiam, quòd nunquam timuerit Gregorius ab Ecclesiâ se vadimonio convadandum, ut *neglectæ hac in parte stationis rationem* tanquam reus pendere cogeretur.

XV. Illud hic præterire non possum, quòd Febronius hoc loco dicat *in Ecclesiarum consensu seu conspiratione expressâ vel tacitâ, quâ Pontificem Rom. postquam primam sententiam extra Concilium dixit, plerùmque* (inquit) *sequuntur, consistere perfectionem negotii*, dum in Capite 6. dicit nequidem si omnes Episcopi expressè consenserint, summo Pontifici ultimatum judicium ante Clericorum inferiorum & Laicorum assensum attribui debere. Quandonam erit perfectio negotii, cùm certum, ultimatúmque judicium

re-

requirat Febronius, ut judicium fidei sit legitimum, neque illi sufficiat aliquid *ferè esse de fide*?

XVI. Si volet ad ridendum suum diverticulum de *materialibus ad damnationem præparatis* deflectere, ut aliquem novæ doctrinæ pertinaciter adhærentem convertat ad unitatem catholicam, si etiam illi tentabit præsagire, quid aut in generali Concilio ab omnibus Episcopis, aut extra generale Concilium tacitâ vel expressâ Presbyterorum inferiorum & Laicorum conspiratione ultimato judicio ubique terrarum finiendum sit vel decernendum contra ejus novitatem, ridebit contrariæ opinioni addictus illas insanias & minas inutiles.

XVII. Si doctus fuerit, jactare perget qualiacunque sua scripturarum & traditionis interpretamenta; dicet se *futuri liberi*, *universalis legitimè convocandi Concilii* definitionem securâ cum fiduciâ exspectare; si contrarium ab illo Concilio generali forsan decernetur, illud illegitimum prophetabit; extra Concilium autem tale, quale ipse vult, innumeros ex Clero inferiore & Laicorum ordine & quidem *prudentes ac pios* ubique gentium sibi suffragaturos præfidentissimè contendet. Si indoctus fuerit, ipsa Eruditorum inter se contendentium altercatione pervicaciam suam nutriet, & hos, quibus se addixit, prævalituros sperabit, imò juxta suas præconceptiones ominabitur eos palmam victoriæ obtenturos.

§. III.

Altera cautela, ne juris dicatur, quòd est meri facti, aut ex privilegio speciali, discutitur.

1. *Febronio alter fons errorum est, quòd attendatur, quid fecerint Pontifices, non quo jure.*
2. *Dicit exercitium potestatis Pontificiæ in Diœcesibus aliorum Episcoporum esse meram usurpationem.*
3. *Præter distinctionem* facti & juris *monet distinguenda esse tempora* ignorantiæ, & lucis.
4. *Per tempora* ignorantiæ *intellexit S. Paulus tempus* Idololatriæ.
5. *Quesnelli fautores verba Archiepiscopi Cæsaraugustani illimitatam acceptationem Bullæ* Unigenitus *dixerunt sapere idololatriam.*
6. *Vel hoc sensu Febronius Romanos vocat ignorantes, vel quòd alios duces non sequantur, quàm Isidorum & Gratianum.*
7. *Falsum est Papam in Diœcesibus tantam potestatem actu exercere, quantam Episcopi.*
8. *Febronius ostendere non potest, in quo potestas Pontificia sit* justo major, *quæ Diœcesis sit Rom. Præsuli aliena.*

9.

jus Rom. Pontificis & jus Episcoporum non admittit comparationem. Dynasta non est vicarius Regis instar Præfecti provinciæ, sed jure subalterno ita subditos gubernat, ut Regi se subjectum agnoscat. Ita Febroni authoritatem Papalem & Episcopalem compone, ut certi sint fines Episcopales,

quos ultra citráque nequit consistere rectum.

X. A particulari jure aut privilegio dicit Febronius universale jus non esse concludendum. Particularis autem privilegii Papalis unicum hic profert exemplum in jure ad Clericatum, aut sacros Ordines promovendi quorumcunque Episcoporum Diœcesanos. Illud verò negat esse speciale jus aut privilegium Pontificis, cùm & Carthaginensis Episcopus tanquam Africæ Primas idem jus habuerit; ita autem illum aliósque primariarum Sedium Episcopos, ipsúmque Rom. Pontificem hoc jus habuisse, ut eos, quos ordinabant, illis Diœcesibus ministros dare non possent, sed ad suæ tantùm Ecclesiæ ministerium assumere. Insigne hoc *v... Febronianum est.

Hallerius de sac. ordinat. sect. 5. C. 4. a. 1. XI. Disciplina Ecclesiæ & praxis non ordinandi alienum adeò est antiqua, ut, cùm ejus initium consignari non possit, ab Apostolicâ traditione derivata intelligatur.

Tournel. de sacr. ord. q. 4. a. 3. XII. Concilium Nicænum I. decrevit, ut *nullus Episcopus alterius parochianum præsumat retinere aut ordinare absque* ejus voluntate, vel judicare; sicut irrita (quoad exercitium) erat ordinatio, ita & dijudicatio.

XIII. Excusabat necessitas, vacante aut persecutionibus oppresâ proprii Episcopi Ecclesiâ. S. Gregorius M. concessit Fortunato, ut Gratianum Diaconum extraneum ordinaret: *Nostrâ*, inquit, *authoritate Ecclesiæ tuæ Deo propitio constituere cardinalem*, seu ad curam animarum incardinare *possis*.

XIV. Excusabat etiam vehemens & importunum plebis desiderium, quo nitebatur ordinatio S. Paulini Barcinone, & ordinatio Piniani Hippone, ut refert S. Augustinus. Ordinati si piæ violentiæ cedendo se non obligabant tali Ecclesiæ, manebant proprio Episcopo subditi.

XV. Extra hos casus proprii Episcopi consensus requirebatur, qualem si S. Epiphanius habuisset, dum Paulinianum S. Hieronymi fratrem ordinavit, inconsulto Hierosolymitano Episcopo; & Alexander Hierosolymitanus, dum Origenem inconsulto Demetrio Alexandrino ordinavit, funestissima illa Episcoporum dissidia suscitata non fuissent. Concilium Tridentinum statuit: *Unusquisque à proprio Episcopo ordinetur*. Si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei etiam cujusvis generalis aut specialis Rescripti vel privilegii prætextu etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas aut mores Ordinarii testimonio commendentur. Trid. sess. 23. de Reform. C. 8.

XVI. *Facultates de promovendo à quocunque* non suffragantur, nisi habentibus legitimam causam in literis exprimendam, & tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo in suâ Diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine. Sess. 7. de Refor. C. 11.

XVII.

XVII. Episcopus non merè titularis, sed habens Clerum & populum potest familiarem extraneum, triennio apud se commorantem ordinare, sed statim beneficium reipsâ ei conferat. *Seff. 23. C. 9.*

XVIII. Sede Episcopali ultra annum vacante S. Synodus Capitulo concedit facultatem dandi dimissorias illis Clericis, qui Beneficii Ecclesiastici recepti vel recipiendi occasione coarctantur, id est, quos beneficium curatum, aut aliud jam antè obtentum, vel tunc obtinendum ad susceptionem majoris Ordinis obligat. *Seff. 7. C. 10.*

XIX. Nec exemptos Regulares à communi hac obligatione eximit Concilium. Mendicantibus à Pio V. concessum privilegium à quocunque Antistite cum Sede Apostolicâ communionem habente sacros Ordines suscipiendi revocavit Gregorius XIII. *Seff. 24. de Refor. C. 11.*

XX. Liquet ex his hallucinatio Febroniana de hac Ecclesiæ Romanæ disciplinâ, & nunquam Episcopo Carthaginensi aut Cpolitano particulare privilegium sacros Ordines extraneis conferendi præ aliis Episcopis concessum fuisse, cùm nec Hierosolymitano nec Alexandrino Patriarchæ id veneranda antiquitas tribuerit, sed manuum impositio propria sit Episcopo proprio, nisi *reverendas*, quas vocant, seu proprio, seu ordinandorum ad hoc movente impedimento, dare voluerit, maneat reservata.

XXI. Romano Pontifici eâ olim, & adhuc nunc facultas est, quòd *titulo missionis* Romæ ad sacros majores Ordines assumat alumnos Collegii Germanici, Hibernici, aliorúmque Collegiorum ibi sufficienter probatos & à probitate & bonis moribus ac scientiâ commendatos.

XXII. Etiam ex prosperi Fagnani aliorúmque sententiâ potest à summo Pontifice alius Episcopus ad sacros majores Ordines conferendos delegari, si manifestò constiterit ex nullâ legitimâ causâ Clericum beneficii occasione arctatum à sacrâ Ordinatione repelli. Stephanus Papa Gualberto Patriarchæ mandavit, ut iniquè dilatam Ordinationem Episcopi Cumani ultrà non differat; declarat se *Apostolicâ prærogativâ de quâlibet Ecclesiâ Clericum ordinare posse*, *nolle* tamen *alicujus Ecclesiæ privilegium* infringere, ideo rescribit: *Si toties monitus non maturaveris Ordinationem, procul dubio ad nos veniens consecratus abibit.*

XXIII. Quomodo Episcopus censendus sit *proprius* ratione *Beneficii*, *originis* & *domicilii* ad vitandum fraudes & incommoda, quibus recursus ad plures Episcopos viam aperuit, per Bullam: *Speculatores* Innocentius XII. supremâ authoritate definivit. *Gratian. Cauf. IX. C. 20.*

✡ ✡ ✡

§. IV.

quòd cum excommunicato Petro Moggo contumaciter communicare pergeret, & hâc ſententiâ Summi Pontificis contemptâ, ſicut à divino ſacrificio non abſtinuit, ita uſque ad infelicem mortem pertinaciter cum impio Petro in communione permanſerit: Acacium Felix hâc ſententiâ perculit: *Alienarum tibi provinciarum jura temerè vindicâſti* (adverte Febroni) *Hæreticos non modò communioni tuæ recipiendos putâſti, verùm aliis Eccleſiis præſidere feciſti; & quaſi hæc minora tibi viderentur, in ipſam doctrinæ Apoſtolicæ veritatem auſu ſuperbiæ tuæ tetendiſti, ut Petrus, quem damnatum à Deceſſore meo* (Simplicio) *ipſe retuleras, B. Marci Sedem te connivente rurſus invaderet, & fugatis orthodoxis Epiſcopis & Clericis ſui procul dubio ſimiles ordinaret, pulſóque eo, qui fuerat regulariter ordinatus, captivam teneret Eccleſiam, eundémque Petrum Chalcedonenſis Decreta Concilii anathematizantem per Miſenum & Vitalem credideris excuſandum, nec eum laudare deſieris; tantùm autem perſeveras in hominis defenſione perverſi, ut quondam Epiſcopos, nunc verò bonore & communione privatos Vitalem atque Miſenum, quos ad ejus expulſionem ſpecialiter miſeramus, ſublatis chartis cuſtodiæ paſſus fueris mancipari, &... ad Hæreticorum, tuámque communionem pertraxeris, & ad libellum fratris noſtri Joannis Talaïæ, qui te graviſſimis objectionibus impetivit, in Apoſtolicâ Sede reſpondere diffidens objecta firmâſti... Habe ergo cum his, quos libenter amplecteris, portionem ex ſententiâ præſenti, Sacerdotali bonore & communione Catholicâ, necnon etiam à fidelium numero ſegregatus, ſublatum tibi nomen & locum miniſterii Sacerdotalis agnoſce S. Spiritûs judicio & Sede Apoſtolicâ damnatus, nunquámque anathematis vinculis exuendus.* C. Felix Epiſcopus S. Eccleſiæ Urbis Romæ. V. Kal. Aug. Venantio Conſ. ſeu an. 484. ſubſcripſêre 67. Epiſcopi. Nonne tam à vero alienis probationibus malâ fide congeſtis, etſi innumera ejus generis alia corraderes,

Cauſa patrocinio non bona pejor erit?

XXVII. Nefas eſt homini catholico dependentiam à Rom. Pontifice illis acceſſoriis, quæ pro locorum & temporum variâ conditione variantur, accenſere. Canon ſubſtantialis eſt, Sacerdotium Catholicorum à Cathedrâ S. Petri unitatis & originem habere & conſervationem, eſque Canoni adverſatur aſſertio Febroniana, quòd poteſtas Epiſcopi particularis Eccleſiæ tam latè ſe extenderit, aut extendat, quàm Epiſcopi Romani, & Epiſcopus particularis etiam Conſtantinòpolitanæ Eccleſiæ æquè totius Eccleſiæ aliquando fuerit, & nunc ſit Epiſcopus, ac Epiſcopus Romanus.

XXVIII. Vulgatum illud axioma: *Ex uno abſurdo ſequuntur plura*, ſuo etiam exemplo Febronius confirmat, dum dicit: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Docete omnes gentes*, non ad omnes tantùm Apoſtolos, ſed & ad omnes Epiſcopos pertinere. Quis Germanorum Epiſcoporum ſuſtineat Epiſcopum aliquem Orientalem aut Gallum

vel

vel Italum horum textuum fiduciâ suâpte authoritate officium prædicationis in suâ provinciâ exercere?

§. II.

Ex falso principio falsam illationem deducit Febronius, Papam autoritate Primatûs non agere, quæ agit extra Provinciam Romanam.

1. *Hypothesi falsæ Episcopatûs indivisi superstruit Febronius ad omnes Episcopos pertinere obligationem defendendi fidem etiam extra provinciam.*
2. *Ad Pontificem pertinere* curam subsidiariam.
3. *Quidquid Papa fecerit extra provinciam Romanam, negat esse actum veræ jurisdictionis.*
4. *Ostenditur hujus asserti falsitas.*
5. *Asserentes veram jurisdictionem Pontificiam dicit vel ignorantiâ vel assentatione, vel inadvertentiâ errare.*
6. *Febronius Rom. Pontifici negando jurisdictionem non explicat, quid ei neget.*
7. *Editoribus Operum S. Gregorii PP. Benedictinis non satisfacit.*
8. *Jurisdictionem exercuit S. Gregorius jubendo convocationem Concilii, pœnam reis Episcopis dictando.*
9. *Implorare brachium sæculare non obstat jurisdictioni Ecclesiasticæ.*
10. *Febronius tacitè fatetur jurisdictionem à Gregorio exercitam in causâ Januarii Malacitani.*
11. *Ejusdem jurisdictio probatur per judicialem absolutionem Episcoporum.*
12. *Febronius fatetur Gregorium jurisdictionem exercuisse in Illyrico.*
13. *Ostenditur Febronium sibi contradicere, dum negat jurisdictionem Pontificiam fuisse agnitam ante Isidorum.*
14. *Demonstratur ex epistolis Gregorianis jurisdictio Rom. Pontificis.*
15. *Iterum ostenditur manifesta contradictio Febroniana de terminatione causarum præsertim fidei.*
16. *Lepidum illius diverticulum de* materialibus ad damnationem præparatis.
17. *Ostenditur nec doctis, nec indoctis hoc medium Febronianum fore ad persuadendum utile.*

I. Supra hypthesim Episcopatûs indivisi Febronius audacter superstruit asserta illi figmento simillima, quòd siquis Episcopus in fidei defensione defe-

defecerit, cuilibet Episcopo (nullâ divisionis diœceseon ratione habitâ) incumbat fidem in extraneâ provinciâ *sartam salvámque statuere.*

II. Quòd ad Romanum Pontificem pertineat (ùt absurdissimè loquitur) *Cura subsidiaria* tanquam ad Primatem, ita quidem, ut Febronii judicio levior possit esse cujusvis particularis Episcopi culpa, si defectum Coëpicopi deficientis emendare omiserit; longè autem gravior culpa futura sit Rom. Pontificis, propter quam *non coram Deo tantùm, sed & coram corpore Ecclesiæ rationem reddere teneatur.*

III. Quidquid autem boni fecerit extra fines suæ provinciæ, negat propriè dictæ specialioris jurisdictionis facere argumentum; negat eam aut supponi, aut involvi, errare omnes tanquam aut minùs peritos, aut parùm attentos, quicumque censuerint in eos actus, aut ad hæresim reprimendam, aut ad fidem sustinendam factos à Rom. Pontifice, ordinariam & immediatam jurisdictionem indicare.

IV. Quæ sit notio genuina jurisdictionis Ecclesiasticæ, jam suprà ex Gersonio indicatum est. Si Episcopi etiam inviti parère debent Rom. Pontificis Decretis, omniáque Concilia generalia illam potestatem coërcitivam quorumcunque etiam Episcoporum & Patriarcharum professi sunt; si criminales Episcoporum causas supremo judicio terminandi potestatem ad Romanum Pontificem pertinere Tridentini Patres apertè profiteantur, & quod multis Summorum Pontificum exemplis demonstratum est, perfidi, rebelles Episcopi authoritate Pontificiâ à suis Sedibus & communione catholicâ dejecti fuerint, quis ferre possit intolerabilem illam catholici Scriptoris audaciam, quæ S. Sedi Apostolicæ nihil tribuit etiam in fidei negotio præter curam, ùt improbè loquitur, merè subsidiariam? Nisi malit Febronius oculos mentis penitùs occludere, ipsæ jam suprà recitatæ sententiæ Cœlestini, Leonis, Gelasii, Felicis, Gregorii convincere debent, quòd, si quis velit cum imperio loqui, & tanquam supremam in Episcopos potestatem habens, non possit luculentiùs specialem & propriè dictam jurisdictionem significare. *Si qua culpa in Episcopis invenitur*, ajebat M. Gregorius, *nescio quis Apostolicæ Sedi Episcopus subjectus non sit. Cùm verò culpa non exigit, omnes secundùm rationem humilitatis æquales sunt.* Ita Joannes Diaconus in vitâ S. Gregorii à se conscriptâ. Petrum Apostolum dixit *æqualem & mitem* fuisse *Cornelio, ad quem transiit; potentem & sævum Ananiæ & Saphiræ, quos puniit. Illic* (inquit idem Biographus) *communionem æqualitatis meruit sanctitas actionis, hic zelus ultionis jus aperuit potestatis.*

V. Facit Febronius, quod solenne est omnibus, qui contra Rom. Pontifices insurgunt; facilis est ad impingendum illis, qui Primatum veræ jurisdictionis Rom. Pontifici tribuunt, errorem vel ex ignorantiâ, vel inconsideratione, aut, ùt aliàs, ex assentandi libidine prognatum.

IV. Tituli

VI. Tituli honorem; loci praeminentiam, dicendi authoritatem, obligationem admonendi liberaliter concedit, sed absque jurisdictione, ùt loquitur, specialiore ac propriè dictâ. Hoc verò ita facit, ut minimè genuinam specialioris & propriè dictae jurisdictionis notionem doceat.

VII. Equidem ad ea, quae pro sacrâ jurisdictione S. Gregorii per universam Ecclesiam ab eo exercitâ protulerunt Patres Congreg. S. Mauri in editione novissimâ Operum S. Gregorii, respondere nititur in Cap. 5. §. 4. quò hic provocat; sed ad objecta respondendo sacram jurisdictionem invitus fulcit potiùs, quàm evertit.

VIII. Imò non dissimulat minas Gregorii, quas Joanni Patriarchae Cpolitano suo ad Narsetem Patritium, qui pro Joanne intercesserat, responso intentabat. Quòd Columbo in Numidiâ Episcopo commissam causam attinet, Hilaro Diacono Legato suo in Numidiae provinciâ mandaverat, ejus instantiâ convocandum esse Concilium, & subtili indagatione omnia esse perquirenda, quae delata fuerant contra ejus provinciae Episcopos Arientium & Maximianum, Columbo Episcopo scribit: *Si Maximianus sceleris fuerit convictus, à dignitate, officióque degradetur.* Mittere Legatum, jubere convocationem Concilii, poenam determinare, si reus deprehensus fuerit Maximianus, quis neget certum esse jurisdictionis exercitium?

IX. Quòd Syagrio Augustodunensi Episcopo commiserit, ut apud Guntramnum Regem agat de finibus Dioeceseon constituendis, curetque, ut, quod malè factum est, corrigatur; & quae violenter ablata sunt, veritate patrocinante reddantur, jurisdictionem Papalem neutiquam infirmat. Si Pontifices & Episcopi & Judices Ecclesiastici inferiores ad infringendam perduellium contumaciam brachii saecularis potentiâ suorum decretorum executionem nituntur cogente resistentium improbitate promovere, non ideo suâ se jurisdictione destituunt, sed oeconomiâ Sedis Apostolicae constitutionibus & frequentibus exemplis probatâ utuntur.

X. Quartum est, cujus jam suprà memini, quòd Januarium Malacitanum Episcopum jusserit restitui Sedi, unde per vim detrusus fuerat, & intrusum in custodiâ detineri, aut Romam mitti; ab omni Ecclesiastico ministerio dejectum & Sacerdotio privatum. De hoc aliud, quod dicat, Febronius non habet, quàm quòd *aliquid speciale habeat hæc causa*; quid hoc aliud est, quàm fateri jurisdictionem plenam, absolutámque & immediatam?

XI. Quintum est, quòd Paulum, qui Romam ad se purgandum venerat, absolverit. At & hoc actum jurisdictionis esse, nemo negaverit, si attendatur modus, quem in absolutione tali S. Gregorius observavit. Exemplo sit absolutio, quâ Hadrianum Thebarum Episcopum injusto Episcopali judicio damnatum dignitati restituit his verbis: *Hadrianum in suum locum atque ordinem reverti Christo comitante disponimus.* Et Joanni Episcopo injustae illius sententiae authori scripsit: *Cassatis atque ad nihilum redactis sententiae*

tuæ decretis ex B. Petri Principis Apostolorum authoritate decernimus 30. *dierum spatio te sacrâ communione privatum &c.* Joanni Larissæo Episcopo, qui suis machinationibus illud judicium promoverat, & interea temporis, quo Hadrianus ab officio Episcopali abstinere debuit, ejus Diœcesim curaverat, scripsit Gregorius: *Nos humaniùs decernentes, communionisque tibi sacramentum interim conservantes decernimus, ut fraternitas tua ab Hadriano & Ecclesiâ ejus omnem jurisdictionis potestatem abstineat, sed si qua causa vel Fidei, vel criminis, vel pecuniaria* (Simoniaca) *adversùs præfatum Consacerdotem nostrum potuerit evenire, vel per responsales nostros, si mediocris est quæstio, cognoscatur, vel huc ad Apostolicam Sedem, si ardua est, deducatur. Quòd si contra hæc, quæ statuimus, quolibet tempore, quâlibet occasione, vel subreptione venire tentaveris, sacrâ scias te communione privatum, nec eam te excepto ultimo vitæ tuæ tempore nisi concessâ Romani Pontificis decernimus jussione percipere.*

XII. Sextum (quod Episcopos Illyrici concernit) etiam Febronius agnoscit, indicium facere specialis jurisdictionis, cùm tantùm respondeat: *notum est, nullam esse regionem exteram, in quam tantum authoritatis sibi tribuerint summi Pontifices, ac in Illyricum. Non mirum ergo est*, inquit, *si nonnulla ibi extent Romanæ potestatis exempla, quæ alibi frustra quæsierit.*

XIII. At mihi jam valde mirum est, quomodo Gregorius ad purissima illa Ecclesiæ tempora pertineat, ille ipse Gregorius, qui, etsi Decretales Isidoricas non viderit, quasi unus Pontificum, qui inter ignorantiæ tempora judice Febronio cæcutierunt, toties & tam luculenta jurisdictionis, ut ille loquitur, specialioris & absolutæ & propriè dictæ indicia prodidit.

XIV. Excussâ præsensione Febronius Magni Gregorii epistolas attentiùs inspiciat, discet ex his, quomodo in gravioribus Ecclesiæ negotiis primam *sententiam* sæpè *prompserit extra Concilium*, quantâ, quàm severâ gravitate obedientiam ab Episcopis & Sacerdotibus pastoralis & sacerdotalis officii incuriis exspectaverit, quàm fortiter executioni mandaverit sua decreta depositionum, excommunicationum, quorum jam quædam exempla ex ejus epistolis protuli. Discet ex illis hoc etiam, quòd nunquam timuerit Gregorius ab Ecclesiâ se vadimonio convadandum, ut *neglectæ hac in parte stationis rationem* tanquam reus pendere cogeretur.

XV. Illud hic præterire non possum, quòd Febronius hoc loco dicat *in Ecclesiarum consensu seu conspiratione expressâ vel tacitâ, quâ Pontificem Rom. postquam primam sententiam extra Concilium dixit, plerùmque* (inquit) *sequuntur, consistere perfectionem negotii*, dum in Capite 6. dicit nequidem si omnes Episcopi expressè consenserint, summo Pontifici ultimatum judicium ante Clericorum inferiorum & Laicorum assensum attribui debere. Quandonam erit perfectio negotii, cùm certum, ultimatúmque judicium re-

requirat Febronius, ut judicium fidei fit legitimum, neque illi sufficiat aliquid *ferè esse de fide?*

XVI. Si volet ad ridendum suum diverticulum de *materialibus ad damnationem præparatis* deflectere, ut aliquem novæ doctrinæ pertinaciter adhærentem convertat ad unitatem catholicam, si etiam illi tentabit præsagire, quid aut in generali Concilio ab omnibus Episcopis, aut extra generale Concilium tacitâ vel expressâ Presbyterorum inferiorum & Laicorum conspiratione ultimato judicio ubique terrarum finiendum sit vel decernendum contra ejus novitatem, ridebit contrariæ opinioni addictus illas insanias & minas inutiles.

XVII. Si doctus fuerit, jactare perget qualiacunque sua scripturarum & traditionis interpretamenta; dicet se *futuri liberi*, *universalis legitimè convocandi Concilii* definitionem securâ cum fiduciâ exspectare; si contrarium ab illo Concilio generali forsan decernetur, illud illegitimum prophetabit; extra Concilium autem tale, quale ipse vult, innumeros ex Clero inferiore & Laicorum ordine & quidem *prudentes ac pios* ubique gentium sibi suffragaturos præsidentissimè contendet. Si indoctus fuerit, ipsa Eruditorum inter se contendentium altercatione pervicaciam suam nutriet, & hos, quibus se addixit, prævalituros sperabit, imò juxta suas præconceptiones ominabitur eos palmam victoriæ obtenturos.

§. III.

Altera cautela, ne juris dicatur, quòd est meri facti, aut ex privilegio speciali, discutitur.

1. *Febronio alter fons errorum est, quòd attendatur, quid fecerint Pontifices, non quo jure.*
2. *Dicit exercitium potestatis Pontificiæ in Diœcesibus aliorum Episcoporum esse meram usurpationem.*
3. *Præter distinctionem* facti & juris *monet distinguenda esse tempora* ignorantiæ, & lucis.
4. *Per tempora ignorantiæ intellexit S. Paulus tempus* Idololatriæ.
5. *Quesnelli fautores verba Archiepiscopi Cæsaraugustani illimitatam acceptationem Bullæ* Unigenitus *dixerunt sapere idololatriam.*
6. *Vel hoc sensu Febronius Romanos vocat ignorantes, vel quòd alios duces non sequantur, quàm Isidorum & Gratianum.*
7. *Falsum est Papam in Diœcesibus tantam potestatem actu exercere, quantam Episcopi.*
8. *Febronius ostendere non potest, in quo potestas Pontificia sit* justo major, *quæ Diœcesis sit Rom. Præsuli aliena.*

9. *Differentia juris* alti & bassi *applicatur Pontifici & Episcopis.*
10. *Facultas promovendi Clericos quarumcunque Diœceseon convenit Pontifici specialiter.*
11. *Papa contra Ss. Canones non peccat ordinando Clericum alii Episcopo subditum.*
12. *Quid de ordinatione Clerici extranei statuerit Concilium Nicænum I.*
13. *Exemplum S. Gregorii M. probat supposità causâ posse ordinari Clericum extraneum.*
14. *Paulinianus S. Hieronymi frater & alii ordinati sunt inconsultis propriis Episcopis.*
15. *Quando talis ordinatio liceat, & quis sit effectus.*
16. *Facultas de promovendo à quocunque requirit causam.*
17. *Quid possit Episcopus, quantùm ad familiares,*
18. *Quid Sede vacante,*
19. *Quid quoad Exemptos & Mendicantes.*
20. *Hallucinatio Febronii in hac materiâ.*
21. *Rom. Pontificis illimitata potestas laudabiliter exercetur Romæ per ordinationem titulo* Missionis.
22. *Papa dat facultatem alieno Episcopo, si proprius injustè neget ordinationem.*
23. *Quis Episcopus sit proprius, definivit Innocentius XII. per Bullam:* Speculatores.

I. Post indicatum primum fontem, unde Romanos lutulentam explicationem Primatûs Pontificii haurire dicit Febronius, ostendere nititur alteram hanc errorum scaturiginem, quod, *quid fecerint*, faciántve Pontifices, attendatur, *non autem*, *quo jure* processerint.

II. Dicit extare exempla, quòd tantundem ferè authoritatis & potestatis exercuerint Rom. Præsules in alienis Diœcesibus, quantum proprii harum Ordinarii; hoc autem esse *meram usurpationem*, non verò genuinæ potestatis exercitium.

III. Sed ne indefinitâ censurâ castiget sacram Sedem Apostolicam, præter distinctionem *facti* & *juris* etiam ad parachronismi vitium cautè vitandum distinguit inter tempora *ignorantiæ* & *lucis*. Tempora lucis Febronio illæ sunt, in quibus *ad Acta Conciliorum, sententias Doctorum Ecclesiæ, ut plurimùm, etiam proprio Pontificum judicio* confirmatas attendebatur. Tempora autem ignorantiæ sunt Febronio illa, in quibus *Pontificum potestas credebatur nullis limitibus circumscripta.*

IV. Si Febronius voluit illis vocibus: *Tempora ignorantiæ* tribuere notio-
Act. 17. nem eandem, quam iisdem verbis tribuebat Apostolus, intelligenda sunt tempora *idololatriæ*.

V.

V. Eo sensu Academici quidam Parisienses, qui anno 1718. 5. Octob. ad futurum liberum generale Concilium à Constitutione *Unigenitus* appellabant, verba Archiepiscopi Cæsaraugustani, qui testabatur *in omnibus Hispaniæ provinciis omnes omnino Episcopos, omnes Ecclesias, omnes Academias, omnes Religiosos Ordines, omnes cujuscunque conditionis homines purè & simpliciter acceptâsse Constitutionem tanquam scriptam digito Dei vivi, & oraculum Spiritus S. ita ut nemo ex toto, aut ex parte contrarium mussitaverit, nec aut apicem expunxerit, aut expungi ab ullo Catholico posse crediderit*, hæc, inquam, verba perstringebant exclamatione illa Cardinalis Contareni ad suam sententiam inflexâ: *Nonne per Deum immortalem hæc idololatriam sapiunt, per nos, per nos nomen Christi blasphematur inter gentes.*

VI. Si autem benigniorem se volet Febronius præbere Romanis, & tantùm eorum inscitiam reprehendere, quòd præter Gratianum & Isidorum duces nullos in hoc Pontificii Primatûs examine attendere noverint; quòd inter Primatum juris divini & juris Isidorici nesciant διακρίνειν, quòd recentiorum Theologorum & Canonistarum asserta prætensiones credant antiquissimas; quòd jus divinum confundant cum nonnullis opinionibus novis; quòd ex multis singularibus partim veris, partim suppositiitiis per deductas ex principio erroneo consequentias erroneas conflent unum systema monarchicum, & infinitam potestatem adjiciant Rom. Pontifici, ac regimen Ecclesiasticum nesciant *ex & in vero ac genuino suo statu æstimare, & in ordinem consentientem Deóque placitum reponere*; si, inquam, hanc errorum ùt ùt immanium contexturam benignè declaret non malitiæ, sed ignorantiæ peccata fuisse, & adhuc esse, interrogandus est, an ad illa tempora ignorantiæ pertineant etiam duo sæcula Concilio Tridentino posteriora: reponet, omnino & hæc iis accensenda esse, cùm Romani obstinacissimè pergant errare eundem errorem luce nondum supra candelabrum positâ, ut lucere possit omnibus.

VII. At verò difficile erit Febronio aliquam in toto mundo Diœcesim ostendere, in quâ tantundem authoritatis & potestatis post Tridentinum Papa exerceat, quantum proprius Ordinarius. Certè si ullibi terrarum Ordinarius quispiam adeò juris Tridentini vel ignarus, vel incurius existeret, Episcopum se esse non sciret, cùm quæ proprii sunt officii, quòd certè admodum turpe est, ignoraret.

VIII. Quibus verò limitibus Febronianum *ferè tantundem* circumscribatur, qui sint gradus libertatis Papalis post Concilium, ut taxetur tanquam *justo major*, frustra quæretur. Quam Diœcesin credat *alienam esse Rom. Præsuli*, non magis erit expeditum decernere.

IX. Si juris *alti & bassi* discrimen in Dynastiâ Regi subditâ attenditur, authoritas Regis authoritatem Dynastæ aut Toparchæ superat; sed jus, quo hic subditos regit, subest juri Regio, quantum ad communem regni conservationem & salutem publicam. Ut jura illa non comparantur inter se, ita

 jus

jus Rom. Pontificis & jus Episcoporum non admittit comparationem. Dynasta non est vicarius Regis instar Præfecti provinciæ, sed jure subalterno ita subditos gubernat, ut Regi se subjectum agnoscat. Ita Febroni authoritatem Papalem & Episcopalem compone, ut certi sint fines Episcopales,

quos ultra citráque nequit consistere rectum.

X. A particulari jure aut privilegio dicit Febronius universale jus non esse concludendum. Particularis autem privilegii Papalis unicum hîc profert exemplum in jure ad Clericatum, aut sacros Ordines promovendi quorumcunque Episcoporum Diœcesanos. Illud verò negat esse speciale jus aut privilegium Pontificis, cùm & Carthaginensis Episcopus tanquam Africæ Primas idem jus habuerit; ita autem illum aliósque primariarum Sedium Episcopos, ipsúmque Rom. Pontificem hoc jus habuisse, ut eos, quos ordinabant, illis Diœcesibus ministros dare non possent, sed ad suæ tantùm Ecclesiæ ministerium assumere. Insigne hoc *tudo* Febronianum est.

Hallerius de sac. ordinat. sect. 5. C. 4. a. 1. XI. Disciplina Ecclesiæ & praxis non ordinandi alienum adeò est antiqua, ut, cùm ejus initium consignari non possit, ab Apostolicâ traditione derivata intelligatur.

Tournel. de sacr. ord. q. 4. a. 3. XII. Concilium Nicænum I. decrevit, ut *nullus Episcopus alterius parochianum præsumat retinere aut ordinare absque* ejus voluntate, vel judicare; sicut irrita (quoad exercitium) erat ordinatio, ita & dijudicatio.

XIII. Excusabat necessitas, vacante aut persecutionibus oppressâ proprii Episcopi Ecclesiâ. S. Gregorius M. concessit Fortunato, ut Gratianum Diaconum extraneum ordinaret: *Nostrâ*, inquit, *authoritate Ecclesiæ tuæ Deo propitio constituere cardinalem*, seu ad curam animarum incardinare *possis*.

XIV. Excusabat etiam vehemens & importunum plebis desiderium, quo nitebatur ordinatio S. Paulini Barcinone, & ordinatio Piniani Hippone, ut refert S. Augustinus. Ordinati si piæ violentiæ cedendo se non obligabant tali Ecclesiæ, manebant proprio Episcopo subditi.

XV. Extra hos casus proprii Episcopi consensus requirebatur, qualem si S. Epiphanius habuisset, dum Paulinianum S. Hieronymi fratrem ordinavit, inconsulto Hierosolymitano Episcopo; & Alexander Hierosolymitanus, dum Origenem inconsulto Demetrio Alexandrino ordinavit, funestissima illa Episcoporum dissidia suscitata non fuissent. Concilium Tridentinum statuit: *Trid. sess. 23. de Reform. C. 8.* *Unusquisque à proprio Episcopo ordinetur*. Si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei etiam cujusvis generalis aut specialis Rescripti vel privilegii prætextu etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas aut mores Ordinarii testimonio commendentur.

XVI. *Facultates de promovendo à quocunque* non suffragantur, nisi habentibus legitimam causam in literis exprimendam, & tunc non ordinentur, *Sess. 7. de Refor. C. 11.* nisi ab Episcopo in suâ Diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine.

XVII.

XVII. Episcopus non merè titularis, sed habens Clerum & populum potest familiarem extraneum, triennio apud se commorantem ordinare, sed statim beneficium reipsâ ei conferat. *Seff. 23. C. 9.*

XVIII. Sede Episcopali ultra annum vacante S. Synodus Capitulo concedit facultatem dandi dimissorias illis Clericis, qui Beneficii Ecclesiastici recepti vel recipiendi occasione coarctantur, id est, quos beneficium curatum, aut aliud jam antè obtentum, vel tunc obtinendum ad susceptionem majoris Ordinis obligat. *Seff. 7. C. 10.*

XIX. Nec exemptos Regulares à communi hac obligatione eximit Concilium. Mendicantibus à Pio V. concessum privilegium à quocunque Antistite cum Sede Apostolicâ communionem habente sacros Ordines suscipiendi revocavit Gregorius XIII. *Seff. 24. de Refor. C. 11.*

XX. Liquet ex his hallucinatio Febroniana de hac Ecclesiæ Romanæ disciplinâ, & nunquam Episcopo Carthaginensi aut Cpolitano particulare privilegium sacros Ordines extraneis conferendi præ aliis Episcopis concessum fuisse, cùm nec Hierosolymitano nec Alexandrino Patriarchæ id veneranda antiquitas tribuerit, sed manuum impositio propria sit Episcopo proprio, nisi *reverendas*, quas vocant, seu proprio, seu ordinandorum ad hoc movente impedimento, dare voluerit, maneat reservata.

XXI. Romano Pontifici eà olim, & adhuc nunc facultas est, quòd *titulo missionis* Romæ ad sacros majores Ordines assumat alumnos Collegii Germanici, Hibernici, aliorúmque Collegiorum ibi sufficienter probatos & à probitate & bonis moribus ac scientiâ commendatos.

XXII. Etiam ex prosperi Fagnani aliorúmque sententiâ potest à summo Pontifice alius Episcopus ad sacros majores Ordines conferendos delegari, si manifestò constiterit ex nullâ legitimâ causâ Clericum beneficii occasione arctatum à sacrâ Ordinatione repelli. Stephanus Papa Gualberto Patriarchæ mandavit, ut iniquè dilatam Ordinationem Episcopi Cumani ultrà non differat; declarat se *Apostolicâ prærogativâ de quâlibet Ecclesiâ Clericum ordinare posse*, *nolle* tamen *alicujus Ecclesiæ privilegium* infringere, ideo rescribit: *Si toties monitus non maturaveris Ordinationem, procul dubio ad nos veniens consecratus abibit.*

XXIII. Quomodo Episcopus censendus sit *proprius* ratione *Beneficii*, *originis* & *domicilii* ad vitandum fraudes & incommoda, quibus recursus ad plures Episcopos viam aperuit, per Bullam: *Speculatores* Innocentius XII. supremâ authoritate definivit. *Gratian. Caus. IX. C. 20.*

✡ ✡ ✡

§. IV.

§. IV.

Expenditur tertia cautela Febroniana, ne ab excommunicationibus pro jurisdictione Papali formetur argumentum.

1. *De literis formatis seu communicatoriis verba S. Cypriani.*
2. *De iisdem Ss. Optati & Augustini & Synodi Aquileensis testimonium.*
3. *Epistola S. Cyrilli ad S. Cœlestinum de excommunicatione Nestorii probat jurisdictionem Papalem.*
4. *Ursacii & Valentis excommunicatorum supplices literæ ad Julium I. idem probant,*
5. *Et petitio S. Joan. Chrysostomi ad Innocentium I.*
6. *Dissensio inter Theophilum Alexand. & S. Joannem Chrysost. quid vicissim egerint.*
7. *Persecutio Chrysostomi, exilium & revocatio contigerunt non sub Innocentio I. ut vult Febronius, sed sub Anastasio.*
8. *Febronii errores de historiâ Chrysostomi.*
9. *Non petivit Chrysostomus à Venerio & Chromatio, ut facerent se ab exilio liberari.*
10. *Febronii opinio de eo, qui se judicat injustè excommunicatum.*
11. *Febroniano simile judicium Quesnelli & Ultrajectinorum.*
12. *Maximus Salonensis fiduciâ suæ innocentiæ contempsit excommunicationem; sed pœnitentiam egit.*
13. *S. Gregorii sententia de excommunicatione.*
14. *Quid Cardinalis Robanus senserit de propositionibus Quesnelli spectantibus excommunicationem.*
15. *De excommunicatione Episcopali quid sentiat Febronius.*
16. *Quid de hac re doceat Benedictus XIII. in synodo Romanâ.*
17. *Quomodo Superior possit absolvere excommunicatum ab inferiore juxta Decretum Clementis VIII.*
18. *De excommunicatione Marcionis.*
19. *Quid postulaverit Siricius quantùm ad excommunicatos ab Episcopis.*
20. *Quesnelliana propositio de excommunicatione est justè damnata.*

I. Non omittit Febronius celebres illas Ss. Patrum, Cypriani, Optati, & Augustini sententias, quibus antiquo more (per *formatas* seu *communicatorias* literas probandi unionem, seu communionem cum Ecclesiâ Romanâ) testimonium posteris reliquerunt. Cypriani verba sunt: *Scripsisti, ut exemplum earum literarum ad Cornelium* (Papam) *transmitterem, ut sciret te secum, hoc est, cum Catholicâ Ecclesiâ communicare.*

II. S. Optati sunt hæc: *Cum* (Siricio Papâ) *totus orbis beneficio formatarum*

tarum communicat. S. Auguſtinus probat Cæcilianum Catholicum, quia erat Rom. Eccleſiæ & cæteris terris per literas communicatorias conjunctus. Neque omittit illam Synodi Aquilejenſis petitionem ad Auguſtos: *Ne Rom. Eccleſiam turbari ſinant: inde enim in omnes veneranda communionis jura dimanant.* Agnoſcit Rom. Eccleſiam eſſe *centrum unitatis*, *ejúſque Epiſcopum* eſſe *caput cæterorum omnium*, *ut ſchiſmatis tollatur occaſio*; *in eo reliquas Eccleſias uniri*, *& per illud punctum inter ſe communicare.* Si qua Eccleſia aut ejus Epiſcopus perverſum quid doceat, ab Epiſcopo Romano excommunicari. His diſtinctè aſſertis ad communionem Eccleſiaſticam explicandam proponit excommunicationis exempla.

III. Primum eſt, quòd Cyrillus Pontificiâ authoritate præſidens Concilio Epheſino, communi Patrum nomine ſcripſerit Cœleſtino: *Digneris, quid de communione Neſtorii deferendâ ſentias, præſcribere, quò liquidò nobis conſtet, an communicare nos cum illo oporteat, an ei denuntiare, neminem cum eo communicare. Porro tuæ integritatis mens & ſuper hac re ſententia.. Macedoniæ Epiſcopis, nec non totius Orientis Antiſtitibus perſpicuè per literas exponi debet.* His concordi Patrum voluntate ſcriptis à Vicario Apoſtolico literis luculentum agnitæ tunc Pontificiæ juriſdictionis teſtimonium præbetur.

IV. Eandem Sedis Apoſtolicæ authoritatem Urſacius & Valens agnovêre, dum pœnitentiâ ducti Julio Rom. Pontifici libellos obtulerunt, quibus errorem ſuum deprecabantur: *Calumniam, inquiebant, contra Papam Athanaſium ſtruximus: tu verò ad communionem & pœnitentiam nos admitte.* Quis reus magìs apertè ſubjectionem poſſit ſuo judici conteſtari, ejúſque juriſdictionem luculentiùs profiteri?

V. His Febronius tertium addit exemplum S. Joannis Chryſoſtomi ad Innocentium I. confugientis. Rogat Pontificem Romanum Epiſcopus Cpolitanus, ut ſententia contra jus pronuntiata decernatur *invalida ob ordinem juris non ſervatum*, tum *& ob defectum legitimæ poteſtatis*, petítque, ut Papa frui eum concedat ſocietate, quâ fruebatur ante Quercetanæ Synodi judicium. Niſi hæc in Febronii libro legerentur, nemo crederet, hominem ſuis præſenſionibus occupatum eò abripi potuiſſe, ut inde ſtrueret pro ſe argumentum, unde luculenta contra ipſum antiquitatis teſtimonia ſine operoſo ratiocinio facilè deducuntur.

VI. Ad Rom. Epiſcopum Flaviano reconciliandum (promovente Chryſoſtomo) Theophilus Alexandrinus Legatos Acacium Epiſcopum & Iſidorum Romam miſit, quorum legatio, inquit Sozomenus, ex animi ſententiâ ſucceſſit, literis pacificis per eos à Pontifice impetratis. Cùm quædam de eodem Theophilo Alexandrino eſſent delata ad Chryſoſtomum, cenſuit hic eidem hoc eſſe fraternâ communicatione indicandum his verbis: *Eò deſperationis devenêre, ut ſcripto te accuſent, quid tibi videtur? Reſcribe.* Reſpondit iratus Theophilus: *Arbitror equidem non ignorare te Canonum Ni-*

cænorum Decretum, quo ſancitur, ne Epiſcopus litem extra fines ſuos judicet; ſi autem ignoras, diſce, & à libellis adversùs me abſtine. Viciſſim retorto eodem telo Epiſcopi, qui cum Joanne erant, dum urgente Theophilo ad Quercetanam Synodum vocabatur, reſpondent ſe *nolle res Eccleſiæ, nec Canones Nicænos ſubvertere. Extra limites litem judicas. Tu tranſito ad nos in urbem. Habemus adversùm te libellos 70. capitum manifeſta continentes, & plures ſumus, tu 36tus es, nos 40. inter hos 7. Metropolitæ: Habemus etiam literas, quibus mones Joannem, ne accuſationem extra limites admittat.* Joannes ipſe reſcribebat: *Si vultis, ut veniam ad vos, manifeſtos inimicos meos ejicite*, imprimis Theophilum, qui dixit: *Proficiſcor, ut Joannem deponam*, & Acacium, qui dixit: *Ego illi ollam condio.* Addebat Severianum & Antiochum: *Hos*, inquit, *ejicite, & veniam non ſolùm ad vos, ſed & ad quamcunque in orbe Synodum. Scitote, ſi decies millies miſeritis, nihil ampliùs ex me vos audituros.* Cùm venire nollet, condemnant, Imperatori mittitur ſententia depoſitionis, reum dicunt læſæ Majeſtatis præter multa infanda. Arcadii juſſione proſcriptus Chryſoſtomus ob plebis tumultus & terræ motum per literas Eudoxiæ humillimas revocatur.

VII. Acta ſunt hæc, quæ de Synodo Quercetanâ, de exilio, de revocatione dicta jam ſunt, in Cathedrâ Petri ſedente Anaſtaſio.

VIII. Quis ſatìs miretur tot, tantas in hac unâ Chryſoſtomi hiſtoriâ febronianas hallucinationes, improbúmque conatum defendendi paradoxam opinionem de communi Epiſcoporum omnium cum Epiſcopo Romano facultate à communione ſegregandi Epiſcopos nullo ſibi jure ſubjectos? Verba S. Chryſoſtomi: τῶν γραμμάτων τῶν ὑμετέρων δότε ἀπολαύειν συνεχῶς καὶ τῆς ἀγάπης καὶ πάντων τῶν ἄλλων ὥσπερ καὶ ἔμπροσθεν *date frui literis veſtris & charitate, & aliis omnibus, ſicut antea.*

IX. Nihil excelſum illum animum depreſſit, tanquam ſuis calamitatibus inſultans hoc rogat, quod ſalus Eccleſiæ inprimis exigebat: *Studium, quæſo, oſtendite, ut tanta iniquitas, quæ Eccleſias invaſit, reprimatur; ſi licebit cuivis in alias provincias invadere & ejicere*, quos quis voluerit, ſcitote omnia *peſſumdanda.* Eadem hæc à Venerio Mediolanenſi & Chromatio Aquilejenſi petivit, ſatìs ſciens à Cucuſano exilio eorum operâ ſe ſperare libertatem non poſſe, & ſupernis ibi chariſmatibus copiosè recreatus finem peregrinationis exſpectabat, ibidémque conſecutus eſt.

X. Duo Febronius ad mentem, quid de excommunicatione ſentiat, aperiendam addidit, quæ illi utique viſa ſunt præcipuè attendenda; primum eſt: Si Papa excommunicaret injuſtè, & tota Eccleſia, aut major pars judicaret injuſtam, ſchiſmaticus talis non eſſet, ſi retineret animum ſervandæ unitatis cum Pontifice, & ad recuperandam ejus communionem totis viribus allaboraret. Talem animum, tantóſque conatus ſupponit & manſiſſe, & fuiſſe manſuros in S. Cypriano & Africanis, in Firmiliano & Aſiaticis, ideo negat

gat alienos ab Ecclesiâ futuros fuisse, etiamsi eos Rom. Pontifex à communione separâsset; idem de suo animo, & de suis conatibus judicium fuit Quesnelli & Ultrajectinorum, & sub Urbano VIII. ac Innocentio X. Bajanis ac Jansenianis; olim autem non erat sic, neque nunc in Ecclesiâ Dei.

XI. Maximus Salonensis Episcopus apud S. Gregorium accusatus variorum criminum, Romam citatus venire noluit, pergebat fiduciâ conscientiæ suæ celebrare Missarum solennia post Papale interdictum & segregationem à communione. *Joan. Diac. in vitâ S. Greg. L.4.n.13*

XII. Tandem anno septimo Ravennam venit, publicâ in plateâ prostratus tribus horis continuis illud clamitabat: *Peccavi Deo & B. Papæ Gregorio.* Callinicus Exarchus, & Castorius Chartularius Ecclesiæ Romanæ, & Marinianus Episcopus accurrerunt, ab his elevatus pergebat pœnitentiam contestari, præstito coram iis sacramento affirmabat se *imputatâ simoniacâ hæresi non teneri, & de aliis innoxium esse*, sed acceptare pœnitentiam, quòd excommunicatus Missarum solennia facere præsumpserit. Castorius Romam profectus de his Gregorio fidem fecit Mariniani literis & suo testimonio, statímque Pallium Maximo, & literæ pacificæ missæ sunt. An retineatur animus servandæ unitatis, an totis viribus allaboretur, ad judicium excommunicantis pertinet, non ad excommunicati arbitrium.

XIII. *Is, qui sub manu Pastoris est,* ajebat Gregorius, *ligari timeat vel injustè.* Ad propositionem Quesnelli 90nam & seqq. in suâ instructione pastorali explicavit Cardinalis Rohanius, quid filii Ecclesiæ sentire debeant de excommunicatione. *S. Greg. Hom. 26. in Evang.*

XIV. Illud animadverti hic debet, Febronium de injustis excommunicationibus Episcopalibus tum per Synodos, tum extra Synodos in Orientali Ecclesiâ quondam frequentissimis nihil dicere, tantùm de Rom. Pontificis injustitiâ fuisse solicitum; imò de Joannis Chrysostomi excommunicatione, quasi justa fuisset, locutum, tantúmque de restituendâ precum interventu communione Virum sanctum laborâsse.

XV. Alterum est, quod de Episcopali excommunicatione docet, ejus effectum se ad universam Ecclesiam extendere, eo mirabili mentis consilio, ut ostendatur inter Papalem & Episcopalem potestatem nihil interesse.

XVI. Antiquam & præsentis temporis disciplinam Benedictus XIII. his verbis proposuit: *Fideles omnes Ss. Canonum voce admonentur, ut illis non communicent, qui ab Episcopis excommunicantur, & quos isti ejecerint, ipsi non recipiant. Antiquam hanc disciplinam à Regularibus religiosè tenendam mandamus, sanctionibus inhærentes Concilii generalis Viennensis, atque Tridentini Decreto, ubi censuræ & interdicta nedum ab Apostolicâ Sede emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata mandante Episcopo præcipiuntur à Regularibus in eorum Ecclesiis publicari atque servari.* Quod ut Episcopi mutuò inter se observent, magìs convenire declaravit Innocentius III. *Syn. Rom de an. 1725. tit. 31. C.2.* *C. ad reprim. de Offic. Ordin.*

XVII. Quomodo superior possit absolvere ab inferiore excommunicatum, docet

docet ibidem in declaratione ad Decretum Clementis VIII. in appendice dictæ Synodi; quòd si constat de justitiâ censuræ, appellantem esse remittendum ad Judicem à quo, si constet esse injustam, à superiore absolvendum; si dubium sit, honestius esse, ut excommunicatori terminus præfigatur pro absolutione, jure tamen à Superiore absolvi.

XVIII. De Marcione, qui Romam venit Sede Papali vacante, à Presbyteris Romanis repulso, apparebat & justitia sententiæ & petentis mala dispositio. Constabat ab eo Episcopo excommunicatum esse Marcionem, à quo genitus fuit secundùm carnem, & à quo Sacerdotium accepit; nulla injusti odii suspicio, nulla præcipitantiæ præsumptio movere illos poterat, ut faverent Marcioni. Neque post culpam ea Romæ signa pœnitentiæ proferebat, ut ad misericordiam flecterentur, constat eò impietatis illum processisse, ut eum S. Polycarpus, qui Romæ tunc erat, *primogenitum diaboli* salutârit. Quantam gregi fidelium perniciem suis deliramentis intulerit, ex Tertulliano & S. Irenæo discimus. A communione illius omnino abstinere debebat Romanum Presbyterium, ne impiis erroribus aut assensum dare videretur, aut patrocinium; ideo respondet: *Facere istud non licet, una siquidem fides est.* Sancti Pontifices Pius & Anicetus eundem damnârunt. Vide Febroni, quid ab hoc *exemplo*, quod *illustre* vocas, exspectare possis.

XIX. Syricius rectè postulavit, ut sibi nomina mitterentur, ne subreptioni daretur occasio, salvâ tamen facultate super causis cognoscendi. Idem nunc faceret Clemens XIII.

XX. Febronius ad illam Quesnellianam damnatam attendat: *Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis.* Discat non esse opus consensu præsumpto totius Ecclesiæ; necesse non est agere nomine & vice totius Ecclesiæ, sed potestate jurisdictionis & authoritate sacri imperii à Christo sibi datâ utitur Papa, dum excommunicat. Christi authoritate solvit & ligat Episcopus, in cœlo & in terrâ aut solutus, aut ligatus est, quem justè solverit, aut ligaverit Episcopus.

§. V.

Quarta cautela, ne ex juribus Patriarchatûs Occidentalis augeantur jura Primatûs universalis, discutitur.

1. *Febronius format ex Patriarchatu Occidentis argumentum.*
2. *Imputat Canonistis antiquis, & post eos Innocentio III. Rom. Ecclesiam in catalogo Patriarchalium esse expunctam.*
3. *Refutatur authoritate Benedicti XIV.*
4. *Et testimonio Leonis Allatii.*

1. Esse-

5. *Effectus juris Patriarchici ostenditur à Benedicto XIV. per factum Nicolai I. & Gregorii XIII.*
6. *Et recentioribus exemplis sæculi currentis.*
7. *Nicolaus I. inter Patriarchales Romanam ponit primo loco ante Antiochenam & Alexandrinam.*
8. *His additæ sunt Hierosolymit. & Cpolitana.*
9. *Synodi VIII. œcumenicæ, Nicænæ II. Canon de Patriarcharum juribus.*
10. *Febronii confugium ad Canones Trullanos perstringitur.*
11. *Febronius assertum de expuncto Patriarchatu Occidentis non probavit.*
12. *Distinctionem inter* plenitudinem potestatis & partem sollicitudinis *à S. Leone I. factam malè restringit Febronius ad jus Patriarchicum.*

I. Febronius præter jam indicatos fontes errorum, quos se jactitat observâsse, alium cautè obstruendum admonet, unde Romanos dicit sacræ Monarchiæ Papalis argumenta haurire. Papam dicit dictum olim *Patriarcham Occidentis.* Fallitos, qui jura Patriarchica, quæ per Occidentem Rom. Pontifices quondam exercebant, Primatui adscribunt ad Monarchicum œcumenicum principatum stabiliendum.

II. Quanquam Can. 36. Trullanæ Synodi Ecclesia Romana Patriarchalibus adnumerata sit, etiam quinque Patriarchales, nempe Romanam & quatuor cæteras numeret Novella Justiniani, à Canonistis tamen dicit postea expunctum esse Patriarchatum Occidentis, eósque secutum Innocentium III. quatuor solas Orientales expressisse, de Romana autem eundem Pontificem sic loqui: *Disponente Domino super omnes alias Ecclesias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote Mater universorum Christi fidelium & Magistra. Abolito* (pergit Febronius) *tandem & titulo & jure Patriarchatûs Occidentalis facilè, quæ Patriarchalia fuerant, & institutionis humanæ cæperunt, tanquam acta Primatûs, qui juris divini est, reputari.* Inn. III. Decret. C. 23. de Privileg.

III. Commentitia hæc hypothesis per solam Benedicti XIV. authoritatem erroris manifesti convincitur: *Non inde*, inquit, *quòd Rom. Pontifex insitam sibi habeat dignitatem & prærogativam supremi Capitis Ecclesiæ, sequitur, omnia, quæ ab eo fiunt, fieri tanquam à supremo Ecclesiæ Capite, siquidem operari potest, & ipsâ aliquando operatur non tanquam Christi Vicarius, sed Patriarcha Occidentis, illa duntaxat jura exercendo, quæ cæteris Patriarchis competunt; aliquando solùm gerit personam vel Primatis Italiæ vel Metropolitæ Romi provinciæ; quandoque se tantùm exhibet Episcopum urbis Romæ eâ unicè peragendo, quæ cuilibet Episcopo in suâ Diœcesi peragendi jus est; aliquando demum suam supremam explicat dignitatem, & tanquam totius Ecclesiæ Præses, moderator & Princeps illam exercet potestatem & jurisdictionem, quâ nonnisi ut Christi in terris Vicarius potitur.* Benedict. XIV. de Syn. L. 1. C. 1.

IV. Benedictus laudat Leonem Allatium, qui dixit: *Communia omnia habet jum-*

summus Pontifex cum Episcopis ut Episcopus, cum Patriarchis ut Patriarcha, nec plus ipsi in eos facultatis est, quàm cuicumque Episcopo in Episcopos, & Patriarchæ in Patriarchas, uti tamen Christi Vicarius & potestas Apostolica à Christo instituta est, summus Pontifex non tantùm Episcopis & Patriarchis dignior est, sed & in Episcopos & Patriarchas authoritatem habet eos confirmans & promovens, &, si quando opus est, deponens. Declarat hoc per similitudines ex Cardinali Perronio & Sirmondo. Scis Febroni Benedictum XIV. & Allatium, & Perronium, & Sirmondum Innocentio III. esse posteriores, ergo illa Patriarchatûs Occidentalis abolitio, extinctio inanibus tuis commentis, quibus pro tuo more amas Germanos ludificari, & hominibus nescio quibus gratum facere, est accensenda.

Leo. All. de perp. consf. Ecc. Occid. & Orient. L.1. C.8.

V. Hujus juris Patriarchici effectum ex eodem Tractatu Benedicti XIV. discimus. De Nicolao I. refert, quòd Bulgaros à Presbyteris confirmatos jusserit iterum confirmari, quia Bulgaria ad Patriarchatum Occidentalem pertinebat, cujus Presbyteris data non fuit licentia hoc sacramentum Episcoporum ministerio proprium administrandi, seu Græco, seu Latino ritu utantur, sed tantùm Græcis Patriarchatui Alexandrino & Cpolitano subditis. Cùm sub Gregorio XIII. dubitaretur, an Ecclesiæ Hierosolymitanæ hoc privilegium datum fuerit, in Synodo Maronitarum, quos constabat ad Patriarchatum Hierosolymitanum pertinere, concessum fuit à simplici Sacerdote confirmatos denuo confirmari facere per Episcopum.

Benedict. XIV. De Syn. L.7. C.9.

VI. Novissimè in Synodo Nationali coactâ in monte Libano 1736. quam Benedictus XIV. dicit se annò 1741. approbâsse, negata est hæc facultas Presbyteris; contra autem in Synodo Ruthenorum 1720. à summo Pontifice approbatâ definitum est, quòd nefas sit iterari hoc sacramentum à Sacerdote collatum ob dispensationem Sedis Apostolicæ. Stat itaque nostro hoc sæculo illa Patriarchatuum discretio.

VII. Cùm Bulgari comperissent, pluribus Sedibus Episcopalibus titulum Patriarchæ concessum esse, inter alia consulti etiam de hoc titulo mentionem fecerunt. Nicolaus respondit: *Desideratis nosse, quot sint veraciter Patriarchæ. Veraciter illi habendi sunt Patriarchæ, qui Sedes Apostolicas per successiones Pontificum obtinent, seu qui illis præsunt Ecclesiis, quas Apostoli instituisse probantur.* Primo loco ponit Romanam, non connumerat Bituricensem, quanquam ipsemet Nicolaus jam antè huic Ecclesiæ Patriarchicos honores concessisset; non Cpolitanam, quam *favore Principum* dicit Patriarchalibus accessisse; imò nec Hierosolymitanam, quòd urbe, in quâ sedit Jacobus Apostolus, destructâ hoc titulo diu pòst per Nicænam Synodum ejus Ecclesiæ memoria fuerit honorata. Romanæ junguntur Alexandrina & Antiochena, quòd has tres B. Petrus fundaverit, à quo est unitatis sacerdotalis exordium.

VIII. His duæ jam dictæ Hierosolymitana & Cpolitana sunt additæ; mutatus

tatus est ordo; mutati sunt fines; jura etiam variata sunt. Cùm S. Ignatius Patriarcha (juxta Græcorum Episcoporum desiderium & voluntatem Imperatoris) Bulgariam in id usque tempus Rom. Patriarchatui subditam occupâsset, Adrianus Papa vehementer obstitit. Cessit Pontificiis postulatis Ignatius, *absit*, ajebat, *ut ego his præsumptionibus implicer contra decorem Sedis Apostolicæ*.

IX. Synodus VIII. œcumenica Nicænum Canonem de Patriarcharum juribus ita declaravit, ut ad priscam consuetudinem retinendam Patriarcha authoritatem habeat Metropolitas promovendi, ad Synodalem conventum convocandi, etiam coërcendi & corrigendi, si fama super delictis inquirat contra Episcopos.

X. Febronius libenter suos conatus cò convertit, quò systema recentissimum vocabat, urgebâtque authorem res novas moliendi, & Ecclesiam Romanam Catholicam reformandi studiosissimum. Quaquâ fide conquirit, quæ idonea videbantur ad Primatum Pontificium obscurandum, diminuendúmque. Ex Trullanis Canonibus sub Sergio I. collectis, quos nec ipse, nec ejus Successor Joannes VII. frustra urgente Justiniano approbare voluit, profert Canonem 26. verbis Gratiani, quibus Roma vocatur *inferior*, quanquam ante duo ferè sæcula ex antiquis exemplaribus Parisiensis editio correxerit: *Superior Roma*, & in Conciliis Orientalibus vocetur πρεσβυτέρα *senior*, *antiquior*, & ab Eusebio, aliísque Græcis ἀρχαιοτάτη *antiquissima*.

XI. Frustra quæram, quomodo probetur, quòd Innocentius III. Patriarchatum Occidentalem expunxerit post Canonistas anteriores. Si Imperator se dicat Imperatorem, an ideo Comitatûs Tyrolensis titulum expungit? Seu commixtionem Patriarchatûs cum Primatu fingat Febronius, seu Primatum tanquam extincti & mortui Patriarchatûs Occidentalis hæredem factum esse cogitet, quid emolumenti ex eâ vel commixtione vel extinctione accessit Romano Pontifici?

XII. *Extantius unum exemplum* ad Lectores cautè contra errorem præmuniendos protulit: *Distinctio*, inquit, *inter plenitudinem potestatis & partem solicitudinis* à S. Leone restricta ad jus Patriarchicum, per spurias Decretales Isidoricas cœpit applicari Primatui Pontificio, occasionem applicandi fecit commixtio vel extinctio. Lepidæ profectò conjecturæ hoc artificium est. Quis inspectis S. Leonis epistolis & mandatis, quæ Thessalonicensibus Episcopis data sunt tum Rufo, tum ante eum Anastasio; tum & à Siricio aliísque Pontificibus; ad sola Patriarchalia restringat? Verba sunt generatim concepta, neque vel authoritas, vel ratio persuadet Leonem hæc verba solis Patriarchalibus applicuisse. Hoc unicum est, quod ad hanc suam cautelam firmandam protulit, & apertè ostendit hujus cautelæ inanitatem. Quæ jam suprà ex S. Leonis sermonibus & epistolis producta sunt, ostendunt, qualem Pontificiæ potestatis plenitudinem Leo Sedi Apostolicæ adscripserit.

§. VI.

§. VI.

Examinatur cautela quinta Febronii, ne tituli, qui Ecclesiæ Romanæ & summo Pontifici tribuuntur, ducant in errores de Primatu.

1. *Febronius restringit titulos Ecclesiæ Romanæ.*
2. *Aliis Ecclesiis dicit esse commune, quòd sint Apostolicæ.*
3. *Ecclesiam Romanam vocari Matrem, & depositariam Apostolicæ Traditionis, malè explicat Febronius.*
4. *Refutatur ejus dictum, quòd Ecclesia Romana post Isidorum sit corrupta.*
5. *Infertur, quòd nos, qui nunc vivimus, Pontifici, qui nunc vivit, non teneamur obedientiam, & observantiam exhibere.*
6. *Febronius probare non potest, quòd Ecclesia Romana tantùm sit Mater Ecclesiarum Occidentis, & alia, quæ asserit sinè probatione.*
7. *Febronius malè explicat Ecclesiæ titulum:* Apostolica.
8. *Etiam titulum*: Sancta.
9. *Malè arguit judiciam S. Leonis contra S. Hilarium.*
10. *Judicium illud S. Leonis laudat Benedictus XIV.*
11. *Judicii illius justitia defenditur.*
12. *Crisis Febronii de titulo*: Mater & Magistra Ecclesiarum.
13. *Dicit potiùs Hierosolymitanæ, quàm Romanæ eum convenire.*
14. *Argumentum Febronii ab exemplo S. Pauli, & ex epistolâ Innocentii I. refutatur.*
15. *Lateranensi Concilio consonat Tridentinum applicatione tituli*: Mater & Magistra.
16. *Febronii crisis erronea de titulo*: Caput.
17. *Abutitur verbis Sixti III.*
18. *Ejus crisis heteroclita de titulo*: Vicarius Christi.
19. *Quo sensu omnes ministri Sacramentorum sint Vicarii Christi, quo sensu solus Papa.*

I. Ecclesiam Romanam dici *sanctam*, *Apostolicam*, *aliarúmque Ecclesiarum Matrem* & *Magistram* non negat Febronius; hos autem titulos in arctum cogit, ne officiant suo systemati.

II. Ecclesiis, quæ ab Apostolis institutæ sunt, & per quos authenticâ traditione verbum Dei ad alias transiit, dicit esse commune, quòd Apostolicæ dicantur, sed Rom. Sedi magìs proprium, quòd à Principe Apostolorum plantata sit; ideóque maximam semper fuisse hujus depositi, nempe Traditionis rationem in Ecclesiâ Romanâ, & singulare decus ei addidisse Rom. Præsulum sanctitatem, quâ super omnes eminuit.

III. Dicit accedere *Matris* titulum generatione plurimarum Ecclesiarum Occidentis ab Ecclesiâ Romanâ meritò comparatum. Hæc præconia, ne Romanis prosint, suóque systemati obsint, singulari artificio temperat. Hoc antequam expendatur, dicat Febronius, an credat laudatam *depositi rationem* à Christo ad certam periodum sæculorum esse definitam, & à multis jam sæculis desiisse. Si affirmet, judicare debebit eam, quæ nunc est, Rom. Ecclesiam Apostolicam non esse, & ab eâ certiùs, quàm à qualibet aliâ non posse de verbo Dei responderi; negandum erit, non prodesse nobis argumentum Successionis Rom. Pontificum usque ad nos, sicut Irenæus, Optatus & Augustinus & Hieronymus crediderunt successionem illam usque ad sua tempora productam Catholicis validissimum præbere argumentum.

IV. Dicat, an credat post Isidori sæculum adeò corruptam fuisse Ecclesiam Romanam, ut nulli in eâ refulserint Præsules sanctitatis gloriâ insignes, & quæ olim splendore sanctitatis fuit prima, credat jam factam esse postremam? Si negat, sciscitari lubet, quomodo vel unus postremorum sæculorum potuerit inter Rom. Pontifices sanctitatis gloriâ inclarescere, dum communis fuit regiminis forma. Si Curiæ Romanæ vitia omnia imputantur, Curia autem illa & nomine & reipsâ ante septem sæcula initium habuit, dicat, an omnes tot sæculorum Pontifices credat fuisse tam bardos & obtusæ mentis, ut *innocenter delusi* malitiæ & iniquitatis complices non fuerint.

V. Si Religionis intimo sensu monemur, ut obsequio singulari eos prosequamur, qui nos genuerunt in Christo, ideóque Ecclesiæ Matres respectu filiarum sint centrum communionis & unionis Ecclesiasticæ etiam tunc, dum defuncti sunt illi, quorum ductu & magisterio instructi sunt Patres nostri, dicat Febronius, quare nos, qui nunc vivimus in Ecclesiis filiabus, revereri non oporteat & diligere & observare Rom. Pontificem, qui nunc vivit?

VI. Dicat, quare, dum Concilium Lateranense œcumenicum dixit Ecclesiam Romanam universorum Christi fidelium esse Matrem, & super omnes alias ordinariæ potestatis principatum obtinere, quare, inquam, Catholicus nostræ ætatis dicere debeat, reverà non esse Rom. Ecclesiam Matrem, nisi tantùm Ecclesiarum Occidentis. Dicat, quare, dum Concilium Florentinum definivit Rom. Pontificem à Christo accepisse potestatem regendi universam Ecclesiam, & totius Ecclesiæ caput esse, quare, inquam, hunc regendi potestate, quantùm in ipso est, destituat, & universalis Ecclesiæ regimen ei negare audeat. Dicat, quare, si etiam è remotissimis oris æquè ac vicinis Majores seu Archiepiscopi, seu Episcopi, & Minores, seu laici Principes, & alii ad Rom. Ecclesiam confluebant, ut ex ejus tanquam Magistræ sinu seu dogmatum, seu legum haurirent explicationem, si oportet hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, quare, inquam, hac nostrâ ætate fas sit resistere Rom. Pontifici, ejus definita contemnere, calumniis proscindere ejus gubernatio-

nem, eos, qui tranquillè obediunt illius imperio, arguere turpis *assentationis*, fœdæ *ignorantiæ*, & illos ad resistendum concitare. Dicat, cur tot faciat contra unionis, quot facit Ecclesias Matres? An putet opportunum hoc esse medium Orientis & Occidentis Ecclesias in fidei unitate conservandi. Dicat, quare à Clemente XIII. doceri non velit, quem ex Concilii Florentini sententiâ dicere debet omnium Christianorum Patrem & Doctorem? Dicat, quare, si vult conceptis verbis expressam definitionem, an Papa in Ecclesiam universam legitimè congregatam in Concilio generali potestatem habeat, quare, inquam, suum systema antimonarchicum, sacræ jurisdictionis omnino expertem Primatum honoris & ordinis, & æqualitatem inter Pontificem Romanum & Episcopos tentet obtrudere. Denique nobis aperiat, quid per *tenebrosa sæcula*, per *hodiernam rerum lucem* intelligat. An putet, quòd tam *pretiosus jam sit sermo Domini in Israël* novæ legis nostræ, & quidem non uno sæculo, sed multis admodum, ut ipse solus sit *Videns*, & tot millia Catholicorum cis & citra Alpes sedere credat in tenebris, longâ nocte ignorantiæ & caligine ægypticâ circumseptos. Nunc temperamenta videamus, quibus titulorum, quos dixi, fulgorem imminuere nititur.

VII. Primò Ecclesias non unâ ratione dicit vocari Apostolicas; accepisse hunc titulum tres Patriarchales, tum & à Tertulliano illas, quæ ab Ecclesiis per Apostolos conditis hoc acceperunt, ut Ecclesiæ fierent, quod placuit Tertulliano; tum & illas, ad quas Apostoli epistolas scripserunt, quod placuit Augustino; Romanam tamen dicit appellari Apostolicam per excellentiam; & Lectori cautelam hanc imprimit: *Dum de qualitate Sedis agitur, quæ neque sedentem facit infallibilem, neque totius Ecclesiæ Monarcham constituit, abstrahimus hactenus de alterâ dignitate Primatûs, ejúsque juribus, de quibus alibi abunde disseruimus.*. Ecce cautelam, & mirabilem hominis providentiam.

VIII. Secundò per sanctitatem ob suaves ejus illecebras dicit Febronius Pontifices sibi gratiam parâsse apud Augustos, ut Imperiali potestate sustinerent eorum Decreta. Nec probatio defuit; promptè subjungit exemplum S. Leonis Magni.

IX. Ut S. Hilarium decretis premeret, sanctitatis gloriâ à Valentiniano Augusto elicuit edictum Codici Theodosiano insertum. Magis apertè Febronius in Cap. 4. §. 11. ad quem locum hìc provocat, ostendit, quid sentiat de hac *sanctitate Pontificum, quam ansis ampliatæ authoritatis adnumerat*. Leonem proponit illegaliter, incompetenter judicium exercuisse, ex infirmitate plus æquo studuisse suæ Sedis amplitudini, recessisse à Decretis Sardicensibus in causâ S. Hilarii; cùm cerneret se rem novam tentare, Rescriptum ab Imperatore, quem dote sanctitatis quaquaversum inclinare poterat, impetrâsse. Nonne hoc est Leonem facere potiùs hypocritam quàm sanctum credere? Leo arguitur, Hilarius defenditur; Leo suâ authoritate, sinè sufficiente examine festinat ad condemnandum innocentem, & gratiâ apud Cæsarem præconio sancti-

Novel C. de Episc. ord.

sancti-

fanctitatis comparatâ injuftam fententiam injuftè pronuntiatam facit executioni mandari. Hæc idea & crifis eft Jurifconfulti Catholici.

X. Judicii fui æquitatem probavit Leo, ut oftendit Benedictus XIV. Celidonius Epifcopus ab Hilario è Sede fuâ deturbatus erat ob bigamiam, & quòd capitis fententiam in aliquot reos pronuntiâffet, aut manere debebat ad mortem ufque Sede & honore Epifcopali privatus, aut abfolvi debebat fuperiori judicio; abfolutus eft per Leonem, cujus judicium ut interverteret Hilarius, ad urbem profectus facilè obtinuiffet fententiæ confirmationem, fi probâffet probanda. *Manfiffet*, inquit S. Leo, *prolata fententia*, *fi objectorum veritas conftitiffet.* *Benedict. XIV. de Syn. L. 9. Cap. 8.*

XI. Quæ juftior effe poffit ratio retractandi judicii, quâm ut oppreffo innocenti fubveniatur, & quod contra juris ordinem eft definitum, emendetur? Cùm Hilarius jura Primatûs, quem Patroclus deceffor à S. Sede obtinuerat, tanquam Sedi fuæ propria repugnantibus aliis Epifcopis vindicaret, & armati præfidii, ut ait S. Leo, præfumptione fulciretur ad invadendas per tumultum Ecclefias, & novos in iis Epifcopos conftituendos, acriter eundem S. Leo reprehendit, Primatum negat. Projectum Epifcopum, quem Hilarius injuftè propter morbum Epifcopatu privaverat, in Sacerdotio fuo permanere decrevit, & cùm Hilarium fuis decretis non ftatim pariturum videret, Valentiniani Imperatoris authoritatem prudenti œconomiâ adhibebat, citiùs turbas Epifcoporum Gallicanorum finiturus, quàm fi ad excommunicationem Hilarii proceffiffet. Hilarium poftea pœnitentiam in Monafterio Lerinenfi, quoad vixit, peregiffe, fidem facit Benedictus XIV. Claudium Fleurium, quem citat Febronius, refutat Author obfervationum in ejus Hift. Ecclef. *Benedict. XIV. l. 2. c. 41. de Can. Ss. Livre 27 N. IV. V. & VI.*

XII. Titulum *Matris & Magiftræ Ecclefiarum* ita temperat, ut Ecclefia Romana comparetur cum fingulis feorfim fumptis, & ab illâ conditis. Dicit manifeftum effe, quòd propriè non potuerit, nec poffit Ecclefia Romana dici Mater Catholicæ Ecclefiæ. Duo ad cautelam hanc firmandam affumit. Primum eft, quòd eâ authoritate, quâ Chriftus fuit Magifter fidelium, nec Petrus, nec Succeffores dici poffint Magiftri. Hoc verum eft.

XIII. Alterum addit omnino falfum, quòd potiori jure titulus Matris univerfalis Ecclefiæ conveniat Ecclefiis, quæ in Oriente funt, ac inprimis Hierofolymitanæ. Si quidem titulum Patriarchatûs ante Synodum Nicænam Orientales tribuerint Sedi Hierofolymitanæ, quomodo, dum Sedes Hierofolymitana defiit, jam *Mater & Magiftra omnium Ecclefiarum* nuncupetur?

XIV. Pergit Febronius ad eandem cautelam fortiùs urgendam & hoc memorare, quòd Paulus Tito mandaverit, ut *per civitates conftitueret Epifcopos*, & quòd Petrus non inftituerit alias in Oriente Sedes primarias, Ephefinam, Cæfareenfem &c. Quòd Innocentius I. in epiftolâ ad Decentium Eugubinum non nominaverit nifi Italiam, Gallias, Hifpanias, Africam, Siciliam,

Insulásque interjacentes, dum dixit: *Manifestum est, nullum ibi instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus Successores constituerint Sacerdotes.* Nihil hoc ratiocinio Febroniano ineptius, cùm instar cæterorum Apostolorum Paulus legatione functus sit pro Christo, & factus dispensator Mysteriorum Dei; præterquam quòd, ùt suprà jam indicatum est, Paulus, ut Petrum videret, & de rebus ad Ecclesiam spectantibus cum eo conferret, Hierosolymam ascenderit, & ex Christi verbis ad Petrum concludi debeat etiam Cretenses Ecclesias, omnésque Orientales & Occidentales Petro fuisse subditas, quisquis Apostolorum eas primitus instituerit, vel ordinârit. Hanc fuisse Traditionem Patrum, & constantem illam Catholicæ Ecclesiæ sententiam usque ad nos dimanâsse, jam suprà ostensum est.

XV. Sicut verba Concilii Lateranensis sub Innocentio III. celebrati de Ecclesiâ Romanâ universorum Christi fidelium Matre & Magistrâ logicam restrictionem non sustinent, ita neque verba eadem in Concilio Trid. repetita. Ecclesiam Romanam dicunt Patres Concilii aliarum omnium Ecclesiarum *Matrem* & *Magistram*, sicut dixerat Concilium Lateran. Frivola est etiam interpretatio Febroniana verborum S. Cypriani & formulæ professionis Fidei. Centrum aliquod unitatis visibile esse debet his omnibus, qui Ecclesiam Christi visibilem profitentur; visibilis aliqua Ecclesia esse debet Catholicis (de Heterodoxis jam non quæritur) ad quam propter potiorem principalitatem conveniatur à cæteris, ad quam redeant, qui se à corpore illo sejunxerant; Romanam dum dicimus, determinatus locus assignatur, qui per solas voces: *Catholica universalis Ecclesia*, distinctè non intelligeretur.

XVI. Idem de restrictionibus, quas duobus titulis Rom. Pontificis pro cautelâ Febronius adjicit, judicium formare necesse est. Illud inprimis futile omnino est, quod de titulo *Capitis* memorat: *Dantur corpora*, inquit, *Capite superiora, ùt sunt Capitula, Collegia & universitates.* Ostensum est, hoc Ecclesiæ Christi applicabile non esse.

XVII. Ex epistolâ Sixti III. hæc producit verba: *Ut omne corpus capite regitur, ita caput nisi corpore sustentetur, perdit firmitatem.* Quis negat, dum caput intelligitur, intelligi corpus, dum corpus humanum cogitatur integrum perfectúmque, intelligi caput? Quòd membra sustentent caput, & ab eo regantur, subjectionem probat; quòd caput regat membra, ejus ostendit præcellentiam.

XVIII. De titulo *Vicarii Christi* hoc monet pro cautelâ, ne id, quod suâ origine in *reverentiâ filiali, magistrali authoritate, mero Primatu fundatum est*, pertrahatur in imperium sacrum *dominante ignorantiâ & ignaviâ.* Similem dicit Vicariatum reliquis Episcopis convenire, differre tantùm, quòd Papa sit Vicarius primus, & caput ad modum & formam capitis Collegii, aut Capituli; quisquis plus voluerit, ille judice Febronio sub *dominatione* igno-

ignorantiæ & ignaviæ censendus est servitutem servire vilissimam. Ad hanc calumniam depellendam satis multa jam dicta sunt.

XIX. Omnis administratio Sacramentorum facit quemcunque tunc, dum hoc opere sancto defungitur, agere Vices Christi; si judæus, si hæreticus baptizando facere hoc vult, quod Christus voluit, re & facto Vicarius Christi est; at non est ea illius tituli significatio, sed vicaria cura ovium & ovilis, *magistralis autoritas*, omnes, ipsos etiam Episcopos & Primates docendi & reos corrigendi facultas, & *paternitas* filialem reverentiam in his, quæ ad Dei cultum & fidem pertinent etiam à supremis Principibus & Regibus exigens, & *Primatûs* potestas nullâ arbitrariâ Febronianâ restrictione circumscripta faciunt solum Rom. Pontificem esse Vicarium Christi; atque hoc sensu ipse solus est Princeps, seu Monarcha disponente Domino super omnes Ecclesias, ubicunque terrarum sint, ordinariæ potestatis obtinens principatum. Dic Febroni Romanos, & me, & omnes, quotquot ita hunc titulum interpretantur, *ignorantes*, *ignavos*, in tenebris sedentes; calumniatoris titulus solus instar multorum justè rependetur. Quamvis multi in multis *vices Christi agant*, discat non multos, sed unicum dici & esse *Christi vicarium*, sicut Prorex unus est, etsi multi agant pro Rege.

§. VII.

Discutitur cautela sexta Febroniana de Relationibus ad Sedem Apostolicam.

1. *Cautela Febronii de relationibus ad Sedem Apostolicam.*
2. *Dicit, quòd Pontifices induxerint relationes Majorum causarum tanquam necessarias.*
3. *Per ignorantiam & ignaviam passim dicit homines Rom. Pontificibus hac in re obsecutos.*
4. *Dicit ex relationibus ad S. Sedem nihil probari, cùm etiam factæ fuerint ad S. Cyprianum ab Ecclesiâ Romanâ.*
5. *Etiam ad Patriarcham Cpolitanum ex Decreto Theodosii Aug.*
6. *Summi Pontifices Viros doctos & sanctos consuluerunt.*
7. *Aliter superior inferiorem, par parem, aliter inferior superiorem consulit.*
8. *Hincmarus Rhemensis relationes ad Sedem Apostolicam agnoscit esse privilegium Ecclesiæ Romanæ.*
9. *Febronius callidè proponit relationes causarum particularium, quarum decisio non habet vim legis.*
10. *Perperam dicit Febronius his omnibus obedire debere Episcopos.*
11. *Hoc probat historiâ Williberti Colon. Archiep.*
12. *Barthelii Wirceburgensis verba de recursu ad Sedem Apostolicam expenduntur.*
13. *Multiplicatio Decretalium non est culpanda.*

I. Cautelas duas nexu materiæ conjunctas, alteram de titulis jam dictis, alteram de illis, quos Febronius vocat *figuratas & ampullatas Patrum locutiones*, intersecat hæc providè ab eo cogitata cautela de Relationibus graviorum, dubiarúmque causarum. Relationes *de rebus statum universalis Ecclesiæ tangentibus* (ùt sunt dogmata Fidei, præcepta toti Ecclesiæ communia) dicit esse necessarias, sed verisimiliter ansam & occasionem fuisse aliarum Relationum ad Primatum Sedis Apostolicæ non pertinentium, nempe illarum, quæ sunt *de gravioribus & dubiis causis.*

II. Ne per has ullum suo systemati præjudicium fiat, admonet, ut cautè animadvertatur, Pontifices *pro jure* eas postulâsse, & quanquam *jus verum perfectúmque* non haberent, paulatim eas *in necessitatem traxisse.*

III.

III. Cùm Romani huic juri vindicando insisterent, alii seu per ignorantiam, seu ignaviam remissiùs agentes Romanis assentirentur, dicit *consilia* transiisse *in mandata, directorium in imperium.* Consultantibus responsa primum ex omnibus Pontificibus dicit dedisse Innocentium I. Sed mirum est, quòd, quanquam Innocentius tempora ignorantiæ seu sæcula tenebrosa diu præcesserit, ex ipsius tamen verbis ipse Febronius ostendat, Innocentium Sedi Romanæ hanc prærogativam vindicâsse, quòd ad eam de quæstionibus dubiis & majoribus referri debeat tanquam *ad Caput atque apicem Episcopatûs*, ut certum aliquid faciendum Sedes Apostolica consulta pronuntiet. Quòd intra limites meri consilii & directionis non steterint Papalia responsa, sed tanquam vera præcepta potestatem Pontificiam supremam jurisdicundi demonstrent, suprà indicatum est, & pleniùs dicetur, dum de causis majoribus tractabitur.

IV. Ne quid singularis prærogativæ ex Relationibus ejus generis accedat Sedi Apostolicæ, illud etiam sollicitè indicat Febronius, non illuc solùm, sed *& ad alios magnæ authoritatis Episcopos pro accipiendis luminibus & directione sumptos esse recursus.* Relationes tales factas esse ad S. Cyprianum, & ab ipsâmet etiam Ecclesiâ Romanâ Cypriani consilium relatione ad ipsum factâ fuisse rogatum. Si autem Rom. Ecclesia Cyprianum consuluit, ad Cyprianum relationem misit, ex Relationibus necesse est singulare jus in Primatum Pontificium non dimanare.

V. Addit etiàm, Theodosii Imperatoris concessione hoc accepisse Patriarcham Cpolitanum, quod sibi vindicabat Episcopus Romanus: *Si quid dubitatis concesserit, id oporteat non absque scientiâ Viri Reverendissimi sacrosanctæ urbis Cpolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativâ lætatur, conventui sacerdotali, sanctóque judicio reservari.*

VI. Adeò in omnem partem se versat, ut nihil authoritatis ex Relationibus accedat Primatui Pontificio. Constat à summis Pontificibus viros sanctitate & doctrinâ claros super dubiis fuisse consultos: Sic Damasus Hieronymum, Bonifacius Augustinum, Clemens VIII. S. Franciscum Salesium, alii alios consulebant. Nemo ignorat Relationes gravium, dubiarúmque causarum ad Patriarchas & Primates & Metropolitas, & Vicarios Apostolicos constanti more antiquorum temporum fuisse factas, præsertim dum illis dignitatibus & sanctitas, & sapientia, & zelus authoritatem addebant.

VII. Omnino diversa multiplices hos recursus motiva causabant. Ex hoc, quòd superior inferiorem, par parem consuleret, Patriarcharum & Primatum privilegium esse non desiit, quòd ex provinciis ad eos missitatæ sint relationes; ita negari non debet privilegii singularis eminentiam fecisse relationes ex remotissimis provinciis Universi ad Sedem Apostolicam.

VIII. Hincmarus Remensis Nicolao Pontifici scribebat, controversias, quas Nicæna Synodus & Pontificum decreta in provinciis per Synodos terminari voluerunt, ibi esse finiendas: *Absit à nobis*, inquit, *ut privilegium*

primæ

primæ & summæ Sedis S. Romanæ Ecclesiæ Pontificis sic parvi pendamus, ut controversias, quas Nicæni Canones, & Innocentii, aliorúmque Pontificum decreta in Synodis provincialibus præcipiunt terminari, ad vestram summam authoritatem fatigandam ducamus. At si fortè de Episcopis causa nata fuerit, unde certa & expressa in sacris regulis non habeamus judicia, & ob id in provinciali nequeat examine definiri, ad divinum oraculum, id est, Apostolicam Sedem nobis inde est recurrendum. Si etiam de majoribus causis à provinciali Episcopo ad electorum judicium non fuerit provocatum (sicut tunc ad electos Judices Rothadus provocaverat) *& judicatus fuerit Episcopus, & putat se bonam causam habere, & confugerit ad judicium Rom. Ecclesiæ, si justum putaverit ad summi Pontificis dispositionem, secundùm septimum Sardicensis Concilii Capitulum renovabitur examen.* Sic Hincmarus, cui, sicut notam assentationis vel ipse Fehronius non impinget, ita neque ignorantiam aut ignaviam imputabit.

IX. Dum de causis dubiis majoribus tractare instituit, callidè ad eas omnes deflectit, quæ à Dionysio exiguo, aliisque Collectoribus Pontificiorum Rescriptorum congestæ sunt, quarum permultæ particularium causas particulares Pontificiis Rescriptis definitas concernunt. His publicam legis universalis rationem nec primi dederunt Authores, nec illi etiam Pontifices, qui illis Collectionibus titulum *Codicis Canonum* tribuerunt, neque Raymundus Collector, sed Gregorius.

X. Lepidè iterum ad nescio quod jus Isidorianum delabitur suo more Febronius, tunc aliam rerum faciem fingit inductam, tunc impositam Episcopis necessitatem se Decretalibus confirmandi; cujuscunque argumenti, cujuscunque sint Collectoris, Febronii nihil refert, fixum decretúmque est, omnibus omnes Episcopos parere debuisse.

XI. Probatio statim est in promptu: Willibertus Colon. Archiepiscopus Pallium non accipit, quia mentionem non fecit Decretalium. Inspiciamus historiam. Guntharius Archiepiscopus ob sororem Waldradam in causâ Lotharii, non canonicè, protectam, secutámque pertinaciam exauctoratur, Sacerdotii honore & titulo exuitur; Hilduinum fratrem Gunthari in ejus locum destinat Hadrianus Pontifex. Cùm sexennio toto vacua esset Sedes Coloniensis, rerum summâ potitus Ludovicus, eligi facit wilibertum, S. Sede non consultâ. Luidbertus Moguntinus eum consecrat, & in Coloniensi Cathedrâ Clero populóque probante collocat. Indignè tulit factum præfestinatum Hadrianus, negat se electionem ratam habiturum, nisi Romæ se stiterit Willibertus. Triennio toto tranquillè cathedram tenet, antequam è vivis excederet Hadrianus, Synodo Coloniæ sub Hadriano II. habitâ, cui Moguntinus & Trevirensis interfuère, pastoralem zelum probavit, & inter illustriores Ecclesiæ nostræ Præsules suo merito est connumerandus.

XII.

XII. Quæ sit celeberrimi Franconibus Barthelii sententia de raritate Recursuum ad Pontificem usque ad medium Sæculum XII. & quo idoneo argumento hoc assertum fulciatur, viderit Febronius. Quærat & ostendat Decretalem, quâ Innocentius III. aut quâ Alexander III. se dixit Canonum Dominum; jam de hac re in Dissertatione prodromâ memini. Viderit Febronius, quomodo probari possit non alias ab his Pontificibus dispensationes, quàm in pœnâ trangressori Canonis infligendâ esse concessas.

XIII. Ostendat sex compilationes recentium Rescriptorum ad ea tempora pertinentium, quæ à medio Sæculo XII. ad annum XXX. sequentis fluxerunt. Quis bonus vitio vertat immortalis memoriæ Benedicto XIV. quòd sub ejus Pontificatu tam grande Bullario incrementum accesserit? Quis justitiæ cultor illos Pontifices carpat, per quos ad particulares Ecclesias, Monasteria, Prælatos, Abbates, Abbatissas, Canonicos paternâ & verè mirabili omnibus sæculis commendandâ facilitate missæ sunt illæ epistolæ, quas Decretales dicimus. Si pulcro titulo antiqui Pontifices *Canonum custodes*, *vindices & executores* appellitabantur, imò se ipsimet pro suo merito sinè læsione modestiæ hoc titulo nominabant, vitio non dabitur Pontificibus posteriorum temporum, quòd in Academiis Canonum illorum scientiam authenticâ collectione methodicâ promoverint. Tunc utiliter custodiuntur Canones & vindicantur, dum juvenes eorum academicâ explicatione imbuti munia sacra pro dignitate aliquando gerenda discunt. Codicis Legum, & Collectionis Canonum par causa est; vel utrique parcatur, vel neutri.

XIV. Quod de primo usu illius vocis: *Curia* Febronius ex Barthelianis annotationibus addidit, non meretur examen, cùm certum sit, neque Gregorii IX. ætate, neque hac nostrâ *Ecclesiam* cœpisse *Curiam* vocari. Ducangius consulatur, quæ illius vocis olim significatio fuerit.

XV. Certè nunc inter Ecclesiam Coloniensem, & Curiam Archiepiscopalem docti indoctique distinguunt, idem faciunt Moguntini & Trevirenses. Statuta Synodalia Majores nostri nunquam dixerunt *Curialia definita*. Patres Florentini, Tridentini, aliorúmque, quotquot à Gregorio IX. imò & à duobus *Canonum Dominis* usque ad nos, Conciliorum nunquam hanc ridendam commixtionem earum vocum fecerunt.

XVI. Sed, inquiet Febronius, saltem tunc præter vocem: *Ecclesia Romana*, etiam cœpit usus ejus vocis: *Curia Romana*. S. Chrysostomus, aliique Asiatici Sedem Episcopalem vocaverunt *Thronum*, vocem hanc invidiosam ævum nostrum non sustinet. Locum, ubi de rebus Ecclesias, & personas Ecclesiasticas concernentibus judicium exercetur, *tribunal* jam appellamus: ejus vocis usum exprobrabat Paulo Samosateno Synodus Antiochena. Scit Febronius in Germanicis Diœcesibus non improbari distinctionem inter *Ecclesiam* & *Curiam*; quid peccati ergo peccant Romani, dum distinctas notiones

tiones distinctis vocibus exprimunt? Hoc certum, nec Romæ, nec Coloniæ, nec alibi in Germaniâ Ecclesiam dici cœpisse Curiam.

XVII. Nec minùs lepida est antithesis Febroniana inter Justinianum, quem relationes dicit inhibuisse, & Rom. Pontifices à *Canonum Dominis* Alexandro III. & Innocentio III. quòd usque ad hæc tempora in rem suam *contrariâ politicâ sint usi*, dum laudârunt Referentes; *motiva ex ratione status* dicit hunc morem induxisse, & confirmâsse, cùm libenter ad Papam recurrant, qui jugum severioris disciplinæ pati indociles, ut liberiùs genio suo indulgeant, amant liberari à lege.

Claud. Fl. Inst. Jur Eccles. p. 1. C. 1. n. 17. XVIII. Iniquissimum hoc improbis conjecturis innixum judicium nititur probare tanquam irrefragabili & nunquam dubitandæ veritatis testimonio Claudii Fleurii; hujus hæc verba recitat: *Pontificum potentia nullâ re magis censeri posse videbatur, quàm si dispensationes à Canonum observantiâ in infinitum extenderentur.*

XIX. Febronium Jurisconsultum latere non potest, in Decretalibus Gregorii, aliisque postea collectis infinitum illum numerum dispensationum non tantùm non reperiri, sed paucissimas, eásque tales, ut paternâ Pontificum benignitate illas concedi necessum fuerit. Ipse Daniel Gruberus Lutheranus pro commentario dicti asserti Fleuriani unicum ostendit exemplum in redemptione voti ultramarini; hoc, inquit, redimere cogebantur hi, quos Papa dispensabat, sed solutâ *eleemosynâ*, & hac voce Pontifices uti voluisse, ne si *pretium* dixissent, *simoniam committere viderentur*. Censuræ illius iniquitatem ostendunt Decretales *de Voto & Voti redempt.*

XX. *Juxta consilium nostrum*, dicit Alexander III. *toto vitæ suæ tempore uni pauperum Christi, modò ad hoc suæ facultates sufficiant, debeat providere. Laborem*, ait, *laboribus recompenses solicitiùs instando vigiliis, devotiùs vacans orationibus & in jejuniis fortiùs te exercens.* Causam, quare tota obligatio remitti non debeat, Pontifex divino ex mandato: *Vovete Domino & reddite*, assumpsit. *Primum* dicit *ad consilium referri, secundùm ad imperium.*

XXI. Iniquior autem Grubero est Febronius cum Fleurio, quòd Lectoribus non speciatim de redemptione voti ultramarini mentionem faciat, ut immensam licentiam infinitarum dispensationum sanctissimis illorum temporum Pontificibus affingat.

XXII. Rigidam admodum in matrimonialibus impedimentis eorum temporum fuisse disciplinam; severa non pauca Pontificum rescripta quorumdam Episcoporum & Prælatorum ambitioni obstitisse; combinationes Beneficiorum deficiente gravi causâ fuisse tunc execrabiles; Electionibus, Postulationibus strictos limites esse positos, nemo Juriscandidatus, qui Decretales vidit, ignorat. Dispensationem prolis ex adulterio natæ super defectu natalium negavit Innocentius III. viro nobili. *Id potest*, inquit, *in patrimonio* *Inn. III. C. per Venerab. Qui fil. sint leg.*

B. Pe-

B. Petri liberè facere Sedes Apostolicâ, in quo & summi Pontificis authoritatem exercet, & summi Principis exequitur potestatem. Canone vetante tales ad sacros ordines promoveri, sæcularibus quoque legibus eos repellentibus à successione paternâ... Petitioni tuæ non duximus annuendum. Alexander III. rescripsit Episcopo Ambianensi: *Tui officii interest matrimonia illa* (de quibus ibi quæstio) *adhibitâ gravitate dissolvere, quæ illicitè contracta noscuntur.* *Alex. III. C. Porro de Comite de divort*

XXIII. Lucius III. à quodam, qui ad regimen Ecclesiæ de voluntate majoris partis electus consensit, ut per amicum uni ex paucis contradicentibus certum aliquid solveretur, consultus, quid sibi faciendum, respondit: *Multùm tibi consulis, si administrationem celeriter ac sponte dimittas illius verbi memor: nihil prodest homini, si universum mundum lucretur*, &c. *Luc. III. C. Mathæus de Simon.*

XXIV. Benedictus XIV. postquam dixerat, quòd Christianus Lupus Doctor Lovaniensis Ecclesiæ Romanæ severitatem summis laudibus extollat, quòd neminem Simoniæ vinculo dissolvat, nisi se beneficio priùs abdicaverit, inquit: *Nos verò tutiùs id affirmare possumus, qui per plures annos in eo Tribunali Canonistæ munus sustinuimus.*. Dicit Simoniaco responderi: *Dimittat. Moneat. Restituat.* Primum est de beneficio, alterum de pretio pauperibus vel Ecclesiæ dando, tertium de fructibus perceptis. *Benedict. XIV. Inst. Eccl. C. 12.*

XXV. Fatetur à Cœlestini III. rigore (qui electionem ob simoniam, etsi electus conscius non fuerit, reprobavit) per dispensationem nunc recedi, *dummodo ante possessionem nullo modo conscius fuerit simoniæ.*

XXVI. Vide Febroni, an ulla possit esse messis abundantior ex dispensationibus fructum colligendi, quàm in matrimonialibus & beneficiariis? Hæc aliáque Decretalibus inserta Rescripta si consideraveris, pudebit calumniarum.

XXVII. Illud Jurisconsulto indecorum est, quòd, cùm ex prope ter mille Decretalibus Gregorii IX. duas his verbis inchoatas: *Gratum gerimus*, & quatuor habentes hæc initialia: *Quod in dubiis*, reperisset, argumentum duxerit ad conflandum Pontifici Romano invidiam, seu veriùs ignominiam, quòd *perversâ politicâ*, aut *vitiosâ ratione status* relationes captet, maximè *eorum, qui amant legum vinculo exsolvi.* Inspicienda erant illarum sex Decretalium argumenta, ut doceretur futilem se moliri machinationem.

XXVIII. Attendi debebat Innocentii I. responsum ad Africanos. Scripserant Patres Milevitani: *Nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesiâ suggerenda sunt, tacuerimus, quàm ea tu possis vel fastidiosè, vel negligenter accipere. Magnis periculis infirmorum membrorum pastoralem diligentiam, quæsumus, adhibere digneris.* Innocentius respondet: *Diligenter & congruè Apostolico consulitis honori; honori, inquam, illius, quem præter illa, quæ sunt extrinsecus, solicitudo manet omnium Ecclesiarum super anxiis rebus, quæ sit tenenda sententia, antiquæ scili-*

cet regulæ formam secuti, quàm toto semper ab orbe mecum nôstis esse servatam.

S. Greg. ep. 22. L. 7. XXIX. S. Gregorius M. scripsit Cypriano Diacono: *Novit dilectio tua hoc olim consuetudinem tenuisse, ut Coepiscopi fratres nostri semel in triennio Romam de Siciliâ convenirent; sed nos eorum labori consulentes constituisse, ut suam huc semel in quinquennio præsentiam exhiberent.* Sic in illâ luce puriorum temporum sentiebant, agebántque sancti Pontifices. Sic ad morem antiquum provocabatur.

XXX. Illud etiam hìc omittere non possum, quòd ex Gruberi commentario placuerit Febronio hæc verba describere: *Eâ modestiâ adhuc utebantur Pontifices, ut tantùm DE JURE CONSTITUTO pronuntiarent, vel quærentibus responderent.* Scivit Febronius, in multis Decretalibus Pontifices cum imperio loqui & jurisdicundi potestatem exercuisse verbis legislatori congruis. Scivit ea, quæ ad particulares consultantes in causis particularibus data fuerant responsa, & cùm primùm rescriberentur, jus commune non faciebant, à Gregorio IX. vim & authoritatem juris communis accepisse.

XXXI. Postremò addit monitum, ut destruatur vesana illorum securitas, qui sub scuto dispensationum, indulgentiarum, exemptionum se putant immunes à regulis disciplinæ & morum, & qui in immensum extollunt potestatem Rom. Pontificis eo potissimùm fine, ut in illâ præsidium inveniant contra conscientiæ, sæculi cupiditatibus seductæ, remorsus. Scire debebat Febronius, quid summi Pontifices, quid S. Bernardus, quid omnes Deum timentes doceant, sentiant, faciant; quid Catholica Theologia, quid sana ratio dictet de usu & abusu, de mendacibus precatoribus, de invalido fraudis patrocinio. S. Pii v. exemplum à Benedicto XIV. in l. 13. de Syn. laudatum consideret.

§. VIII.

Expenditur septima cautela Febronii, ne potestas Pontificia extendatur per elocutiones, ùt dicit, figuratas aut ampullatas Ss. Patrum.

1. *Febronius dicit* ampullatas elocutiones *Ss. Patrum causâsse extensionem Pontificiæ potestatis.*
2. *Verba Græcorum in Conc. Florent. minùs rectè applicat.*
3. *Dicit recentiores Pontifices abuti verbis*: Tu es Petrus. Confirma fratres.
4. *Pamelium carpit, quòd crediderit excessivam potestatem Pontificis ob verba*: Super hanc petram &c.
5. *Proponit iterum verba S. Hieronymi de communione cum Ecclesiâ Romanâ, quæ dicit* utcunque turgida.
6. *Dicit neminem tutiùs, quàm Rom. Pontificem consuli potuisse.*

7. *Ni-*

7. *Nihilominus negat judicium Pontificis esse ineluctabile, & quòd verè tutos nos faciat.*
8. *Proponit verba S. Augustini pro se, sed reipsa contra se.*
9. *Verba:* Romæ Rescripta venerunt, causa finita est, *malè explicat.*
10. *Cardinalis Orsus à Febronio malè impugnatur.*
11. *Sozomeni verba ab eo allegata expenduntur.*
12. *Ea malè explicat Febronius.*
13. *Innocentii I. Judicium de Pelagio finivit causam, licèt secuta sit Synodus Ephesina.*
14. *Dictum S. Augustini:* restabat plenarium Concilium, *expenditur.*
15. *S. Augustinus premit Donatistas per argumentum* ad hominem.
16. *Ostenditur S. Augustini locutiones in his à Febronio productis non esse* ampullatas.
17. *Martini Gerberti Benedictini Germani de sententiâ S. Augustini judicium.*
18. *Verba S. Bernardi defenduntur.*
19. *De S. Bernardo Febronii asserta contradictoria.*
20. *Verba S. Gelasii Febronius admittit* suo modo *esse vera.*
21. *Eadem verba à Nicolao prolata respuit tanquam ex Isidoricis Decretalibus.*

I. Novum titulum extendendæ Pontificiæ potestatis dicit Febronius à Romanis repertum in *amplissimis verbis*, quæ Patres & Scriptores Ecclesiastici, ipsi etiam Rom. Pontifices loquebantur olim & scribebant præsertim *in æstu concertationis*. Hæc verba vocat *figuratas & ampullatas elocutiones*; eo utique sensu, sicut dicit Poëta ad corda querelis movenda, tumidis & turgentibus verbis quosdam uti:

Projicit ampullas & sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querelâ.

Ne quid argumenti ex his elici possit, dicit hæc *generaliùs* esse dicta *sinè respectu ad determinata jura Primatûs.*

II. Applicat etiam hoc, quòd in Concilio Florentino Græcos Patres Romanis antiquorum Ss. Patrum elogia opponentibus dicit replicnisse: *Quæ honoris causâ dicta sunt, in consequentiam trahi non debent.* Id inprimis vehementer optaverim, ut eos ipsos Græcos Patres, qui Ferrariæ & Florentiæ cum Latinis concertabant, &, quod Acta Concilii testantur, æstu concertationis per concordiam extincto in eandem cum Latinis eodem in Concilio sententiam convenêre, imitatus esset, aut nunc tandem imitaretur; & verba ad modestiam, ac reverentiam debitam componeret. Nunc *ampullas* inspiciamus.

III. Incipit Febronius à Decreto Gratiani, & recentioribus Pontificibus.

 Hos

Hos dicit abuti verbis Christi: *Tu es Petrus. Pasce agnos. Pasce oves. Pro te rogavi Petre.*

IV. Transit ad Jacobum Pamelium Bibliothecarium Regis Galliæ; hunc frustra doctissimum censorio decreto refert ad Cæritum tabulas, quòd excessivam potestatem Pontificis malè crediderit, & ex falsis Decretalibus primorum Pontificum probaverit, scripseritque: *Hi ferè omnes suam sententiam confirmant verbis: super hanc Petram* &c. Decernit hos sacros textus planè extraneos esse ad evincendum id, pro quo allegantur, dicit patere hoc ex iis, quæ in Cap. 1. ex libris Ss. Patrum produxit, ubi proprium eorum verborum sensum ex P.P. se credit demonstrâsse.

V. Proponit iterum verba S. Hieronymi ad Damasum: *Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Arcâ Noë non fuerit, peribit. Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum* (de quibus tunc incertum erat, cuinam orthodoxia, & communio ecclesiastica adjudicanda esset, etiam cum hæreseos imputatione, disceptantibus Episcopis, quid ὁμοούσιος, quid ὑπόστασις significet) *quicunque tecum non colligit, spargit; qui Christi non est, Antichristi est.* Hæc verba dum Febronius vocat *utcunque turgida*, tamen dicit in conflictu ac schismate Orientalium sapienter dixisse Hieronymum: *Cathedræ Petri consocior.*

VI. Dicit *alium tutiùs tunc consuli non potuisse*, quàm Rom. Pontificem, præsertim cùm totum Occidentem, Ægyptúmque sciret *cum eo conspirare.*

VII. Velit, nolit Febronius, fatetur, non alibi, quàm Romæ securitatem esse quærendam, & hoc rectè sensisse Hieronymum, sic tamen, ut neget *judicium ineluctabile* Romani Pontificis, & quanquam *tutiùs consulatur, quàm quisquis alius*, non tamen tutò, & sinè metu erroris.

VIII. Addit verba S. Augustini: *Cæsaream nos injuncta nobis à venerabili Papâ Zosimo Apostolicæ Sedis Episcopo Ecclesiastica necessitas traxerat;* & quòd scripserit: *In Rom. Ecclesiâ semper Apostolicæ Cathedræ viguisse Principatum.* Si Cathedræ principatus est Romæ, & Zosimi mandato obedire debebant Augustinus, aliique Episcopi; velit, nolit Febronius, fateri debet sacrum imperium summi Pontificis agnovisse Augustinum, quod etiam à Febronio producta, quæ ad Innocentium I. scripsit, hæc verba confirmant: *Utrum noster rivulus, licèt exiguus ex eodem, quo tuus abundans capite fluentorum emanet, hoc à te probari volumus.* Id est: Scire cupimus, an approbes, quæ nos Africani docemus, tanquam vera & pura, sicut sunt tua.

IX. Verba ejusdem S. Doctoris: *Roma Rescripta venerunt, causa finita est,* Febronio non placent, negat *effectivè & plenè* causam solo Pontificis responso fuisse terminatam, cùm postea in Africâ celebrata fuerint Concilia, & denique Ephesina generalis Synodus damnationem Pelagianorum conclamaverit. Dicit Febronius tantùm ita visum fuisse Augustino; en Febronii verba:

ba: *In exspectatione* S. Augustini *causa finita erat ex eâ decisivâ ratione, quia Papa responderat. At quia idipsum, quod Augustino, non omnibus visum est, sic eadem causa hoc solo Pontificis responso effectivè & plenè necdum terminata est.*

X. *Verba illa Augustini adeò*, inquit, *sunt ad gustum Cardinalis Orsi & sociorum ejus, ut ex illis universalem regulam pro quibusvis causis per Rom. Pontifices decisis desumant.* Dicit hos cohærenter non loqui, dum de Melchiadis Papæ judicio querelam facientibus Donatistis datum est à S. Augustino responsum: *Restabat adhuc plenarium Ecclesiæ concilium*, quæ verba Orsus & socii ad casum particularem dicunt pertinere, ex anterioribus autem regulam generalem eliciunt: *Omnes causæ per Rescriptum Papale pro finitis habeantur.*

XI. Hoc paradoxon confirmat Sozomeni testimonio de errore Orientalium Divinitatem Spiritûs S. negantium. Dicit Sozomenus, Episcopum Romanum scripsisse ad Ecclesias Orientis, ut Occidentalibus consentirent; *controversiâ judicio Rom. Ecclesiæ terminatâ, singuli* (inquit Sozomenus) *quievêre, eâque quæstio finem tandem accepisse videbatur.*

XII. Videbatur quidem, inquit Febronius, verùm defuit huic quieti sua stabilitas, unius Rom. Pontificis judicio minùs sufficienti dicit accedere debuisse plenarii Concili Cpolitani authoritatem. Quod ad tempus tunc præsens pertinebat; afferit Historicus, nempe: *Episcopus Rom. ad Ecclesias Orientis scripsit literas. Judicio Rom. Ecclesiæ terminata est controversia. Quieverunt singuli*, qui antè fluctuaverant, & quæstionis decisionem certam attenderant. Quod verò ad futurum tempus spectabat, Historici non erat eâdem certâ affirmatione asserere, sed quid conjectaret ac ominaretur, prudenter significabat. Sic idem Historicus extincto Juliano Apostatâ, & in thronum evecto Joviano scripsit *quievisse Ecclesias, persecutionem terminatam, latriam restitutam*: at quid post Joviani mortem eventurum esset, eâdem securitate affirmari tunc non poterat. Judicium Rom. Episcopi terminare non potuit controversiam, quasi nunquam, & nullibi renascituram, Joviani judicium non potuit persecutionis furorem terminare, quasi nunquam & nullibi denuo suscitandum; uterque sui temporis mala finivit; sed neuter potuit improbis machinationibus perpetuum repagulum opponere. Imò neque potuit quies per Synodum Cpolitanam, minùs autem (quod pro arbitrio fingit Febronius) *quietis stabilitas restitui.* Idem Sozomenus testatur Episcopos Macedonianos, ne symbolo, quod explicatiùs condendum erat, subscribere cogerentur, ex Concilio, & ex urbe discessisse.

XIII. Eadem est, imò & multo magìs luculenta Febronii temeritas, quâ ut Innocentii judicium de Pelagio infirmet, & *causam* tunc *finitam non fuisse plenè, effectivè* (phrasis Febroniana est) ex diu post secutâ Concilii generalis Ephesini definitione probare nititur. Julianus suo suorúmque nomine à supremo judicio Rom. Pontificis ad futurum generale Concilium appellavit, pla-

plaçere tibi hoc debet Febroni, an ideo necesse erat finiri causam per Concilium generale? Minimè id Catholico cum Ecclesiâ Romanâ communionem habenti, id est, orthodoxo fas est judicare, sed Anticonstitutionistis ea libertas utcunque est permittenda, cùm *exierint ex nobis, sed non sint ex nobis.* At, inquies, Ephesina Synodus de Pelagio judicavit. Verum est, sed non quasi jam prima certa definitio tunc exspectaretur. Perlectis commentariis Actorum in depositione Pelagii, Cœlestii *eadem,* inquiunt Patres in Synodicâ ad Rom. Pontificem, *quæ à pietate tuâ de ipsis decreta & constituta sunt, judicavimus & nos ea solidâ firmâque debere permanere, & idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis habentes.* Analogum est Judicium Leonis X. & Patrum Tridentinorum de Luthero. Causam fidei certo judicio Papali fuisse finitam non affectivè tantùm seu in exspectatione S. Augustini ita opinantis, sed effectivè & plenè, rectè censuit Cardinalis Orsus, & ex iis S. Augustini verbis rectè cum aliis orthodoxis colligit universalem regulam pro quibuscunque causis fidei & disciplinæ universalis.

XIV. Neque ea laudati Cardinalis & communis Romano-Catholicorum sententia convellitur per S. Augustini verba: *Restabat adhuc plenarium Ecclesiæ Concilium.* Ut nec S. Augustinus contradixisse sibi videatur, nec Orsus Cardinalis censeatur non cohærenter loqui, inspicienda est contextura epistolæ S. Augustini, in quâ ea verba continentur. *Si qua,* inquit, *adversùs primam Sedem seditio nasceretur, meliùs esse à talibus, qui inquieta & impacata moliuntur, quàm à communione totius orbis dissentiri.* Donatistas dicit minimè culpandos, quòd terrenum Regem suæ causæ judicem esse voluerint. Ostendit Melchiadi (seu Miltiadi) Rom. Ecclesiæ Episcopo conveniens fuisse sibi sumere judicium, eóque minùs usurpatorem judicii censeri posse, cùm Imperator miserit Episcopos, qui cum Melchiade statuerent, quod justum.

S. Aug. ep. 162.

XV. S. Aug. laudat judicium Pontificis tanquam *ultimam sententiam, innocentem, integram, providam atque pacificam.* Laudat Melchiadem tanquam *Virum optimum, filium christianæ pacis;* tum ita procedit per *argumentum* quasi *ad hominem,* ut Logici loquuntur: *Ecce putemus Episcopos, qui Romæ judicaverant, non bonos judices fuisse, restabat adhuc Ecclesiæ universæ Concilium.* Arguit Donatistas, quòd tantæ authoritatis judices ausi fuerint accusare apud Imperatorem, & subjungit: *Dedit aliud Arelatense judicium aliorum Episcoporum, non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere. Neque enim ausus est Christianus Imperator eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, ut de judicio Episcoporum, qui Romæ sederant, ipse judicaret: Sed alios Episcopos dedit, à quibus tamen rursum ad ipsum Imperatorem provocare maluerunt. Atque utinam saltem ipsius judicio insanissimis animositatibus suis finem posuissent, atque ut eis ipse cessit, ut post Episcopos de illâ causâ judicaret, sic & illi aliquando*

cede-

cederent veritati. Ecce Feброni, restabat Concilium, restabat judicium Imperatoris, sententiam dixit Melchiades. Imperatore urgente sententiam, dixerunt Arelatenses. manentibus in pertinaciâ suâ Donatistis, postea judicium exercuit Imperator. Vide Febroni, an tibi expediat, ex hac S. Augustini epistolâ sumere argumentum ad asserendum Imperatori authoritatem post qualiacunque Ecclesiæ judicia causam fidei *plenè*, ùt dicis, *& effectivè* finiendi? At ne tunc quidem, dum judicium exercuit Imperator, Donatistas quievisse constat.

XVI. Quid verò in his, quæ ex S. Augustini libris hoc loco producta sunt, quid, inquam, in his *ampullarum* est? Quid elocutionis figuratæ? Quid periculi, à quo Lectores sibi cavere discant monitore Febronio? Quâ authoritate, aut quo ratiocinio docendi sunt illam distinctionem inter causam fidei *finitam effectivè & plenè*, & causam *finitam in exspectatione S. Augustini*?

XVII. Si causam Pelagianorum plenè & effectivè nondum finitam censuisset S. Augustinus, sed finiendam exspectâsset alio judicio ineluctabili per consensionem unanimem Ecclesiæ, rectè ratiocinatur Martinus Gerbertus Benedictinus Germanus, jure post Synodos particulares & Pontificis judicium, ac damnationem postulâssent Pelagiani, ne hæretici ipsi, aut eorum dogmata doctrina hæretica dicerentur, donec de totius Ecclesiæ per Concilium œcumenicum consensu constaret, uti hodie postulant, qui Episcoporum acceptationem expressam ad Bullæ *Unigenitus* receptionem præstolantur, nec S. Augustinus dicere potuisset causam finitam esse, ut nullo ampliùs examine opus esset. *Quid adhuc quæris examen* (scribit Juliano S. Augustinus) *quod apud Apostolicam Sedem jam factum est? Quod denique jam factum est in judicio Episcopali Palæstino; ergo hæresis ab Episcopis adhuc non examinanda, sed coërcenda Potestatibus christianis.* Pergit Gerbertus: Meminit S. Augustinus unius particularis Synodi & Rom. Sedis; non ab universâ Ecclesiâ, seu dispersâ seu congregatâ, judicium fuisse exspectatum, cùm idem S. Augustinus dicat judicium, quod factum erat, fuisse *competens, sufficiénsque ad conterendos per potestates christianas, ubicunque lupi isti apparuerint.* Laudat ibi Gerbertus dictum S. Prosperi: *Papa Zosimus sententiæ suæ robur annexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dextras omnium armavit Antistitum.* *Gerb. de eccl. com. pot. C. 17.*

XVIII. Superest longus textus S. Bernardi ex lib. 2. de Consid. Pro more suo verbis & sententiis sacræ scripturæ, quæ ad sublimem summi Pontificis dignitatem pertinent, Eugenio, quem antea discipulum habuerat, sanctâ libertate dat consilium conservandæ humilitatis, & non tantùm sublimitatem Pontificiæ dignitatis eum in finem copiosè expressit, sed & mortalis vitæ miseriam ac brevitatem. Ostendit summa imis per considerationem esse jungenda, ut, dum cogitat se *summum Pontificem*, pariter attendat se *vilissimum* esse *cinerem*. Pontificatûs gloriam extollit per figuras veteris & sententias novi Testamenti. Vitæ miserias etiam verbis & sententiis sacræ Scripturæ

ad

ad humilitatem commendandam exaggerat. Nihil ineptius & vilius improbâ illà crisi Febroniana, quâ perstringit virum sanctum, quòd secundùm corruptæ per falsas Decretales œconomiæ Ecclesiasticæ ideam locutus sit, dum de Pontificiæ potestatis excellentiâ differebat; qui ipsas adeò epistolas familiares verbis Ss. Scripturarum condire assueverat, hoc uno pupugit Febronium, quòd, dum de Pontificatûs dignitate scribebat, similitudines ex libris sacris collectas insperserit.

XIX. Unum hoc doceat Febronius, quo artificio hæc duo componat: Alterum, quòd Bernardus minimè exprimat id, quod prætendunt Ultramontani, & ex his S. Bernardi verbis aliud certi verique non eruatur, quàm solicitudo omnium Ecclesiarum, quam Pontifici tanquam Primati concedit Febronius. Alterum, quòd communem sui sæculi per Isidorum corruptæ œconomiæ ideam secutus in sensum falsum Scripturæ quædam loca deflexerit. Si quidquid Bellarminus, Perronius, Turnelius, Orsi s & alii ex Patrum & Doctorum Ecclesiasticorum libris congesserunt, nullâ ratione id, quod Romani volunt, evincat, si Febronio facile & expeditum est distinctiunculas aliquas comminisci similes illis, quibus verba Ss. Augustini & Bernardi, ne suo novo systemati obstent, interpretatur, frustra sibi sumpsit hanc operam, ut hanc lectoribus cautelam hoc §. explicatam suggereret. Dicat etiam Febronius, quare Cardinalibus Pontificiæ authoritatis defensoribus ejus impugnatorem Tournelium à Carterio doctè refutatum immiscuerit.

Gel. ep. ad Episc. Dar. XX. Promittit Febronius: Illustre hujus rei exemplum porro exhibebimus Cap. 5. §. 7. Ibi verba Gelasii recitat: *Cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quòd de omni Ecclesiâ fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio.* Insignis distinctionum fabricator citò invenit distinctionem: *Suo modo verum est circa præliminare aliquod judicium, reservatâ semper universali Synodo suâ ampliori authoritate.* Nempe verum est, sed *suo modo.* Judicium habet, sed *præliminare, retractabile; non ultimatum*, cui debeat quisquis acquiescere in materiâ fidei aut communis disciplinæ, sed *provisorium.*

XXI. At dum eadem ipsa verba ex Gelasii epistolâ profert Nicolaus I. sæculi IX. Pontifex, eâ operâ distinctionis supersedendum censet Febronius, ideo quòd non vixerit in tempore luminoso, sed eo in sæculo, quod caligine Isidoricâ obtenebratum fuit. Antiquorum temporum Pontificibus & Patribus applicetur distinctio; at sæculi IX. & sequentium Pontificibus Romanis & Episcopis & Doctoribus etiam Sanctis, quotcunque, quanticunque fuerint, etiam in Conciliis generalibus congregati, generosè & audacter objiciatur Isidoricâ fraude obducta generalis caligo.

§. IX.

§. IX.

Lineamenta systematis, quod Febronius Decretalibus Isidoricis dicit superstructum, examinantur.

1. *Febronius impiè calumniatur octo primis sæculis successisse formam regiminis* egregiè ementitam, à primo instituto & veritate planè alienam.
2. *Impiè dicit jam ferè mille annis Ecclesiam à genuinâ traditione Apostolicâ recessisse, confractâ Patrum disciplinâ.*
3. *Novem lineamenta Febronius recenset ejus systematis, quod tribuit Ecclesiæ Romanæ.*
4. *Ex his concludit sequi Monarchiam Papalem nihil authoritatis relinquentem Episcopis.*
5. *Hoc dicit significari per* plenitudinem potestatis *&* partem solicitudinis.
6. *Ecclesiam non esse indigam falsitatis, & non indigere epistolis Isidoricis omnes concedunt cum Baronio.*
7. *Traditionem tenendam esse cum B. Vincentio Lerinensi omnes affirmant.*
8. *Citationes Febronii sunt impertinentes.*
9. *Quæ Coustantius Benedictinus de Isidori collectione scripsit, verbis P. de Marca refelluntur.*
10. *Defenditur titulus: Universalis Ecclesiæ Episcopus.*
11. *Defenditur relatio causarum majorum ad S. Sedem.*
12. *Etiam judicium de causis criminalibus Episcoporum.*
13. *Etiam authoritas confirmandi Concilia particularia.*
14. *Etiam reservatio translationum ab unâ Sede ad aliam.*
15. *Etiam appellatio ad Curiam Romanam.*
16. *Metropolitani petere debent Pallium intra tempus à S. Sede præscriptum.*
17. *S. Carolus Borromæus compertâ voluntate Pontificis mutavit consuetudinem suæ Diœcesis in alienationibus bonorum Ecclesiasticorum.*
18. *S. Franciscus Salesius agnovit, absolutionem ab hæresi post & contra Tridentinum à Pontifice potuisse reservari.*
19. *Concluditur Febronium petulanti audaciâ incusâsse Ecclesiam Romanam.*

I. Febronius phrasi scatente calumniis & à modestiæ regulis exorbitante docet octo felicibus sæculis, epocham Isidoricam præcedentibus, *ex Christi instituto & Apostolorum usu gubernatam esse Ecclesiam, postea verò consarcinatam esse novam ejus formam egregiè ementitam, à primævo instituto & à veritate planè alienam.*

II. Quod ipse tribuit antiquitati, hoc vocat sacræ Reip. systema genuinum; quod sequentibus ferè mille annis tribuit, est ejusdem criterio systema novum *ignorantiâ ministrâ*, & *circumstantiis adminiculantibus* in Ecclesiam in-

 vectum

vectum adeò infeliciter, ut *Patrum disciplina fuerit confracta*, & orbi christiano quasi pro jure propoſita ſint principia tanquam à traditione Apoſtolicâ ad nos tranſmiſſa, cùm reipsâ *directè repugnent moribus Apoſtolorum & obſervantiæ primorum ſæculorum.*

III. Novi hujus ſyſtematis hæc diſtinctim exhibet lineamenta ſequentia:

Primum eſt: *Iſidorus Rom. Pontificem facit univerſalis Eccleſiæ Epiſcopum.*

Alterum eſt: *Vult majores cauſas omnes ad Sedem Apoſtolicam eſſe referendas.*

Tertium: *Cauſas Epiſcoporum reſervat Rom. Sedi.*

Quartum: *Sinè authoritate Rom. Pontificis Concilia provincialia negat congreganda.*

Quintum: *Eorum confirmationem vult à Sede Romanâ poſtulandam eſſe.*

Sextum: *Ad Epiſcoporum translationes exigit authoritatem Pontificiam.*

Septimum: *Defendit Appellationes ad Sedem Romanam.*

Octavum: *Vult, ut intra trimeſtre Metropolitanus fidem ſuam exponat Rom. Pontifici & PALLIUM* petat.

Nonum: *Vult non licere membris à conſuetudine Eccleſiæ Romanæ diſſentire, & ſolennem induxit clauſulam: Salvâ in omnibus Apoſtolicâ authoritate, aut: Salvo in omnibus Rom. Eccleſiæ privilegio.*

IV. Ex his, admiſsâ horum hypotheſi, neceſſariò dicit concludi monarchiam Rom. Pontificis talem, ut Epiſcopis nihil relinquatur præter merum miniſterium.

V. Monarchiam dicit ſignificari per *plenitudinem poteſtatis*, Epiſcopos eſſe meros Papæ miniſtros ſignificari per *partem ſolicitudinis.* Hic totius ita vocati novi ſyſtematis eſt conſpectus.

VI. *Eccleſiam non eſſe indigam falſitatis*, omnes cum Facundo Hermian. facilè concedunt. Similis eſt ſententia Baronii à Petro Marcano laudata: *Epiſtolis illis Iſidoricis non indiget Rom. Eccleſia, ut ſi falſitatis arguantur, ipſa ſuis deſtituatur juribus & privilegiis, cùm etſi illis careat, ex legitimis germaniſque.. ſatìs ſupérque corroborata conſiſtat.* De Marca L. 3. C. 5.

VII. *Omnia, quæ ad Religionem ſpectant, quâ fide à Patribus accepta ſunt,* eâdem *fide filiis eſſe conſignanda; Religionem non eſſe ducendam, quâ volumus, ſed quà ducit nos, ſequi oportere*, nemo Catholicus ſeu Romæ, ſeu in Germaniâ, ſeu in quocunque orbis terrarum angulo dubitat affirmandum eſſe, ſicut affirmavit B. Vincentius Lerinenſis.

VIII. Sed cùm non appareat earum Decretalium authorem aliquod fidei dogma convellere tentâſſe, aut hæreſim aliquam docuiſſe, citationem illam impertinentem eſſe convincitur. Nihilominus verum eſt *in nullo genere diſciplinæ nullâ civili actione, nullo publicæ, privatæve utilitatis obtentu mendacia & fraudes permitti*, quod S. Auguſtinus ſpeciali libro contra mendacium demonſtravit.

IX.

IX. Quae Constantius Monachus Congregationis S. Mauri de Isidoricis Decretalibus indéque natis incommodis disseruit, & ex ejus Praefat. in epist. summorum Rom. Pontificum transcripsit Febronius, Illustrissimi Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis verbis suprà * memoratis, aliisque à me ibi dictis refelluntur. Singulis articulis, quos hic Febronius exhibet, justâ statera libratis apparet Blondelli, Coustantii, Febronii censurae judicium Bellarmini, Sfondrati Cardinalium & laudati Archiepiscopi de Marca judicium praeponderare.

* Dissert. Prodroma. §. 3. n. 6.

X. Tituli: *Universalis Ecclesiae Episcopus*, antiquitatem & usum innoxium luculenter ostendunt, quae produxi Graecorum & Latinorum testimonia. Hoc certum est ejus orthodoxiam non periclitari, qui Papam vocaverit Episcopum Ecclesiae Catholicae, seu (quod idem est) universalis, seu *Ecclesiae* absque aliâ additione.

XI. Neque in discrimen à fide naufragandi praecipitabit animas, qui docuerit majores causas ad Apostolicam Sedem referendas, quòd Ss. Pontifices sinè aliquâ sanctitatis imminutione exercuerunt, ùt Leo, Gelasius, Gregorius, alii.

XII. Etiam hoc certum est Doctoribus loquentibus perversa & Magistris perditionis accensendos non esse Patres Concilii Tridentini, qui causas Episcoporum criminales summo Pontifici reservârunt ejus judicio terminandas.

XIII. Neque ab ullo unquam Concilio generali usque ad saeculi consummationem anathematizabitur, qui consideratis plurimorum Conciliorum provincialium erroribus docuit aut docebit authoritatem Rom. Pontificis accedere debere, si quid de fide statuerint, vel dubia antè non satis expedita de moribus resolverint.

XIV. Neque in transitu ad aeternitatem quispiam anxietate perplexâ turbabitur, quòd docuerit fas non esse Episcopo suâpte authoritate Ecclesiam suam deserere & opulentiorem amplecti, vel ambitionis impulsu, vel turpis lucri gratiâ.

XV. Neque Pontifices Leonem IX. Coelestinum V. Pium V. qui in saeculis tenebrosis ad cathedram Romanam elevati sunt, bonus quispiam Catholicus credet injustâ Canonizationis sententiâ sacris sanctorum honoribus decoratos, quòd tempore supremi sui Pontificatûs appellationes admiserint.

XVI. Neque hoc nostro saeculo, cui Febronius lumen, ùt quidem sibi suis ideis delusus imaginatur, intulit, quisquam dixerit Metropolitanos, qui intra tempus authoritate S. Sedis constitutum & fidem suam exponunt, & Pallium petunt ad obedientiae, quam solemni sacramento promittunt, significationem, vecordes esse omnes, & suae dignitatis incurios per hoc, quòd ex falsis Decretalibus patiantur se constringi ad recedendum ab institutione Christi, à traditione Apostolorum & observantiâ sanctis, & qualicunque nequitiâ Isidoricâ incontaminatis saeculis conservatâ.

 XVII.

XVII. Neque sanctitati & doctrinæ & prudentiæ S. Caroli Borromæi officiet, quòd morem alienandi bona Ecclesiarum inconsulta Apostolicâ Sede, qui vetustissimâ consuetudine invaluerat, Supremi Pastoris voluntate & Rom. Ecclesiæ consuetudine compertâ cunctatus non sit abrogare & in suæ Diœcesis morem inducere iis tantùm consuetudinibus in Ecclesiâ suâ conservatis, quas permittente Sede Apostolicâ sciebat à Mediolanensibus conservari posse.

XVIII. S. Francisci Salesii gloriam insigni sanctitate & sapientiâ comparatam non obscuravit, quòd Romæ in examine Episcoporum à Clemente VIII. interrogatus: *Possintne Episcopi ab hæresi absolvere?* dato juxta Decretum Concilii Trid. responso affirmante monitus à Pontifice articulum illum recenter fuisse antiquatum, statim responderit: *Quandoquidem non est ea mens vestræ sanctitatis, à meâ discedo & Pontificiæ acquiesco.*

XIX. Hæc si vera sunt, ùt invitus fateri cogetur Febronius, intelliget à modestiæ regulis valdè abnormem esse illam petulantem audaciam, quâ Ecclesiam Romanam obliteratæ Apostolicæ traditionis, confractæ Patrum disciplinæ & ignorantiæ & impiæ novitatis incusat.

Singula capita, quæ tanquam nova systematis lineamenta hoc loco Febronius indigitat, cùm ab eo seorsim copiosiùs tractentur, congruis locis in hoc Apologetico discutienda reservantur, excepto primo, quod est de titulo: *Universalis Ecclesiæ Episcopus*, de quo plus quàm satis dictum est.

§. X.

Febronii opinio de Regiminis temporalis ad Primatum Ecclesiasticum accessione expenditur.

1. *Febronius Præsulem Rom. proponit tanquam fastu temporalis principatûs captum & excæcatum.*
2. *Donationem Constantini Aug. plurimi eruditi historiis apocryphis nunc accensent.*
3. *Certior est donatio Pipini & Caroli M.*
4. *Potestatem Papalem Isidoricis Decretalibus tribuendam esse asseruit Bouverus refutatus ab Heissio.*
5. *Bouverum secutus est Febronius de regimine temporali Rom. Pontificis.*
6. *Febronius ineptè provocat ad anonymum quendam Gallum, cujus threnum recitat.*
7. *Hujus scripti multis erroribus suffarcinati crisis.*
8. *Ex Decretalibus trium Rom. Pontificum probare nititur falsam politiam Papalem.*
9. *Ad Protestantes Catholicis uniendos ineptè Febronius antiqua dissidia Pontificum & Cæsarum memorat.*

10.

10. *Refellitur ejus provocatio ad Innocentium III.*
11. *Et ad Innocentium IV.*
12. *Et ad Clementem V.*
13. *Finxit Febronius, quòd Papa homagium & vasallagium postulaverit ab Imperatore.*
14. *Febronius calumniatur Rom. Pontificem stipatum catervâ Ministrorum res sacras politicè æstimantium.*
15. *Eadem calumnia olim intentata fuit Bonifacio VIII. sed refutata in Concilio generali Viennensi.*
16. *Clemens V. & Philippus Rex Franciæ in eâ synodo generali declarârunt innocentiam Bonifacii VIII.*
17. *Ad scopum Febronianum impertinens est quæstio de homagiis post novationem Religionis in Germaniâ.*
18. *Exploditur provocatio Febronii ad Præpositum Reichersbergensem,*
19. *Et puerilis etymologia vocis:* Curia.

I. Pontificatum Romanum carpendi pruritus eò impulit Febronium, ut Ecclesiæ Romanæ Præsulem proponat tanquam inprimis conspicuum humanæ debilitatis exteriore apparatu excæcatæ, exemplum, postquam temporalis principatûs majestatem, ut loquitur, fastúmque fulgori Primatûs Ecclesiastici adjecit liberalitas Principum.

II. Celebris Donationis Constantinianæ meminit, quam plurimi Eruditi cis & citra Alpes dudum historiis apocryphis, & solido fundamento destitutis accensuerunt, inter quos Æneas Sylvius, postea Pius II., Cardinalis Cusanus, aliique citati à Gerardo Casteelio Canonico Regul. Dum Catholici Rom. Pontificem tanquam ejus urbis legitimum possessorem & Dominum venerantur, minimè necessariam putant erotematis historici definitionem, an Constantini, an Justiniani, an Principum Francorum liberalitate dominium Romæ ad jura Papalia transierit, sicut multarum possessionum legitimarum prima initia ad certam posterorum cognitionem non pervenerunt, ita & hujus primordia manere possunt incerta sinè ullo temporalis Pontificiæ potestatis periculo vel incommodo.

Castel. Controv. Hist. Eccles. cent. 27.

III. Meminit etiam Pipini & Caroli, quorum erga summos Pontifices liberalitate Princeps urbium Roma sese cum aliis amplissimis urbibus & provinciis ad Rom. Pontificis dominationem transiisse, per conservata usque nunc monumenta adhuc loquitur.

IV. Rectè contra Bouverum Lutheranum P. Willibaldus Heissius Franciscanus interrogat: *An Pipinus & Carolus Isidori collectione moti sunt, ut Rom. Ecclesiæ temporales principatus adjicerent? Pipinus*, inquit, *eam collectionem non vidit*, Carolus antea multis annis factam donationem ratam habuit, ideóque negat assertionem Bouveri: *Fundandæ Paphlis potestatis præcipuum ful-*

Heiß. Vind. St. Pontif. Sec. I. c. 3. a. 3.

trum

crum fuit Isidori Mercatoris collectio, idoneâ ratione sustentari. Si Regimen Pontificum temporale receptioni earum Decretalium coævum non fuit, jura tamen spiritualia Febronius asserit ad leges Isidori commensurata fuisse & cum temporalibus eo consilio permixta, ut Pontifices jura territorii sui defenderent, aut augerent.

V. Febronius, quasi decem ferè sæculorum arcana politica Pontificia perlustrâsset, credit se penetrâsse PP. politiam secretiorem ex falsarum Decretalium jurisprudentiâ & aliis non minùs, ùt loquitur, favorabilibus circumstantiis efformatam.

VI. Ne aut primus aut solus id sentire videatur, nescio cujus Præsulis Gallici longum sermonem adjungit; hunc dicit superiore sæculo hanc politicarum sacrarúmque rerum mixturam dolore verè Apostolico deplorasse, quòd literis Episcoporum Papàlia responsa non dentur, nisi Episcopi favore & authoritate personarum sæcularium fulciantur in Curiâ Romanâ, & quòd jam Successores Apostolorum tantùm spiritu sæculi ducantur, & politico potiùs quàm Apostolico spiritu res Romæ gerantur per homines rerum Ecclesiasticarum ignaros, non autem audiantur Episcopi ad negotia Ecclesiæ tractanda illis sæcularibus aptiores, nisi aliis adminiculis, quàm characteris Episcopalis, & peritiæ & pietatis gratiam Pontificiam sciverint obtinere. Docere Pontifices facto in Cathedrâ Petri, quòd Romæ Theologi docent in cathedris scholæ, Papam esse supremum & absolutum Ecclesiæ totius Dominum, Episcopos nihil esse, nisi ejus Vicarios. Hos, quidquid habent potestatis, habere beneficio Pontificis; hujc dum placet, audiri Episcopos; dum non placet, non audiri; Papam uti Episcopis, ùt lubet, neque his tanquam inferioribus aliud relinqui, quàm obsequendi & approbandi officium; quidquid, quomodo libet, pro suo arbitrio disposuerit Papa de Episcopis.

VII. Quanquam neminem eorum, qui Bullas Pontificum contra Jansenium editas reverenter susceperunt, talis epistolæ authorem fuisse suspicari possim: cùm tamen constet, fuisse aliquos Galliæ Præsules in eâ sententiâ, quam historia illorum temporum docet fuisse pauciorum, ab aliquo, quisquis ille fuerit, talem epistolam scriptam esse lubens concesserim. Certè alia erat 85. Episcoporum Galliæ sententia in epistolâ ad Innocentium X. scriptâ. Alia eorum, qui nomine totius Cleri Gallicani ad Innocentium XI. scripserunt. Certè formam sanorum verborum illa non habent, quæ nescio quibus Rom. Theologis imputantur, Papam esse absolutum totius Ecclesiæ Dominum, Episcopos tantùm ejus esse Vicarios, à Papâ habere, quidquid habent potestatis, merè pro arbitrio de Episcopis Papam statuere posse, quidquid lubeat. Si quis superiori sæculo paradoxa illa docuit, jure merito censebitur inter insanientis sapientiæ Magistros. Paternam Episcopos ad alloquium admittendi, ad eorum consultationes respondendi facilitatem in superioris sæculi Pontificibus, inprimis Urbano VIII. Innocentio X. Alexandro VII. & Innocentio XI. laudàrunt, qui de rebus Ecclesiæ illorum temporum scripserunt.

VIII.

VIII. Disertè dicit Febronius, agere se hic de rationibus illis politicis, quae in subsidium sacrae Monarchiae veniunt. Proponit Decretales trium Pontificum, Innocentiorum III. & IV. & Clementis V.

IX. Vult Febronius dissidentes in Religione Christianos saeculi XVIII. componere. Scit Monarchiam sacram, quam nunc Romani defendunt, veteres illas turbas tumultúsque resuscitandi periculum non facere. Scit à primis dissidiorum, quae Lutheri & Calvini novationibus in Imperium Germanicum, aliáque regna & provincias inducta sunt, nihil eorum inter Pontifices & Monarchas Christianos intercessisse, quae olim sub Fridericis unionem christianam disruperunt; nihilominus pertinax illa Febronii contra S. Sedem & Rom. Pontificem luculentis tot indiciis prodita malevolentia eum urgere potuit, ut ad Protestantes Catholicis uniendos recitaret, quae ante quatuor, quinque, sex saecula ruperunt Principum Christianorum cum S. Sede concordiam; ita autem haec proponit, ut potiùs ab hoste Catholicae fidei, quàm à Jurisconsulto Catholico proposita videantur.

X. Quid juris & authoritatis Innocentius III. sibi adscripserit, ipse in Cap. *Venerabilem*, quod citavit Febronius, disertè expressit. Objiciebatur, Apostolicae Sedis Legatum aut Electoris aut Cognitoris gerere voluisse personam. Neutrum dicit se voluisse, sed tantùm denuntiatoris officium exercuisse, ut summis Principibus, ad quos solos eligendi jus pertinet, significaretur, quae spiritualia impedimenta obstarent uni eorum, in quos tunc eligentium studia vertebantur.

XI. Quae Innocentio IV. imputantur, ad eum solum non pertinent, cùm in generali Concilio Lugdunensi haec acta sint praesente & approbante Concilio. Declarabat pacis amantissimus Pontifex, quòd, si Ecclesia Imperatorem in aliquo contra debitum laeserit, parata sit corrigere, ac in statum debitum reformare, & de consilio Concilii satisfacere ac revocare sententiam, si quam contra ipsum injustè tulisset, & cum omni mansuetudine & misericordiâ de injuriis & offensis Ecclesiae irrogatis satisfactionem recipere, & omnes amicos Principis, eique adhaerentes in pace ponere, ut nunquam hac occasione possent aliquod subire discrimen. Si causae, quas protulit, cum illis, quas olim adversùs Theodosium Aug. habebat Ambrosius, comparentur, videri potest Innocentius nequaquam Ambrosio iniquior.

XII. Clementem V. dicit ab Imperatore homagium & vasallagium postulâsse tanquam summo Pontifici debitum. Iterum siqua hic est culpa Rom. Pontificis, erit Ss. Concilio generali Viennensi communis, & debebit ex Jurisconsulti Catholici sententiâ cum Rom. Pontificis authoritate simul Conciliorum generalium authoritas eâdem ruinâ convolvi. Accedit, quòd de *homagio & vasallagio* postulato nullum omnino verbum ostendere possit Rom. Sedis obtrectator Jurisconsultus.

XIII. Inter Henricum tunc Romanorum Regem, & Robertum Regem Siciliae

ciliæ suscitatâ gravi discordiâ, multis grandibúsque periculis Papa cum Concilio generali volebat obviare ad solidandam concordiam inter eos Reges, quos vocat *specialissimos Ecclesiæ filios*, exspectabatur juramentum fidelitatis iis verbis, quibus cum jurisjurandi religione promitteret Princeps se *protectorem & defensorem fore summi Pontificis & S. Rom. Ecclesiæ in omnibus necessitatibus & utilitatibus, quantum divino suffultus fuerit adjutorio, secundùm scire & posse, rectâ & purâ fide.* Hæc solenni sacramento juravit Henricus Aug. & *Ecclesiæ Romanæ Vasallos etiam in Imperio constitutos contra justitiam se nunquam oppressurum, aut quantum in eo esset, per alium opprimi passurum.* Hoccíne est Febroni ab Imperatore homagium & vasallagium exigere Pontificem?

XIV. Febronium ita occupavit maledicentiæ libido, ut Rom. Pontificem proponat stipatum catervâ Ministrorum res Ecclesiasticas ex rationibus politicis magìs quàm sacris æstimantium, qui ad relaxandam vel minimam partem jurium à Gratiano & Isidoro confictorum eundem inflecti non patiantur.

XV. Idem Bonifacio VIII. imputabatur, dum à Rege Galliæ Philippo longâ illâ funestâque discordiâ dissidebat. Sed ejusdem Successor Clemens V. qui ut Philippo Regi gratum faceret, Sedem Româ Avenionem transtulit, in Concilio Viennensi annuentibus 300. Patribus, ipso etiam Philippo Rege præsente (ùt refert Nauclerus Doctor Sorbonicus) omnes malevolorum *calumnias, imposturas mendaciáque in illius Pontificis famam contorta, ut Regi placerent, placendo illuderent, illusum deciperent, cum toto Concilio detestatus execrationi subjecit.*

XVI. Ipsi verò Regi Philippo agnoscenti dissidiorum crimina contra Bonifacium perpetrata, eáque per ignorantiam se commisisse, proditoriè sycophantarum illusionibus illusum se deceptúmque profitenti Clemens V. ignovit; dum valde metuebat, ne illa criminum falsorum accusatio, quæ deceptus Bonifacio imputaverat, sibi ac posteris dedecori verterentur, Clemens Pontifex cum universâ Synodo sancivit, tanquam innocenti, aut saltem nescienti, proditorum decepto fraudibus nunquam ea exprobratum iri. Hæc Pontifex, si quispiam Galliæ devotus, intra ipsam Galliam, Rege & totius Regni Episcopis consentientibus, palàm pronuntiavit. An Febroni Clementem & Philippum & numerosam generalem Synodum 300. Patrum Isidorus & Gratianus fefellere, & glaucomate obducto eos omnes fecerunt Bonifacio defuncto parentare?

XVII. Apprime tibi notum est Febroni, nullam non uno jam sæculo quæstionem esse non dico de homagiis & vasallagiis, sed nequidem de solenni coronatione Pontificiâ Augustissimorum Principum Imperatoris & Regis Germanorum. Non pauca decreta S. Concilii Trid. convincere debent quemcunque Catholicum, ut de aliis non loquar, exercitium Pontificiæ potestatis in multis ad regimen Ecclesiasticum spectantibus approbante ipsomet Rom.

Pon-

Pontifice in Episcoporum favorem fuisse imminutum, ut ex historiâ Cardinalis Palavicini suprà ostensum est; atqui tunc Ministris non carebat Sedes Apostolica, non defuerunt, qui Rom. Pontifici à consiliis essent, relaxata tamen sunt multa, quæ antea seu per Constitutiones, seu per consuetudines publicum in morem inducta fuerant.

XVIII. Quod ex Reichersperggensis Præpositi expositione in ps. 64. additur, nunc dici *Curiam Romanam*, quæ antè hàc dicebatur *Ecclesia Romana*, jam suprà satis est confutatum. Quis adeò rerum est rudis, qui dicat has voces esse synonimas? Quis ignorat, ùt in Germaniâ, ita Romæ harum vocum notiones discerni? Quis consuetudines Ecclesiæ cum *stylo curiæ* confundit? Quis beneficia *vacantia in curiâ* dicit vacare in Ecclesiâ Romanâ?

XIX. Quid sani habet illa puerilis etymologia: *Curia à cruore*? Quis Præsulum Germaniæ dicat apud suas curias *injustos justis*, *inhonestos æquari honestis?* Qui cum Febronio sapiunt, his nugis oblectentur.

§. XI.

Judicium Febronii de Rom. Ecclesiâ nostri temporis expenditur.

1. *Febronius gloriatur hoc sæculo post Isidorum decimo diem veritatis illucescere cæpisse.*
2. *Omnes Majores nostri tot sæculorum censentur cæci & ignari.*
3. *Ad videndam* lucem *Febronii oportet certâ fide credere, quòd Roma erret.*
4. *Ut hoc credatur, vult Febronius, ut Isidoricæ Decretales conferantur cum doctrinâ Card. de Luca.*
5. *Et sequelis ex eâ deductis à Benedicto XIV. & Curialibus.*
6. *Primarios Curiæ Romanæ Doctores vocat tres Merlinum, Rubeum, Fagnanum.*
7. *Quæ Card. de Luca, & hi tres scripserunt, vocat Ecclesiæ, quæ nunc est, quotidianam praxin, quamvis nostrum sæculum nullus eorum attigerit.*
8. *Comparatio Febroniana inter Card. de Luca & Benedictum XIV. exploditur.*
9. *Quod docet Benedictus XIV. in* Lib. de Syn. *nunc observari & doceri, omnes Romano-Catholici admittunt.*
10. *Quidquid in Decretalibus Isidori, imò in libris Lutheri consonat Catholicæ doctrinæ Benedicti, Catholicum est.*
11. *Defenduntur asserta Benedicti XIV.* 1. *Quòd Papa sit universæ Ecclesiæ Moderator & Pastor.*
12. *Etiam* 2. *Quòd Papa sit supra Concilium, incidenter, nihilominus verè dixit.*
13. *Etiam* 3. *Quòd Papa ubique & cujuscunque confessionem possit audire.*
14. *Etiam* 4. *Quòd Papa habeat authoritatem reservandi casus.*

15. *Etiam* 5. *Quòd penes Papam sit jus plenarium concedendi sacras indulgentias, limitatum subalternum penes Episcopos.*
16. *Etiam incidenter, & tamen verè dixit, quòd Papa possit eximere Ecclesiam à jurisdictione Episcopali.*
17. *Quòd non teneatur sequi majorem partem in Conciliis generalibus.*
18. *Quòd habeat authoritatem dispensandi.*
19. *Quòd possit ritus & consuetudines mutare.*
20. *Occasionem dedit mutatio solennitatis quorumdam Festorum cæpta à Benedicto XIII. & continuata à Bened. XIV.*
21. *Etiam rectè laudavit illam Theologi* Vera-crux *propositionem* : De Pontificis potestate, postquam dispensavit, dubitare instar sacrilegii est.
22. *Etiam assertio Benedicti XIV. de spoliis Clericorum non est reprehendenda.*
23. *Dolus Febronii in hoc articulo.*
24. *Baronii de hac reservatione sententia à Thomassino laudata.*
25. *Differentia inter Papam & Episcopos rectè fit à Card. de Luca.*
26. *Febronius nequit ostendere, quæ asserta Cardinalis sint basis & fundamentum assertorum Benedicti.*
27. *Papa rectè Episcopos dicit* adjutores.
28. *Episcopi sunt & Pastores & oves, regunt, & reguntur.*
29. *Reservationes Papales reverenter admisit Natio germanica per CONCORDATA.*
30. *Vox*: Officialis *non est necessariò Episcopis applicanda à Catholicis.*
31. *Catholici non tenentur omnia asserta Merlini, & Rubei & Fagnani defendere.*
32. *Imò nequidem tenentur inquirere, quid dixerint.*
33. *Benedictus XIV. ostendit Rom. Pontificum sententiam de dispensationibus.*
34. *Alia ad Rom. Pontificis authoritatem spectantia defendit.*
35. *Classis propositionum de iis, quæ certum est à Rom. Pontificibus non probari, neque practicari.*
36. *Classis earum propositionum, quæ ab omnibus Romanis admittuntur, & malè reprobantur à Febronio.*
37. *Earum propositionum, quæ justam interpretationem admittunt.*
38. *Falsa Febronii assertio principia causis decidendis quotidie inservientia in his quatuor DD. propositionibus contineri, & spem Protestantes nobis uniendis excludere.*
39. *Protestatio Febroniana facto contraria.*
40. *Febronius discordiam potiùs auget, sicut Maimburgus.*
41. *Motivum Febronianum faciendi hanc collectionem.*
42. *Monitum S. Eulogii*: Scripta non dijudicari oportet ex parte, seu ex fragmentis, *non observavit Febronius.*
43. *Verba* Cap. 5. de Resc. *malè & impertinenter applicat Febronius.*

I. Sæculo huic nostro, quod inter ea, quæ oculis Febronii tenebrosa sunt, est decimum, illa, si quidem Febronio credimus, felicitas obtigit, ut *egregio illo falso novissimè detecto* dies iterum illucescere incipiat.

II. In illâ infelicissimâ periodo Ecclesiæ vixerunt sapientes & docti, atque, ut phrasi Febronianâ utar, *longiùs prospicientes*, si vivida vis animi & capacis ingenii vigor & labores, & rerum usus attendantur, ad verum videndum idonei *multi*, *sed omnes illacrymabiles urgentur*, *ignotique longâ nocte*, quia doctore caruerunt, à quo *egregium illud falsum* agnoscere, & *jus publicum Ecclesiasticum ingenti plagâ percussum*, imò *potissimâ suâ parte eversum* sanare docerentur. Sors illa Majorum frustra deploratur; jam nobis providendum, ne simus *progenies* perinde *vitiosa* errando errores Patrum nostrorum. Curandum, ut nobis redeant *saturnia regna*, Scripturarum interpretatio genuina, Traditio sincera, luminosorum octo sæculorum praxis intaminata. Quâ autem viâ eundum? Quo medio id obtinebitur? Vult jam Febronius, ut intellectus noster sanetur, habeátque pro certâ hypothesi modernam *principiorum*, *quæ jus publicum Ecclesiasticum evertunt*, *in dictâ Curiâ subsistentiam.*

IV. Ut verò intellectus de hâc certitudine non dubitet, vult instituendam esse comparationem *inter systema subdititiarum Decretalium ex Isidoro collectarum in §. 9. cum ideâ*, *quam dat Cardinalis de Lucâ.*

V. Deinde *cum sequelis*, *quas ex eâ deducunt*, *& quotidie practicari tradunt Benedictus XIV. aliique primarii in Curiâ Doctores*, *Consiliarii ac Judices.* Benedictum vocat *in his rebus versatissimum Papam*, ut intelligamus eum à Febronio non adnumerari *innocenter delusis.*

VI Primarios illos in Curiâ Doctores, Consiliarios & Judices, quos *reliquorum omnium normam & cynosuram esse*, *aliisque omnibus celebriores* prædicat, solos nominat Merlinum, & Rubeum, & Fagnanum.

VII. Quod hi quatuor judicialium causarum patroni suis decisionibus aut lucu-

lucubrationibus insperserunt, illud totius Ecclesiæ, quæ nunc est, Romanæ & sententiam & quotidianam praxim dicere, & ex tribus, quatuorve superioris sæculi Jurisconsultis probare, *quæ forma regiminis nunc in Rom. Ecclesiâ vigeat, & quòd multò durioribus, quàm olim, conditionibus practicetur*, nimis ridiculum est.

VIII. Illud autem sanæ mentis & intaminatæ fidei Catholicus tolerare non debet, quòd inter Cardinalem de Luca & Benedictum XIV. ea instituatur comparatio, ut ille dicatur primarius novi, quod Febronius impugnat, systematis assertor, hic verò author sequelarum ex dictis Cardinalis de Luca principiis deductarum.

IX. Quod magnus ille Pontifex nostri sæculi in suo libro *de Synodo Diœcesanâ* scripsit, libenter Catholici tanquam doctrinam nunc in Ecclesiâ Romanâ vigentem agnoscunt; quidquid in Ecclesiâ catholicâ doceri aut prorecepta legitimâ consuetudine haberi asserit, tanquam veram doctrinam aut legitimam disciplinam libenter amplectimur.

X. An Isidorus falsarum Decretalium conditor idem senserit, quod Benedictus, otiosæ indaginis est inquisitio. Viderit, cui vacat librum de Synodo cum illis Decretalibus componere, an eadem sint illius & horum asserta. Quæcunque consonant, Romano-catholica sunt; non enim talia esse desinerent, si etiam in libris infensissimorum Romanæ Ecclesiæ hostium Arii, Nestori, Dioscori, Lutheri, aliorúmque deprehenderentur. Sigillatim asserta, quæ ex laudato libro deprompsit Febronius, expendendo fiat experimentum

XI. 1. Dixit Benedictus XIV. *Rom. Pontificem esse universæ Ecclesiæ, quæ sub cælo est, Principem, Moderatorem, Pastorem.* Dixerunt idem Concilia generalia, & Ss. luminosorum sæculorum Doctores; si & hoc Isidorus dixit, nos non *delusit*.

XII. 2. Dixit *Papam esse supra Concilium.* Ita est. Dixit non tanquam *thema*, aut *conclusionem*, ut asserit Febronius, *ex Cardinali de Luca deductam*, sed incidenter; dum de dispensatione ad contrahendum tempus Novitiatûs à Concilio Trid. fixum tractabat, inquit: *Hæc non nisi à Rom. Pontifice, qui supra Concilium est, indulgeri potest.* Ideo non possunt alii, quia inferior in lege superioris non dispensat. Ideo è contrario dispensare potest Papa, quia superior est. Omitto, quæ in toto lib. 2. Reg. Sacerd. Cardinalis Sfondratus ad ostendendum, quòd Papa sit supra Concilium, doctissimè proponit.

XIII. 3. Dixit: *Papa in totâ Ecclesiâ potest tanquam proprius Sacerdos confessiones excipere, & facultatem delegare alteri.* Verum dixit. An tu Febroni putas Rom. Pontificem, si in Castro Gandulfino moratur, ab Episcopo Albanensi debere petere licentiam excipiendi confessiones? An putas Clementem V. cùm Avenionem migraret, licentiâ Episcopi Avenionensis eguisse ad dispensanda sancta mysteria?

XIV. 4. *Habet authoritatem reservandi casus.* Verum est. *Meritò Pontifices*

tifices Maximos pro supremâ potestate sibi in Ecclesiâ universâ traditâ causas aliquas graviores suo judicio reservare, & magnopere ad christiani populi disciplinam id pertinere ex sanctissimorum Patrum sententiâ judicavit S. Synodus Tridentina. Concil. Tridene. Sess. 14 de pœn. C. 7.

XV. 5. Dixit *in Pontifice Romano plenariè residere jus Indulgentias elargiendi, & ab eo profluere in Episcopos*; dixit, & verum dixit juxta S. Conc. Trid. Decretum de Indulg. quo mandat Episcopis, ut diligenter abusus, qui ex superstitione, ignorantiâ, irreverentiâ aut aliunde quomodocunque provenerunt, in suâ quisque Ecclesiâ colligat, aliorum quoque Episcoporum sententiâ in synodo provinciali cogniti *statim ad summum Rom. Pontificem deferantur, cujus authoritate & prudentiâ, quod universali Ecclesiæ expediet, statuatur.* Agnovit Benedictus XIV. convenire Episcopis potestatem tribuendi Indulgentias per *jurisdictionem extraordinariam soli dignitati Episcopali annexam.* Martinus V. approbante Concilio Constant. mandavit suspectum de hæresi Wiclefianâ interrogandum: *An credat, quòd Papa omnibus christianis verè contritis & confessis ex causâ piâ & justâ possit Indulgentias concedere; & singuli Episcopi suis subditis secundùm limitationem Ss. Canonum.* Si asseratur, Episcopos jure divino subalterno & quoad locum, & quoad quantitatem limitato dare indulgentias, Papalem verò potestatem non esse loco circumscriptam, & Episcopis modum posse à Rom. Pontifice præscribi, non pugnatur contra sententiam Benedicti. Opinionem eorum, qui dicunt, quòd potestas jurisdictionis Episcopalis immediatè sit à Christo, sic tamen, ut subalterna sit, *validis*, inquit Benedictus, *fulcitur argumentis*, oppositam *authoritati & rationi conformiorem* censuit.

XVI. 6. Dixit: *Potest ab omni jurisdictione Episcopi subtrahere quamlibet Ecclesiam.* Incidenter dixit, dum in favorem Episcoporum declaravit contra jus Cathedratici non præscribi. Illam *exemptionis* facultatem omnes totius orbis Episcopi affirmant. Non paucos privilegio abuti post Decretalium conditores Pontifices, agnovit Benedictus XIV. An ideo valebit thema Febronianum: Papa non potest aliquam Ecclesiam à jurisdictione Episcopali eximere? *Si exemptio legitimis privilegiis innitatur, & non interruptâ observantiâ roboretur, non exemptio est ab Episcopo incusanda, sed videndum, an exempti fecerint, quæ Concilium Trid. præcipit.* Ita Benedictus. Benedict. XIV. L. 13. c. 9. de Syn.

XVII. 7. Dixit: *In Conciliis generalibus non tenetur sequi Rom. Pontifex majorem partem Judicum*; atqui idem dixit S. Leo Papa in sæculo luminoso: *Hoc proprium definitionis nostræ est, ut quantumlibet numerus Sacerdotum amplior aliquid per quorundam subreptionem decernat, id justitiæ consideratione cassetur.* Canon 28. Chalcedonensis exemplo sit.

XVIII. 8. Dixit: *Supremam habet authoritatem relaxandi quamcunque legem Ecclesiasticam.* Verba Benedicti sunt: *Pontifex aliquid edicens contra aliquam sanctionem Trid. non operatur contra mentem Concilii, neque illam*

excit

Concil. Trident. sess. 25. de Ref. C. ult.

exerit supremam authoritatem sibi à Christo Domino collatam relaxandi & immutandi, cùm opus fuerit, quamcunque legem Ecclesiasticam, sed potiùs eo utitur arbitrio, à cujus nutu voluit Tridentinum suarum sanctionum firmitatem pendere per verba: *Omnia & singula, sub quibuscunque clausulis & verbis, quæ.. in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat ita decreta fuisse, ut in his salva semper authoritas Sedis & sit & esse intelligatur.* Utile visum est Febronio in rem suam omittere verba: *Cùm opus fuerit.* Eâdem audaciâ pro verbis S. Gregorii M.: *Temperanda interdum est censura districtionis, ubi misericordiæ respectus invitat*, ad Pontificiæ dominationi conflandam invidiam dicere potuisset scripsisse Gregorium: *Temperanda est censura districtionis*, ut Papam pro arbitrio agere intelligatur.

XIX. 9. Dixit: *Ipse solus potest leges, ritus, & consuetudines ubique receptas tollere & mutare.* Miretur Lector Febronii singularem in conquirendis firmando suo systemati utilibus momentis diligentiam.

XX. Tractat in loc. cit. Pontifex de festis in levamen pauperum ex suis laboribus victitantium imminuendis. Profert epistolam hujus argumenti à pio Cardinali Bona scriptam cuidam Thiersio, qui edito tractatu defenderat Episcopum in suâ Diœcesi posse festa ubique recepta tollere, officium divinum & jejunia transferre. Ex eâ Cardinalis epistolâ hæc profert Benedictus: *Nimia sanè hæc potestas omnibus passim viris doctis displicuit, & meritò; nam communes Ecclesiæ leges, ritus & consuetudines ubique receptæ ejus duntaxat authoritate tolli vel mutari possunt, cujus est in universam Ecclesiam authoritas & potestas; alioquin ingens fieret disciplinæ & hierarchiæ Ecclesiasticæ perturbatio.* Ita Cardinalis. Addit Benedictus XIV. quòd Benedictus XIII. anno 1727. rogatus à Synodo Tarraconensi, ut *ad avertendum interitum animarum ex violatione festorum certò obvenientem huic incommodo prospiceret, oblatum consilium probaverit*, & juxta preces Episcoporum illius provinciæ indulserit, ut *certis diebus festis minùs solemnibus auditâ missâ victum liceret ex laboribus comparare.* Quid peccati peccavit Benedictus XIII. aut Cardinalis Bona, aut Benedictus XIV.? Iterum dico, expediebat Febronio, ea tantùm verba transcribere, quæ ad sugillandam Papalem dominationem idonea videbantur.

XXI. 10. Dixit: *De Pontificis potestate, postquam dispensavit, dubitare instar sacrilegii est.* Agebat doctissimus Pontifex de privilegio, quod Calaritanis Presbyteris olim concesserat Gregorius M. chrysmate per Episcopum Benedicto administrandi Sacramentum Confirmationis. Ex Luca Wadingo ostendit nonnullis Franciscanis idem privilegium in sæculis XV. & XVI. datum fuisse, & eundem postea morem Pontifices ad sua usque tempora constanter tenuisse pro terris Americanis, & quod P. Guardiano S. Sepulcri Domini Nostri privilegium hoc dederit, fidem facit ipse, qui hoc dedit, Benedictus XIV. subjungit Pontifex: *Fas non est potestatem illam, etsi de ea olim disceptatum*

tatum fuerit, Pontifici abjudicare, quoniam, ùt ait Veracrux de Pontificis potestate, postquam dispensavit, dubitare instar sacrilegii est: esset enim Christo quasi exprobrare, quòd non satìs Ecclesiæ suæ providisset; & magis ad rem Sotus: Non est dubitandum, quin simplex Sacerdos ex commissione Papæ possit Sacramentum Confirmationis exhibere, & qui de hoc jam hæsitaret, Ecclesiasticis sanctionibus adversaretur. Etenim quamvis hæc conclusio ex sacris literis non planè colligatur, sufficere tamen debet orthodoxis, quòd Gregorius (addimus nos: & alii Pontifices) illam fecerit dispensationem. Si (inquit Benedictus) *Græcorum consuetudini semper obstitissent Rom. Pontifices, vacua, inanis atque irrita esset confirmatio Græcorum facta per simplices Sacerdotes. Asserere verò Sacramentum Confirmationis ab Ecclesiâ Græcâ, nunc penitùs exulare, multis nominibus absurdissimum est, cùm in Concilio Florentino de illius ita administrati Sacramenti valore dubitatum non fuerit, quamvis constaret, Episcopum esse ordinarium ejus sacramenti ministrum.*

XXII. 11. Dixit: *Potest jure optimo Papa sibi reservare spolia Clericorum.* Sed cur Febronius verba connexa non addit: *In pauperes aliósque pios usus distribuenda, & in provinciis, in quibus prædicta spolia colliguntur, potest exactores & collectores constituere.*

XXIII. Intererat Febronii & scopum omittere, & locorum, in quibus ille mos obtinet, mentionem non facere, ut sordes turpis lucri certiùs Pontificatui Rom. & speciatim Benedicto XIV. illineret. Sciebat Febronius nulla bona defunctorum Episcoporum, inferiorúmque Clericorum, quotquot in Germaniâ seu testati seu intestati decedunt, spolii titulo ad ærarium Rom. transire, nihilominus hoc inferendum erat tanquam idoneum ad inspirandum germanis odium contra Pontificem.

XXIV. Meritò laudavit Thomassinus, quæ in hanc rem scripsit Baronius: *Ad avaritiam Clericorum compescendam cùm segniores essent Episcopi, & ipsi interdum eodem morbo languerent, jure meritóque Rom. Antistites ad vindicandas hujusmodi ex bonis Ecclesiæ malè congestas opes consuevit mittere collectores, de quorum importunâ exactione cùm multi querantur, hos,* inquit, *facilè & prudenter deludent, qui bona Ecclesiæ non congregârint, sed in pauperes erogârint.* Fructum dicit Thomassinus hinc magnum provenisse, ut avocarentur Beneficiarii à congerendis opibus, in quas proximi succederent. *Thomass. de Benef. P. 3. L. 2. C. 57.*

XXV. Ex Cardinalis de Luca relatione Curiæ Rom. forensis hæc profert Febronius: In concernentibus regimen Ecclesiæ universalis (quæ forensia vocat) majorem & principalem dicit esse personam Pontificis, *largè seu mediatè adjutores & officiales Pontificis* esse Catholicos Prælatos, quotquot jurisdictionem habent. Papam tanquam *Episcopum universalem, ac Ordinarium Ordinariorum habere universum mundum pro Diœcesi*; ideo alios Prælatos commissorum sibi gregum vel ovilium *Pastores* quidem esse, sed *subordinatos primo Pastori; ab hoc, vel* (adverte Febronii:) *saltem cum ejus authori-*

tate gregibus præfici juxta proportionem, quæ est inter Episcopum & Prælatos. Si hæc subordinatio non esset, reservationi Beneficiorum dicit locum non fore.

XXVI. Quid horum est, quod *principii* rationem habeat, cui tanquam fundamento ab eo Cardinali de Luca posito ea, quæ sparsim Benedictus XIV. asseruit, superædificata censeantur? Nihil omnino eorum est, propter quod aut Benedictus Papa, aut Cardinalis de Luca Isidori Decretalibus eguerit.

XXVII. Sicut Apostolus Urbanum & Timotheum & alios vocavit *adjutores suos*, ita Papa Episcopos, quotquot sunt in Ecclesiâ Dei, *adjutores & cooperatores* vocare poterat. Primorum sæculorum Pontifices alios Episcopos dixerunt *Symmystas*, *Coepiscopos*, ζυνῳ..., *in partem solicitudinis vocatos*.

XXVIII. Si ex Ss. Cypriani & Optati sententiâ *unus est Episcopatus*, *Cathedra una*, ita personas, quibus officium pastorale Dei providentiâ commissum est, ad unitatis conservationem conjungi oportet, ut sit subordinatio, per quam unus sit *major*, alii *minores*, quibus per humilitatem & charitatem se is, qui major est, parem faciat, conservatâ hinc *majoritate*, illinc autem *obedientiâ*; necesse est sic ovilia esse multa, ut maneat ovile unum; Pastores esse multos, ut maneat Pastor unus, cujus permanente supra cæteros eminentiâ illi ita sint Pastores, ut simul sint oves; ita pascant greges sibi commissos, ut ab illo, qui vicem tenet Christi Principis Pastorum, & Episcopi animarum nostrarum, pascantur.

XXIX. *Reservationes* natio nostra germanica per Caput Imperii accedente Principum consensu post accuratissimam omnium articulorum discussionem amplexa est; sic dicta S. Sedis & Nationis nostræ *concordata* solennis pacti naturam & vim habent; Rom. Episcopo omnes Germanorum Ecclesiæ se juxta laudati Cardinalis ratiocinium subjectas professæ sunt.

XXX. Si Febronio non placet, quòd Archiepiscopi & Episcopi non tantùm adjutores, sed & *Officiales* etiam cum factâ, quam dixi, modificatione appellentur, ab hac voce nec cis, nec citra Alpes usitatâ penitus abstineat, nunquam per Bullam Pontificiam jubebitur hunc titulum applicare nostris Episcopis; sufficiat illi, quòd *adjutores* sint, & Pontifici in pastione dominici gregis cooperentur. Sedes Apostolica quibusdam Episcopis germaniæ titulum *Legati Nati*, nemini autem titulum *Officialis* dedit. Jam artem suis ideis accommodandi propositiones à Febronio non minùs injustè quàm callidè adhibitam in allegationibus ex Libro Benedicti XIV. vidimus.

XXXI. De Merlini & Rubei & Fagnani assertis vindicandis solicitos non facit ea authoritas, quâ in tribunalibus valuêre; si dixerunt Rom. Pontificem esse *bonorum Ecclesiæ Dominum*, *ita ut de his pro arbitrio disponendi liberam facultatem habeat*, errârunt, nec piorum Principum Francorum, nec Mathildis, nec anteriorum Romanorum, qui res suas Deo & S. Petro obtulerunt,

runt, dum Rom. Pontificibus urbes & provincias donabant, ea fuit intentio, ut per Rom. Pontifices ad profanos usus verterentur, neque sanctissimi Pontifices tale de illorum munificentiâ judicium fecerunt, se posse Romam, aut Patrimonium S. Petri supremis tabulis ad hæredem suo arbitrio electum transmittere.

XXXII. Sint quædam horum quatuor insignium Causidicorum malè sonantes sententiæ; quid veri aut falsi habeant, non vacat expendere. Nemo eorum, qui ab hæresi ad sinum Matris Ecclesiæ transierunt, censuit antea inquirendum, quid Jurisconsulti Romani de fide olim pronuntiârint. Qui causarum forensium patrocinium suscipere intendunt, decisiones rotales volutent. Quæ autem ad historiam Ecclesiasticam, ad Theologiam dogmaticam, exegeticam, polemicam & scholasticam tum speculativam, tum moralem pertinent, in collectionibus decisionum Rotalium & Responsis Jurisconsultorum quærenda non sunt.

XXXIII. Certiùs ex libro Benedicti XIV. de Synodo discimus, quæ sit Rom. Pontificum sententia de dispensationibus. Laudat inculpabilem agendi rationem à S. Pontifice Pio V. observatam, datámque ab eo Successoribus *præclarum exemplum bonitatis, ne asperiores ac difficiliores in denegandis dispensationibus se exhibendo Christi fidelium animas præcipites ad perditionis barathrum propellant.*

XXXIV. Ostendit Rom. Pontifices in Rescriptis gratiæ semper illud exigere, *si preces veritate nitantur*, & causæ ab oratoribus propositæ subsistant. Ostendit non esse novum in Ecclesiâ, quòd aliquando in uno Episcopatu duo Episcopi constituantur, quamvis id vetuerit Synodus Nicæna generalis: Sic Narcisso Episcopo Hierosolymitano ob ejus senium junctum esse S. Alexandrum, in Hipponensi S. Augustinum fuisse Episcopum cum Valerio viribus ad functiones hierarchicas minùs valido. Etiam constat Paulinum simul cum S. Meletio Alexandrinam cathedram tenuisse, cùm aliud medium dissensiones componendi non appareret. Committi posse non Episcopo aliqua, quæ sunt Ordinis, constat ex privilegio Abbatum Ordines minores suis Regularibus conferendi, & ex his, quæ de Sacramento Confirmationis dicta sunt. Quòd Papa Legibus conciliaribus, etiam Tridentinis definitis aliquando derogare possit, ex suprà indicatâ ipsiusmet Concilii declaratione discat, qui ignorat. Coadjutorias cum futurâ successione Concilium ita sustulit, ut simul concederet, *si Ecclesiæ aut Monasterii urgens necessitas, aut evidens utilitas postulet, & causâ diligenter à sanctissimo Rom. Pontifice cognitâ certum sit, qualitates omnes concurrere, quæ à jure & decretis S. Synodi requiruntur.* *Concil. Trid. sess. 25. C. 7. de Reform.*

XXXV. Febronio studiosissimè curandum erat, ut propositiones laudatorum quatuor insignium Jurisconsultorum Romanorum absque omni temperamento ad eas catholicè explicandas necessario & absque nexu verborum eas

catholicè explicante proponerentur; facilè hac arte se consecuturum speravit à sui libri Lectoribus, ut easdem propositiones tanquam omnino generales omnibus casibus aptarent, & universalem applicationem Rom. Pontificibus tribuerent. Cùm nunc nequidem in Dicasteriis Romanis hi, penes quos jam est juris dicundi authoritas, eorum præstantissimorum virorum responsa tanquam normam certam, & indubitata oracula revereantur, quis sustineat Febronianam illationem ex eorum de re spirituali pronuntiatis obiter inspersis imperitè formatam? Sed tamen è re erit aliqua sigillatim de illâ farragine assertorum dicere:

Alia est classis earum propositionum, quas quisquis hominum quacunque intentione scripserit, toti mundo constat, nequaquam à Rom. Pontificibus practicari: aliqua do exempla: *Potest Papa liberè disponere de Beneficiis juris Patronatûs Laicorum. Potest ratione criminis absolvere Vasallos à quocunque pacto jurato. Propter injustitias privare sæculares judices dignitate. Collectare Ecclesias totius mundi. Auferre beneficia pro mero lubitu. Tollere prædia uni Ecclesiæ, & dare alteri sinè causâ. Potest tollere jus civile, quod ei famulari solet. Ad actûs validitatem potest fingere factum fuisse, quod erat faciendum. Contra infideles ejus mandato inobedientes Pontifex potest justè bellum indicere. Coadjutorem constituere non consentiente Coadjuto, neque consentiente Capitulo.* Nihil horum omnium experitur nostra Germania; scimus Concordatorum pactis Rom. Curiam insistere. Si quid Romæ de Beneficiis Patronatis, ùt vocant, disponitur, scimus addi semper: *Accedente consensu Patronorum.* Scimus Coadjutores Episcopis dari habito eorum, quorum interest, consensu; nullum in totâ Germaniâ Judicem sæcularem dignitate à Rom. Pontifice privatum; nullum Vasallum in his provinciis ab obligatione laico Principi debitâ absolvi.

XXXVI. Alia est classis earum propositionum, quæ auribus Febronianis horridæ quidem videntur, sed *pias aures* minimè offendunt; tales sunt: *Papa est Episcopus totius orbis.* In toto mundo quoad personas & causas Ecclesiasticas habet territorium. Est universalis Ecclesiæ Episcopus. Judex omnium mortalium. Ordinarius singulorum. Solus habet plenitudinem potestatis, & principatum in omnibus Ecclesiis. Ad eum spectat Diœceses & loca *Nullius* constituere.

XXXVII. Aliquibus justa interpretatio facilè potest applicari; exemplo sint sequentes: *Papa veri Dei vicem gerens in terris, cæleste habet arbitrium,* cùm solutum ligatúmque sit in cœlo, quòd in terrâ solverit, aut ligaverit. *Nec Pauli, nec Petri præceptis adstringitur,* cùm (certè aliquando) justissimè ad Episcopatum admittat bigamum, alióve dispensabili impedimento obstrictum; & Ecclesiasticâ authoritate quædam cessent, quæ per Apostolos fuerunt constituta. *Interpretatio Papæ prævalet dictis Ss. Patrum.* Cùm agnoscamus justissimè ab Alexandro VIII. damnatam esse hanc propositionem:

nem: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam*; quasi se scuto contra tela vaticana tegere conantur Anticonstitutionistæ. *Fas non est dubitare de potestate Papæ*; si talis intelligatur, qualem ostendit S. Synodus Tridentina & Constitutiones summorum Pontificum, ad omnes Christi fideles docendos, dirigendos ordinatæ.

XXXVIII. Siquid animis veri amantibus *horrorem* possit *injicere*, certè debet illa Febronii audacia, quæ eum impulit, ut scriberet in hac propositionum congerie ostendi *principia maximè practica decidendis causis undecunque Romam advenientibus quotidie inservientia*, quibus imputandum sit, quòd *ne vel umbra spei reuniendorum cum Rom. Ecclesiâ Protestantium relinquatur*, & quòd hæc non tantùm à particulari Rom. Ecclesiâ sint adoptata, sed & non paucis, utcunque renitentibus, obtrudantur.

XXXIX. Hoc dum facit Febronius, protestationem addit coram Deo & Sanctis ejus, se hæc non proferre *eo animo, ut hos, qui foris sunt, faciat à S. Ecclesiâ nostrâ magis alienos; sed ut aperiantur oculi Curialistarum Romanorum, & tam bono Regiminis Ecclesiastici, quàm pro dictâ reunione dimittant systema monarchicum.*

XL. Non incongruum est Febronio, quod Card. Sfondratus scripsit de Maimburgo: *Calamo Catholicis æquè ac Calvinistis infesto mediam quandam viam inter utrosque molitus id effecit, ut ab utrisque odia mereatur*; *malè consuluit Religioni, dum eam obtentu pacis inter Petrum Calvinùmque divisit, bellúmque veriùs auget, quàm componit.*

XLI. Dicit Febronius hæc, quæ proposuit in suâ farragine collectarum ex Benedicti XIV. & quatuor Jurisperitorum libris propositionum *absque eo*, id est, etsi ab hac suâ collectione abstinuisset, *in omnium oculis esse & manibus*. Scit Collectiones antiquas Decisionum Rotalium tantùm in majoribus Bibliothecis, aut apud quosdam Jurisconsultos reperiri; neminem hactenus ex illis voluminibus ea congessisse, quæ intentioni Febronianæ congruunt, ideo id sibi negotii assumpsit operosâ collectione, ut facilis esset eorum conspectus, quæ turpem notam sanctissimo Pontificatui possent aspergere.

XLII. Attendendum illi erat ad verba S. Eulogii Alexandrini à Lamindo Pritanio laudata: *Scripta non dijudicari oportet ex parte, neque fragmenta quædam sumendô ex his detorta, de Scriptoris mente ferendum est judicium.* Contra hanc legem, quam sana ratio figit Scriptoribus, nimiùm quantùm peccâsse Febronium, vel solæ ejus in Collectione propositionum Benedicti XIV. hallucinationes demonstrant, cujus opus propter summam, quam in Ecclesiâ novissimè tenuit, authoritatem, ùt dixi, præcipuè vindicandum fuit, quanquam totum non sit Papæ loquendis *ex Cathedrâ*. *Lam. Prit. L. 2 C. 5. de mod. ing.*

XLIII. Alexandri III. dictum, quòd addidit ex Decretalibus, planè impertinens est. Scribit Pontifex Ravennati Archiepiscopo: *Si quando aliqua* *C. 5. de Resc.*

tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes. Qualitatem negotii, pergit Pontifex, *diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per literas tuas, quare implere non possis, rationabilem causam prætendas. Patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.* Sciebat Alexander, quod postea scripsit Bonifacius VIII. Rom. Pontificem *locorum specialium & personarum singularium consuetudines & statuta, cùm sint facti, & in facto consistant, posse probabiliter ignorare.*

Cap. licet de Const. in 6.

XLIV. Benedictus XIV. sapienter docet, posse aliquam constitutionem plerisque Diœcesibus utilem esse, peculiari tamen Diœcesi minùs opportunam. In peculiaribus mandatis nihil facilius esse, quàm ut aliquando Pontifices decipiantur vel narratione falsâ, vel occultatione veritatis. Quidquid in hisce casibus fuerit per subreptionem aut obreptionem impetratum, haud invitos abrogare. Ex citato per Febronium Cap. *Si quando de Rescript.* & Cap. *Cùm teneamur de Præb.* cujus hæc sententia: *Si non potest sine scandalo provideri, æquanimiter sustinemus, si pro eo mandatum nostrum non duxeris exequendum*; ostendit omnibus concedi *aperitionem oris*, ut jura sua deducere possint.

Benedict. XIV. de Synod. L. 9. C. 8.

XLV. De constitutionibus dogmaticis ostendit non esse quæstionem, cùm in his irreformabile sit judicium Rom. Pontificis, neque de Constitutionibus pertinentibus ad disciplinam respicientem sacros Ritus, Sacramenta, Vitam Clericorum, cùm talia Decreta Sedis Apostolicæ nullo modo subjecta esse debeant inferiorum judicio; laudátque Petrum de Marca, quòd id ipsum senserit: sed eam disciplinæ Ecclesiasticæ partem dicit significari, quæ varietatem admittit, ut, quod uni loco est utile, alteri sit noxium. Dicit Episcopum non tantùm tunc posse, sed & debere Rom. Pontifici rationes exponere; petitiones justis rationibus innixas rejectum non iri.

Pet. de Marca L. 2. C. 7.

XLVI. Addit hoc monitum: *Omnino autem in hujusmodi recursibus debita Apostolicæ Sedi reverentia semper servetur, & cùm ipse omnibus auditis judicium suum protulerit, ipsius sententiæ obtemperetur, ejúsque jussa promptæ executioni demandentur. Constat enim aliquando procacem agendi modum in culpam adducere eum, qui alioquin bonum jus fovet quoad rei substantiam; æquum autem non esse Apostolica Decreta libenter accipi tunc solùm, cùm propriis intentionibus congruunt: at in sententiâ obfirmatè persistere, cùm summus Pontifex reclamantis rationibus auditis atque libratis easdem tanti non esse reputat, ut mandata sua revocare, vel generales leges moderari opportunum censeat.*

XLVII. De S. Hilario Arelatensi dicit, *si justos defensionis limites non excessisset, nec contentionis ardore abreptus nimis audacter erga Apostolicæ Sedis Præsulem se gessisset non utique hujus indignationis pondus, nec asperam reprehensionem & castigationem, quam accepit, in se derivâsset.*

XLVIII.

XLVIII. Idem Pontifex testatur Clerico sæculari vel Regulari dispensationem Pontificiam ad exercendam professionem Medici aut non concedi, nisi antè retulerit Episcopus de peritiâ, & loci, qui medicam ejus operam exposcit, indigentiâ, aut expediri in *formâ commissoriâ*. In aliis, quæ aliquam causare possent offensionem, in Rom. Curiâ eandem docet observari providentiam. Talis est mens Benedicti XIV, omniúmque Pontificum. Benedict. XIV. L. 13. Cap. 10.

XLIX. Dic Febroni, an aut quo jure tibi permissum credas verba Decretalium ad ideas tuas pro lubitu tali arte inflectere. Ratiocinium tuum tale est: Dum prodeunt à Rom. Curiâ, quæ fraternum animum exasperant, & prætenditur rationabilis causa, quare impleri non possint, Clementis XIII. est audire, & patienter sustinere, si non fiat, quòd mandavit; atqui fatente Alexandro III. ita subinde fit, & *quæ recensuimus, sanè sunt exasperantia, & rationabiles causas contra illa prætendimus*; Ergo Clementis XIII. est audire, & patienter sustinere, si non fiat, quòd mandavit. Gratiam mihi habe Febroni, quod argumentum tuum hâc formâ compingendo nervos illius ostenderim.

L. Quæ fuit mens Alexandri & Benedicti, qui testatus est *Alexandri Successores Pontifices semper adhæsisse & adhærere Decretali citatæ*, eadem est mens Clementis XIII. Quod Benedictus monuit, monet nunc Clemens XIII. Quæ sub Decessoribus non pertinebant ad hanc Decretalem, adhuc manent extranea; excludi debent adhuc, quæ exclusit Benedictus.

LI. Exasperat animum tuum jurisdictio Papalis per Concilium Trid. (ut jam alia omittam) sæpè & luculenter asserta. Exasperat animum tuum, quòd Episcopi & Academiæ in Germaniâ adeò ament suas tenebras, ut lumen tuum, tuas interpretationes S. Scripturæ, Traditiones tuas, quales tu vis genuinas, videre non velint, *totus quantus es in allegandis & justificandis causis*, quas rationabiles esse nec Papa, nec Italia, nec Germania, nec aliæ Nationes vident. Speras nihilominus te audiendum à Clemente, eum renuntiaturum suæ jurisdictioni, & librum tuum, quem damnavit, approbaturum, & Ecclesiam Romanam, quæ nunc *domus exasperatrix* est, fore Febronianam. Ezech. 2.

DISSER-

DISSERTATIO IV.

DE

CAUSIS, QUÆ MAJORES VOCANTUR.

§. I.

Quando cœperint causæ majores Sedi Apostolicæ reservari.

1. *Febronius enumerat causas IX. majores.*
2. *Dicit de his ante sæculum V, non fuisse cogitatum.*
3. *Sequitur ex hoc, quòd puritas Ecclesiæ non manserit usque ad Isidorum.*
4. *Promittit se demonstraturum, quòd hæc reservata sint merè prætensa, non vera.*
5. *Et quòd Primatui tantùm jus directivum, & quæ humanâ dispositione benigne concessa sunt, conveniant.*
6. *Febronius tantùm demonstrat suam malevolentiam & crisiu imperitam.*
7. *Reservata seu IX. seu juxta glossam ord. XVIII. non sunt sigillatim coæva Monarchiæ.*
8. *Reservata Cæsarea & Regia similiter coæva non sunt Monarchiæ, nisi quantùm ad radicalem facultatem.*
9. *Similiter reservata Pontificia tantùm radicaliter sunt coæva.*
10. *Benedictus XIV. ostendit absolutionem ab hæresi esse justè reservatam S. Sedi, licèt contrarium declaraverit S. Synodus.*
11. *Et hanc reservationem esse agnitam à Synodis Gallicanis, & ab Episcopis Germaniæ.*
12. *Concluditur, quòd reservatum Pontificium speciale possit esse novum, licèt jus reservandi novum non sit.*
13. *Primam mentionem de causis majoribus Febronius attribuit Innocentio I.*
14. *Crisis Febronii de verbis Innocentii I.* Sicut vetus consuetudo exigit, *refellitur testimonio S. Bonifacii I. & S. Leonis I.*
15. *PP. Sardicenses approbârunt relationes de quibusque provinciis.*
16. *Febronii evasio S. Leonem tantùm egisse jure Patriarchico refutatur.*
17. *Verba Concilii de reservatione graviorum criminum* pro supremâ potestate Rom. Pontifici in Ecclesiâ universâ traditâ, *applicantur reservationi causarum.*
18. *Quo sensu hoc jus reservandi divinum dicat Innocentius III.*
19. *Refellitur frivola oppositio Febronii contra argumentum Innocentii ex Deuter. Cap. 16. & 17.*

20.

20. *Ostenditur legem de constituendis judicibus & uno judice supremo esse moralem.*
21. *Ostenditur Moysen supremum judicium ex Dei mandato dedisse uni.*
22. *Hincmarus Remensis facit comparationem inter Hierosolymam & Romam.*
23. *Febronius causas fidei & communis disciplinæ dicit* non sinè participatione primæ Sedis *definiendas.*
24. *Ostenditur hoc non sufficere.*
25. *Iterum Febronius fiduciam ponit in historiâ Ansegisi & Hincmari.*
26. *Hincmarus & alii declaraûnt se Rom. Pontifici obedituros, salvo jure Metropolitico.*
27. *Quomodo restiterit Ansegiso, Drogoni & Hincmaro Laudunensi.*
28. *Quid in causâ Rotbadi egerit Nicolaus Papa contra Hincmarum Remensem.*
29. *Hincmarus in causâ Ulphadi acquievit Judicio Nicolai I.*
30. *Ipse Hincmarus citatus ad Synodum Metensem appellavit Romam.*
31. *Synodum Metensem reprobavit supremâ authoritate Nicolaus I.*
32. *Hilduinum Cameracensem deposuit Nicolaus, quòd pertinaciter Hincmaro resisteret, Ulphadum hortatur, ut Hincmaro obediat.*

I. Causæ majores à Febronio hæ proponuntur: *Quæstiones Fidei. Postulationes. Confirmationes. Resignationes Episcoporum. Eorum Translationes. Sedium Episcopalium erectiones, translationes, uniones. Metropoleon & Patriarchatuum institutiones. Coadjutoriæ Episcoporum. Horum depositiones.*

II. De his generatim decernit cogitatum non fuisse ante Sæculum V.

III. Si cœptum est de his agi in sæculo V. necesse est aliquem quatuor sæculis anteriorem Isidoro, ejusdémque præcursorem extitisse, & octo primorum sæculorum eam non fuisse puritatem, quam non semel illis constat Febronium tribuisse.

IV. Promittit singulatim se demonstraturum, quòd nullum ex his novem Reservatis proprium sit Sedi Apostolicæ, & quidem nec jure divino, nec primorum, utique non jam octo, ùt aliàs, sed quatuor sæculorum observantiâ.

V. Promittit conclusionem certam, quòd Primatus Pontificius origine & substántiâ suâ multùm distet à Monarchiâ, & præter *jus directivum* alia illi jura non competant, nisi speciatim humanâ dispositione ei benignè concesserit Ecclesia.

VI. Artem Febronianam demonstrationes compingendi multa per exempla jam vidimus. Accedent his alia pseudoapodictica, quorum nexus & compaginatio demonstrationem conficiet malevolentiæ Febronianæ & crisceos

imperitæ, & quòd totus quantus in eo sit, ut animum contra Ecclesiam Romano-Catholicam nostri temporis vehementer exasperatum ostendat.

Ad tit. Quod translat. de offic. leg.

VII. Seu cum Febronio placuerit novem articulos eo titulo *causarum majorum* recensere, seu 18. cum Glossatore Decretalium, seu numerus causarum majorum determinetur juxta quatuor barbaros versus, quos Glossatores & veteres Juris canonici Tractatores suis commentariis inseruerunt; illud inprimis erit animàdvertendum, frustra exspectari, ut sigillatim ad S. Monarchiæ primordia ducantur.

VIII. Nemo Politicorum est, qui sentiat singula Monarchiæ summorum Principum, Cæsareæ aut Regiæ Reservata majestatica, quæ nunc eorum throno subjecti reverenter agnoscunt, principatui esse coæva. Tantùm facultatem supremo judicio quædam ad promovenda publica commoda, ad Imperii seu Regni conservationem reservandi coævam ipsimet Monarchiæ facimus.

IX. Inaniter ideo sperat Febronius Rom. Pontificis Monarchiam, seu Hierarchiam, tunc invisæ novitatis odio convellendam, si demonstraverit sigillatim S. Petrum, & primos ejusdem in Sede Apostolicâ Successores postulationibus admittendis, electionibus confirmandis, Resignationibus, Coadjutoriis approbandis, aliísque ejus generis negotiis finiendis operam non applicuisse, nec *Concordata*, nec *sanctiones pragmaticas*, nec aliqua *pacta conventa* cum Imperatoribus Romanis & Regibus eorum temporum fecisse.

X. Ostendit post Gregorium XIII. Clementem VIII. aliósque Tridentino posteriores Pontifices Benedictus XIV. absolutionem ab hæresi occultâ S. Sedi Apostolicæ jure merito esse reservatam, quanquam aliter visum esset Patribus Concilii Trid.

XI. Ostendit, quòd Patribus Concilii provincialis Rothomagensis à Gregorio XIII. petentibus facultatem absolvendi ab hæresi juxta concessionem Tridentinam rescripserit Pontifex: *Pro necessitate provinciæ concedi ad tempus juxta Decretum Concilii Trid. hanc facultatem absolvendi.* Etiam, quòd Patribus Concilii provincialis Turonensis certum fuerit non licere Episcopis, *contra Bullam de Cænâ Domini & reservationem Pii IV. & V. uti facultate concessâ per Trid. Concilium*, nisi privilegium S. Sedes concesserit. Etiam, quòd Episcopi Germaniæ aliter eâ potestate non utantur, quàm per privilegium summi Pontificis.

XII. Si concludimus hanc reservationem fuisse Synodo Trid. posteriorem, frustra tentavit Febronius demonstrare, quòd Primatui S. Sedis Pontificia Reservata coæva non sint. At non ùt hujus jam dicti Reservati novitatem concedimus, ita omnibus & singulis Reservàtis Pontificiis negamus antiquitatem. Omnia ex fictitiis Isidori Decretalibus hausta esse, ne ipse quidem concedit Febronius.

XIII. Credit illam de *causis majoribus* mentionem esse primam, quæ est

in

in epiſtolâ Innocentii I. ad Victricium Rothom. Diſertè dixit: *Majores cauſæ ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit, referantur.*

XIV. Verba illa: *Vetus conſuetudo*, Febronio diſplicent. Labbæus & Lutheranus Juſtellus recentiſſimi Collectores laudari à Febronio tanquam *probioris notæ Scriptores* ideo meruerunt, quia hæc verba omisêre: at editiones aliæ conſonant, & non diu poſt S. Bonifacius I. ipſo referente Febronio ſcripſit: *Maximas Orientalium Eccleſias in magnis negotiis, in quibus opus eſſet diſceptatione majore, Sedem SEMPER conſuluiſſe Romanam, & quoties uſus exigit, ejus auxilium poſtulâſſe.* Bonifacium ſecutus S. Leo I. Anaſtaſio Theſſal. in eandem ſcripſit ſententiam, dum ei vices ſuas per Illyricum committebat: *Tibi credita* (inquit Leo) *gubernacula frater chariſſime pervigil tene, divinæ legis ſanctio veneranda & Canonum ſpecialia Decreta ſerventur.* Poſt ſubjungit: *Si qua verò cauſa major evenerit, quæ à tuâ fraternitate illic præſidente non potuerit definiri, relatio tua miſſa nos conſulat, ut revelante Domino, quod ipſe nobis adſpiraverit, reſcribamus; ut cognitioni noſtræ pro TRADITIONE VETERIS INSTITUTI, ET DEBITA APOSTOLICÆ SEDI REVERENTIA noſtro examine vindicemus. Sicut enim authoritatem noſtram vice noſtrâ exercere te volumus, ita nobis, quæ illic componi non potuerint, vel qui vocem appellationis emiſerit, reſervamus.* Ut Innocentius, ita Bonifacius & Leo antiquitate nituntur.

XV. Quæ judicio Epiſcoporum definiri non poterant, referenda erant. Hoc *optimum & valde congruentiſſimum eſſe*, Sardicenſes Patres agnoſcebant, *ſi ad Petri Apoſtoli Sedem de ſingulis quibuſque provinciis referatur*, ne per dubia interminata, non audito Rom. Pontificis judicio, in provinciis nutrirentur Epiſcoporum diſſidia.

XVI. Quod autem Febronius indicat tantùm agere Leonem de jure Patriarchico per Illyricum exercendo, ipſiſmet S. Leonis verbis evertitur. *Sanctio divinæ legis veneranda, veteris inſtituti traditio, divinæ revelationis aſpiratio* ſublimius aliquid indicant, quàm merè Patriarchicum. Ad limites Patriarchicos tali reſtrictione eo ſæculo arctatam non fuiſſe authoritatem Pontificiam, oſtendunt relata à Febronio verba Innocentii I. *Quidquid quamvis de disjunctis remotiſque provinciis &c.* Etiam illa Bonifacii I. à Febronio relata: *Maximas Orientalium Eccleſias in magnis negotiis Sedem ſemper conſuluiſſe Romanam.* Si jus Patriarchicum judice Febronio merè humanum eſt, ſolicitudo Leonis, aliorúmque Pontificum ſe intra ejus limites minimè continebat.

XVII. Sicut ex Patrum Trident. ſententiâ cauſas aliquas criminum graviores ſibi meritò reſervârunt ſummi Pontifices *pro ſupremâ poteſtate ſibi in Eccleſiâ universâ traditâ*, ita cauſas aliquas graviores, quæ ad Eccleſiæ gubernationem pertinent, eâdem ſupremâ poteſtate à Chriſto conceſsâ reſervan-

 tur.

tur. Quantum ad causas criminum, dicit S. Synodus *visum fuisse sanctissimis Ecclesiæ Patribus vehementer ad populi christiani disciplinam pertinere earundem reservationem*, quanquam potestas ligandi & solvendi Episcopis & Sacerdotibus aliis sit communicata; ita licèt Patriarchis, Metropolitis & Comprovincialibus Episcopis olim communicata sit potestas intendendi particularibus Ecclesiis, ut iisdem idonei & utiles Rectores præficiantur, Pontificiæ authoritati supremum, *privativum* de electionibus, translationibus, depositionibus Episcoporum, aliisque ad Hierarchiam spectantibus judicium exigit communis utilitas Ecclesiarum.

XVIII. Hoc verò *jus divinum* est. Nec aliud intendebat Innocentius III. dum ex illâ Deuteronomii lege assumpsit argumentum, pòst à Cardinalibus Bonaventura, Cajetano, Bellarmino, Sfondrato aliísque innumeris Doctoribus repetitum. Innocentius per Archiepiscopum Arelatensem rogatus à quodam Viro nobili, ut filios ex adulterio progenitos declararet legitimos, negavit petitam dispensationem. Objiciebatur similis dispensationis Regi Francorum ab eodem Pontifice datæ exemplum, respondit Papa: *Rex superiorem in temporalibus minimè recognoscit, potuit se jurisdictioni Papali, sicut fecit, subjicere, tu autem nosceris aliis subjacere.* Addit, causam esse dissimilem, Regem fuisse à conjuge separatum legitimo Ecclesiæ judicio, & ob causam, quæ dubium faciebat adulterium; ne autem de potestate Papali dubitaretur, dicit se causam tam ex veteri, quàm ex novo Testamento traxisse. Ex novo ad Petri Apostoli authoritatem provocat, ex veteri ad citatam à Febronio legem Mosaicam.

Cap. 13. Qui filii sint legitimi.

XIX. Opponit Febronius: nemo non agnoscit, quàm infirmo hæc fundamento nitantur. 1. Quia illa lex ad cæremonialia vel judicialia pertinet. 2. Moyses de Synedrio loquitur. 3. Quia in his, quæ à merâ Dei voluntate pendent, non rectè ab uno formatur argumentum ad aliud.

XX. Frivola autem est hæc in omnibus suis punctis evasio. Lex de constituendis judicibus & magistris, qui judicent populum judicio justo, ad morales pertinebat; ut unitas Ecclesiæ, pax fidelium conservaretur, schismata vitarentur, lites finirentur, constituenda erant judicia, dandi erant populo judices, ùt præcipitur Deuter. 16. Inter hos etiam in Synedrio poterat esse dissensio, ideo providit Dominus Deut. 17. ut si *judicum varientur sententiæ, & difficile ac ambiguum fiat judicium*, dissensio per unius sententiam finiatur. Summi Sacerdotis imperio jubentur ipsimet judices discordes obedire, & quidem tunc maximè, dum fidei causa disceptatur.

XXI. Non minùs frivola est altera evasio: *Moyses loquitur de Synedrio.* Verum est. Ast non ita de multis Sacerdotibus loquitur, ut supremum judicium in multitudine constituat. Hæc verba: *Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino & decreto Judicis*, singularem in illâ multitudine personam indicant. Eò etiam spectat legislatoris intentio, ut Judicum discordiæ

& con-

& contentionibus remedium adhibeatur, hoc verò tunc erat *Sacerdotis* supremi *imperio*, ejusdémque tanquam supremi *judicis decreto* attributum à Domino.

XXII. Etiam tertia evasio nullius momenti est. Hincmarus Remensis (ut refert Thomassinus) censet, quòd sicut adiri summum Pontificem, ejusque & sacri consessûs apud Hierosolymam supremâ authoritate definiri jussit lex Mosaica, si qua de moribus aut doctrinâ oriretur gravior contentio, ita ad Petri cathedram de rebus eisdem judiciorum summa referenda sit, & iis privilegiis gaudeat Rom. Ecclesia inter Christianos, quibus olim Hierosolyma gaudebat inter Judæos. Non de solis cæremonialibus aut judicialibus præceptis eo in textu agitur, & jam æquè interest Christianorum, disceptationes ambiguas de fide & moribus totam Ecclesiasticam gubernationem attinentibus peremptorio judicio terminari, hoc autem si Febronii systemati insistatur sperari non potest. *Thomass. L. 1. c. 43*

XXIII. Negat ille ullam ex *causis*, quæ *majores* vocantur, in specie ex naturâ suâ ad cognitionem & dispositionem Rom. Pontificis pertinere, ea tamen gravioris momenti negotia, quæ universæ Ecclesiæ, aut unitati fidei præjudicium afferre possunt (inquit) *statuimus non sinè participatione primæ Sedis definienda esse.* Donec dissidentibus constiterit nihil in alterutram partem determinâsse Pontificem, verbis magnificis honorabitur, sicut Clementem XIII. honoravit Febronius; Clementem XI. Quesnellus; & alios Pontifices Romanos alii; at ubi mentem aperuerit, & contra exspectationem damnaverit, quod approbandum sperabatur, citò & audacter opponetur *cognitionem & dispositionem* super materiâ disputatâ *ad primum Præsulem* non pertinere, sed tantùm *quandam participationem.*

XXIV. Hoccine est finire causam? Juris canonici peritis notum est, quòd si Prælato aut Judici delegato præscriptum fuerit, audito duorum jurisperitorum consilio procedendum esse, satisfiat, si audiantur, quanquam eorum consilio se non conformaverit. Latum, inquit Benedictus XIV. intercedit discrimen inter consilium & consensum; ubi solum consilium Capituli jura exigunt, satisfacit Episcopus, si consulat, quin ullâ adigatur lege ad eorundem amplectendam sententiam. Definit judex delegatus, decernit Episcopus *non sinè participatione* eorum, quos consulit; cognitio plena & dispositio penes ipsum est, qui consuluit; ita Pontifex Rom. ideatus à Febronio contentus esse debet *participatione*, atque ita quidem circumscriptâ, ut cognitio plena & definitio nullatenus illi cum his, ad quos ea authoritas ex Febronii sententiâ pertinet, sit communis; Papâ frustra repugnante definiendæ definientur; sufficere debebit Pontifici *non sinè participatione* illius ita fieri; velit, nolit Pontifex; sancivit, statuit Febronius sic, & non aliter finiendas esse causas. *Benedict. XIV. de Syn. L. 13. C. 1. n. 6.*

XXV. Quæ Febronius iterum de Ansegiso Senonensi Archiep. memorat,

iterum refellere non vacat. Hincmarus Remensis cum cæteris Episcopis volebat *obedire mandatis Joannis Papæ Apostolici*, volebat, inquam, sed *salvo jure Metropolitæ juxta sacros Canones & Decreta Sedis Apostolicæ Pontificum promulgata.* Hoc fatetur Febronius, neque dixit aut dicere potuit Joannem Papam Legato mandâsse, ut postularet *simpliciter & absolutè* illam restrictionem excludi.

Thomass. p. 1. L. 1. C. 5. n. 9. XXVI. Hincmarus declarat, ùt refert Thomassinus, *de omnibus dubiis & obscuris, quæ ad rectæ fidei tenorem, vel ad dogmata pietatis pertinent, S. Rom. Ecclesia ùt omnium Ecclesiarum mater & magistra, nutrix ac doctrix est consulenda, & ejus salubria monita sunt tenenda maximè ab his, qui in illis regionibus habitant, in quibus divina gratia per ejus prædicationem omnes in fide genuit, & catholico lacte nutrivit.*

XXVII. Hanc Sedis Apostolicæ potestatem agnovit Hincmarus, at illius potestatis exercitium nec Ansegiso, nec Drogoni, nec alii seu Gallo seu Italo censebat utiliter tunc committendum, nisi Metropolitarum supra Episcopos authoritas salva permaneret. Laudunensi Episcopo scribebat: *Super causis dubiis vel obscuris me debes interrogare; si ego nescivero, ego apud alios, vel si necesse fuerit, apud Sedem Apostolicam debeo requirere.*

XXVIII. Rothadum Suessionensem Episcopum Hincmarus Synodali sententiâ deposuit, frustra ad tribunal summi Pontificis provocantem communione privavit, eúmque, ne Romam transiret, carceri inclusit. Nicolaus Papa non statim Synodi ab Hincmaro congregatæ acta damnavit, sed his verbis rescripsit ad juris regulam exactis, & à tyrannico despotismo multùm alienis, simul monarchicam Papalem jurisdictionem vindicantibus: *Ss. Apostolorum Petri & Pauli, & nostrâ per eos authoritate fraternitati vestræ injungimus, ut si nostræ charitatis, communionis, volueritis esse participes, fratrem nostrum Rothadum Episcopio, & pristino honoris officio restituatis, aut si justè vos in eum egisse putetis, Romam eum eo vel vos, vel vester Legatus veniatis, ut utriusque partis causam ad liquidum sciamus.* Rothadus Romæ comparuit, ibi absolvitur, & Synodus Sylvanectensis reprobatur. Acta 3. Synodi Suession., cui præsedit Hincmarus, & subscripsit Rothadus, probant obedientiam Hincmari.

XXIX. In hac Suessionensi obstabat Hincmarus restitutioni Ulfadi & Sociorum, quos anterior ibi celebrata Synodus honore Sacerdotii dejecerat. Compertâ Nicolai Pontificis & Caroli Regis voluntate in Ulfadi favorem inclinante dixit in hac Synodo III. Archiepiscopus Bituricensis temperandam severitatem charitate, *sicut de prioribus statutis Sedem Apostolicam consuluimus, ita & ex hac nostrâ definitione ejus omnium Ecclesiarum matris responsionem exspectamus.* Synodicâ epistolâ Nicolao scripserunt omnes: *Consentaneum visum est rem totam Pontifici, à quo incboata est, consummandam relinquere.* Ab-

solu-

ſolutus eſt Ulfadus, acquievit Hincmarus, *ille antiquæ diſciplinæ obſervator, & jurium ſuorum tenax*, aliíſque præconiis mactatus à Febronio.

XXX. Imò (non credes Febroni) cùm ad Metenſem Synodum citaretur, ut ſuas adversùs Hilduinum accuſationes probaret, Synodi citationem provocatione ad tribunal S. Sedis fruſtrari maluit, quàm ſynodale judicium experiri.

XXXI. De quâ Synodo Nicolaus plures ob cauſas ita decrevit: *Synodum, quæ nuper Metis eſt congregata ab Epiſcopis, qui noſtrum prævenerunt judicium, quíque Apoſtolicæ Sedis inſtituta temerè violârunt, ex nunc in æternum judicamus eſſe caſſatam, & cum Epheſino latrocinio reputatam, & Apoſtolicâ authoritate in perpetuum ſancimus eſſe damnandam.*

XXXII. Hilduinum à Sede Cameracenſi dejicit Nicolaus, præter alias cauſas hanc objicit, quòd debitam Hincmaro ſuo Metropolitano reverentiam & ſubjectionem non exhibuerit. Ulfadum & ſocios jubet Hincmaro debitum honorem & obedientiam exhibere, qui reſponderunt ſe Archiepiſcopum Hincmarum *ſuper reſtitutione impetratâ benevolum perſenſiſſe, & paterno moderamine piâque lenitate ſe ab eo tractandos* confidere. Ex his Febroni, ſi non tuis, certè aliorum oculis perſpicuum erit, contra vim neſcio, quam imaginarii juris Iſidorici non reclamâſſe Epiſcopos Sæculi IX. duce Hincmaro, & hunc celeberrimum Antiſtitem aliquando cauſam bonam, non bene fuiſſe tutatum.

§. II.

Errores Febronii negantis cauſas fidei ſummo Pontifici reſervari, & Conciliis particularibus examen doctrinæ à S. Sede definitæ, imò & cuicunque Epiſcopo tribuentis.

1. *Febronii paralogismus contra reſervationem Papalem de cauſis fidei.*
2. *Refutatur per ſimile ratiocinium probans Diaconos ubique liberè prædicare & baptizare poſſe.*
3. *Singulos Apoſtolos ſeorſim non damnâſſe ſemper errores probatur facto Pauli & Barnabæ.*
4. *Falſiſſimè aſſerit Febronius uſque ad Sæculum X. ſemper damnatos fuiſſe errores ab Epiſcopis.*
5. *Improba criſis Febronii, quòd ſententia de reſervatis cauſis ſit S. Scripturæ & Conciliis contraria perſuaſio.*
6. *Benedictus XIV. diſtinguit inter errores proſcriptos & nondum proſcriptos, quantùm ad officium Epiſcopi.*
7. *Quid hac in re obſervaverit S. Bonifacius Germaniæ Apoſtolus in ſæculo VIII.*

8. *Quid*

8. *Quid eidem Zacharias Papa mandaverit hac in re.*
9. *Quid pro hæresi Monothelitarum in sæc. VII. fecerint Episcopi, quid contra eam Rom. Pontifices Severinus, Joannes IV. Theodorus & Martinus.*
10. *Juramentum Rom. Pontificum in eo sæculo probat, à quibus illa hæresis damnata sit.*
11. *Nisi S. Sedes obstitisset, totum Orientem ea hæresis tunc occupâsset.*
12. *Quid in VI. sæculo hac de re Episcopi declaraverint Vigilio Papæ.*
13. *Quid Pelagius Papa decreverit in eodem sæculo.*
14. *Quid Pelagii Successor Gregorius M. statuerit de causis fidei.*
15. *Quomodo in V. sæculo summi Pontifices tractaverint causas fidei.*
16. *Victoris I. decreta contra Quartadecimanos.*
17. *Quid Zephyrinus & Stephanus contra errores Græcorum.*
18. *Erroris Febronius convincitur à S. Bernardo & Gaufredo in causâ Gilberti.*
19. *Testimonium S. Bernardi.*
20. *Testimonium Gaufredi.*
21. *His duobus, qui tunc Remis erant apud Synodum, credendum, non autem Ottoni Frisingensi, qui longè aberat.*
22. *Calumnia Febronii contra Innocentium III.*
23. *Arbitraria restrictio verborum S. Scripturæ notatur.*
24. *Expenditur, quomodo Eutyches regulariter à S. Flaviano suo Episcopo damnatus sit.*
25. *Cùm Eutyches Romam appellâsset, S. Leo à S. Flaviano postulat relationem, ut ejus causa finiatur.*
26. *S. Flavianus mittit Acta Leoni, petens, ut hæresin cessare faciat.*
27. *S. Leo agnoscit manifestos esse errores Eutychetis per epistolam dogmaticam ad Flavianum.*
28. *Huic subscripserunt Anatolius Patriarcha & omnes Orientales.*
29. *Deinde tota Synodus Chalcedon. contestatur Eutychetis errorem peremptum hac epistolâ.*
30. *Frustra Febronius provocat ad damnationem Gothescbalci Monachi.*
31. *Verosimilius est errâsse Synodum Moguntinam, quàm Gothescbalcum.*
32. *Errat Febronius, dum dicit Berengarium primò fuisse damnatum in Synodo Turonensi.*
33. *Etiam errat, dum Abaëlardum dicit primò damnatum in Concilio Senonensi.*
34. *Fœdior ejusdem est error de primâ damnatione Lutheri.*
35. *Ostenditur, quid in ejus causâ fecerint Archiepiscopi & Episcopi Germaniæ.*
36. *Damnationem Leonis X. præcessit judicium Academicum Coloniensium & Lovaniensium, nullum autem judicium Episcopale.*

37. Ca-

37. *Canones Synodi Gangrensis authoritate Sedis Apostolicæ sunt conditi præside Hosio S. Sedis Legato.*
38. *Errores Manichæorum damnare poterat Synodus utpote jam antè damnatos.*
39. *Synodi Milevitanæ quinque Canones inserti Decreto Gratiani spectant hæresin Pelagianam à S. Sede damnatam.*
40. *Canon XVII. ejusdem Synodi est impertinens ad intentum Febronii.*
41. *Citatio Canonis Toletani est contra ipsummet Febronium.*
42. *Etiam citatio Decretalis Innocentii III.*
43. *Febronius probare nititur, quòd Synodi particulares & quilibet Episcopus habeat jus examinandi definitiones Pontificias.*
44. *Per hoc se facit novum ducem Acephalorum.*
45. *Malè probat intentum authoritate Concilii Arelatensis.*
46. *Quæ fuerit sententia S. Stephani in causâ Baptismatis, ostenditur.*
47. *Frivolum argumentum Febronii ex Decretali Alexandri III. iterum imperitè productâ.*
48. *Episcopos Pontifici consentire non est definitiones Pontificis novo examini subjicere.*
49. *Febronius fingit imaginarium ordinem tractandi quæstiones de fide olim fuisse observatum.*
50. *Victorem I. in causâ Paschatis non excessisse ostenditur.*
51. *Hac Febronianâ formâ fingit damnatum fuisse Paulum Samosat.*
52. *Causas schismatis fingit eâdem formâ fuisse judicatas, malè id probat exemplo Novatiani.*
53. *Idem perperam dicit de causis disciplinæ.*
54. *Quid de lapsis scripserit Cyprianus Clero Romano & Clerus Cypriano Sede vacante.*
55. *Victorem I. denuo producit, sed cum laude, quòd encyclicam miserit ad quasdam provincias,* & petiverit *informationem.*
56. *Petere, obsecrare, rogare non obstat authoritati Pontificiæ.*
57. *Rom. Pontifices rectè exspectant informationem super quæstione facti.*
58. *Febronius fatetur aliquando utiliter quæstiones fidei ad S. Sedem referri.*
59. *Quomodo & quo ordine velit Febronius, ut fiant tales relationes.*
60. *Ut legitimè damnet Papa errores, vult colligendas priùs esse sententias Episcoporum sui Patriarchatûs.*
61. *Monet cavendum Pontifici, ne Thomistis, Scotistis, Jesuitis fidat in materiâ fidei.*
62. *Ostenduntur alia absurda, quæ Pontificem & Episcopos implicabunt, ne remedium afferant.*
63. *Ex his concluditur conceptum Febronianum esse perniciosum, & ad fovendos errores maximè accommodum.*

64. *Anticonstitutionistis commune scutum contra Decreta Papalia errores damnantia firmat Febronius.*
65. *Præclara declaratio Emmi Card. Noallii de acceptatione constitutionis Pontificiæ factâ à Clero Gallicano.*
66. *Iterum & æquè inutiliter transit Febronius ad dissidium St. Cyp. & Stephani.*
67. *Febronius excerpta quædam profert ex libris S. Augustini* de Bapt. cont. Donat.
68. *Frivola illatio ex illis à Febronio formata refellitur.*
69. *Alia ratiocinia Febronii refutantur.*
70. *Ex verbis Febronii*: Fidei quæstiones ad Rom. Pontificem referri oportet, quia ad statum universalis Ecclesiæ attinere possunt, *rectè concluditur, semper judicium de fidei causis ad Rom. Pontificem pertinere.*
71. *Ex verbis S. Cyrilli à Febronio productis concluditur, statim causam fidei referendam, non autem differendam, usque dum* malum latiùs grassatur.
72. *Verba S. Aviti Viennensis profert Febronius contra se.*

I. Causam fidei summo Pontifici non esse reservatam Febronius continuâ errorum contexturâ probare nititur. Primum ejus hoc est argumentum: Singuli Apostoli, quia positi sunt regere Ecclesiam Dei, damnabant errores in Ecclesiis, quas curabant. Hoc certis exemplis dicit epistolas S. Pauli, S. Petri, S. Joannis ostendere. Atqui singuli Episcopi etiam positi sunt regere Ecclesiam tanquam Apostolorum Successores, & probè sciunt ad pastoralem sollicitudinem non minùs pertinere judicium de dogmatibus, quàm curam de puritate morum conservandâ, & abusibus vitiisque extirpandis; ergo ad singulos pertinet judicium & plena authoritas, approbandi dogmata, errores damnandi, ideóque decernere, quid sit de fide, quid pro damnato errore habendum sit, non est Rom. Pontifici proprium.

II. Similis formæ, paris etiam infirmitatis est hoc ratiocinium: Singuli Diaconi Apostolici damnabant errores Evangelio & libertati christianæ contrarios, *nemo poterat resistere sapientiæ & spiritui*, qui per eos *plenos Spiritu S. & sapientiâ* loquebatur. S. Scriptura nobis certa exercitæ per eos potestatis exempla prodit in Actis S. Stephani & S. Philippi Diaconorum. Jus prædicandi Evangelium conservârunt Diaconi eorum Successores, & non secus ac ipsi ad S. Diaconium assumpti sunt, ut prædicent Evangelium & baptizent, probè noscentes non minùs ad eos officium dogmata fidei, quàm morum & vitæ puritatem docendi pertinere, ergo jam certis locorum finibus circumscriptum non est Diaconorum ministerium, possúntque jam Diaconi ubicunque dicere: *Ecce aqua, quid prohibet baptizari? Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi?*

Act. 6. & 7. *Act. 8. & 10.*

III. Etiam verum non est errores à singulis Apostolis seorsim semper fuisse dam-

damnatos. Certè illi Antiocheni errabant, qui, dum apud eos Paulus & Barnabas morabantur, cum christianâ lege tentabant Mosaicam componere, non tamen à duobus illis Apostolis ejus erroris authores ibi damnabantur, sed Hierosolymam itum est; ibi Ss. Petri & aliorum judicio synodali causa fuit disceptata & finita. Ut juris & potestatis exercitio differunt Diaconi nostri temporis à Diaconis Apostolicis, ita Episcopi ab Apostolis differunt.

IV. Alterum Febronius argumentum à constanti more primorum temporum ita format: Legimus Episcopos primorum temporum in hæreses nascentes inquisivisse, detectas damnâsse. Nullam pene hæresim in Conciliis generalibus damnatam fuisse, quàm antè non damnaverint Episcopi vel particularibus, vel synodalibus Decretis. De hoc more, inquit, dubitatum non fuit ante sæculum X. in quo ex Isidori Decretalibus cœptum est dici quæstiones fidei ad Sedem Apostolicam esse referendas, ejúsque solius judicio terminandas. Dicit ita visum esse Cardinalibus in causâ Gilberti Porretani; postquam damnatus fuit in Concilio Remensi, eos dixisse: *Nulli fas est quidquam determinare circa fidem citra authoritatem Rom. Pontificis.*

V. Hanc persuasionem pro suo more audacter dicit *S. Scripturæ, toti antiquitati, Conciliorum definitionibus & observantiæ universalis Ecclesiæ contrariam*, eò tamen invaluisse, ut Innocentius III. in Cap. 3. de Bapt. rescripserit Archiepiscopo Arelat. *majores Ecclesiæ causas, præsertim quæ fidei articulos contingunt, ad Petri Sedem referendas esse*, quia fassus est Petrus *Christum esse filium Dei vivi, & pro eo rogavit Dominus, ne deficiat fides ejus.*

VI. Solicitè in errores nascentes inquirere, semper ad Episcopos pertinuit & pertinebit; sed si quid detectum fuerit ambiguum, quòd hæreticâ pravitate infectum alii docti affirmant, alii negant, Episcopali authoritate tanquam hæresin certam configere, damnare est limites potestatis Episcopalis prætergredi. Verissimè ait Benedictus XIV. *Quamvis nequeat Episcopus quæstiones ad fidei doctrinam pertinentes definire, non tamen prohibetur, ne aut in Synodo aut extra Synodum cavendos jubeat errores, jam ab Ecclesiâ proscriptos. Commendandi erunt*, inquit, *Ecclesiarum Præsules, si suum studium & curam impendant, ut eorum, quibus præsunt, errores præcidant, depravatósque mores corrigant.* *Benedict. XIV. de Syn. L. 6. C. 3.*

VII. Cùm S. Bonifacius in Germaniâ non solùm Clericos, sed & Episcopos hæreticâ pravitate infectos animadverteret, etiam novam hæresin ab Aldeberto & Clemente suscitari, suâ quidem authoritate illorum insaniæ obstitit, sed statim Zachariæ Pontifici impia eorum dogmata Papali judicio damnanda submisit. Statim Pontifex anno 745. contra novos hæreticos sententiam tulit, jussítque eam Bonifacio transmissam *in publicis conventibus legi.*

VIII. Eidem aliâ epistolâ mandavit Pontifex, ut, si novi hæretici in superbiâ perstiterint, Romam referat, ut *profundâ inquisitione coram Sede Apostolicâ*

licâ eorum causa inquiratur. Certè nec Isidorus, nec Gratianus decepit S. Bonifacium, sed Patrum doctrinam, & antiquum Ecclesiæ morem secutus est. Hic mos erat Sæculi VIII.

IX. In sæculo VII. ecthesin, quam composuit Sergius Patriarcha Cp. pro Monothelitarum hæresi ab Heraclio Aug. protectam Episcopi approbârunt in synodo, damnavit Papa Severinus, & à Paulo Sergii Successore ad eam hæresin fulciendam iterum per Episcopos confirmata, iterum damnatur per Joannem IV. Hæc damnatio innovatur per Successores Pontifices Theodorum & Martinum.

X. Qui his in eo sæculo successerunt Pontifices usque ad sextam synodum generalem, omnes jurârunt his verbis: *Profitemur cuncta decreta Pontificum Apostolicæ Sedis; sanctæ recordationis Severini, Joannis, Theodori, Martini custodire, qui adversùs novas quæstiones in urbe Regiâ exortas, & pro patriâ doctrinâ cuncta zizaniorum scandala amputâsse noscuntur.*

XI. Monothelismi duces erant Episcopi: Theodorus, Sergius, Paulus, Cyrus, Macarius, his maxima pars Episcoporum Orientalium tum ultro adhærebat, tum vi metúque. Ad hos populorum Pastores à fide orthodoxâ devios in viam rectam reducendos nisi Sedes Apostolica dedisset operam, non impedito progressu totum Orientem ea hæresis fuisset occupatura.

XII. In VI. sæculo Sacerdotium & Imperium, seu Papalem & Cæsaream authoritatem collisit controversia de tribus Capitulis totidem Episcopos concernentibus, nempe orthodoxiam Theodori Mopsuesteni, & Ibæ, & Theodoreti. In Concilio V. generali Vigilio Pontifici declarant Episcopi Græci: *Quæcunque quatuor synodi damnaverunt, damnamus, sicut ab iisdem synodis communi consensu cum Vicariis Sedis Apostolicæ judicata aut definita inveniuntur, irretractabiliter conservamus, sed & beatæ recordationis Papæ Leonis epistolas, & Sedis Apostolicæ constituta, quæ tam de fide, quàm de firmitate quatuor Synodorum præcesserunt, nos in omnibus servaturos promittimus.*

XIII. Cùm post synodum turbæ non quiescerent, Pelagius Vigilii Successor Episcopos inquietos epistolâ encyclicâ ad pacem hortatus est: *Quisquis*, inquit, *ab Apostolicis divisus est sedibus, in schismate eum esse non dubium est, & contra universalem Ecclesiam altare conatur erigere.* Idem septem Episcopis Tusciæ schismaticis rescripsit: *Mirati sumus ita vos authoritatis oblitos, ut divisionem vestram ab universâ Ecclesiâ meo etiam volueritis assensu confirmari, & quos decuit populorum ignorantiam Sacerdotali doctrinâ comprimere, in contumeliam Sedis Apostolicæ, plebis velle sequi judicium.*

XIV. Pelagii Successor Magnus Gregorius ad Episcoporum schisma comprimendum Severo Aquileensi Episcopo scripsit: *Ad B. Petri Apostoli limina cum tuis sequacibus venire te volumus, ut authore Deo aggregatâ synodo de eâ, quæ inter nos vertitur, dubietate judicetur.* Cùm schismaticos eò

furor

furor abripuisset, ut mitissimo Pontifici responderent: *Cum quo nobis causa est,* scilicet Rom. Pontifice, *eum judicem experiri non possumus*; cùm etiam Mauritii Imperatoris protectio accederet, spes Gregorii ad tempus fuit intercisa per Episcopos, non tamen destitit populis viam salutis & doctrinam veritatis ostendere. Ne quid autem per synodos contrarium sanæ doctrinæ aut bonis moribus induceretur, voluit, ut earum Acta & Decreta sibi mitterentur. Syagrio Augustodunensi mandavit, quæ in synodo *sub anathematis interpositione* damnare debeat, & ut sibi, *quæ acta fuerint*, *Cyriaco Abbate Romam remeante studeat renuntiare.* Aregium Episcopum jussit synodo interesse: *De quâ*, inquit, *omnem nobis subtiliter ordinem tuam fraternitatem volumus scriptis nuntiare, ut ipse, cujus nobis sanctitas valde experta est, nos reddas de omnibus certiores.* Africanis Episcopis mandavit, ut Donatistas comprimant, *inter se de mediis consulant, quâ ratione nascenti malo valeant obsistere, ne vires ex neglectu percipiat, & festinanter Paulum Episcopum ad se dirigant, ut nefandissimæ pravitati medicinam dignæ correptionis possit imponere.* Hæc erat VI. sæculi disciplina.

XV. Quibus argumentis Pontificum Romanorum solicitudo in V. sæculo providerit Fidei Catholicæ, præprimis ostendit historia Pelagianorum. Alia synodus damnabat Cœlestium, alia tuebatur Pelagium; discordantibus Episcopis ancipites & in partes distracti huc illuc impellebantur Clerici & laici. Non hi tantùm, sed & Episcopi, atque inprimis ii, qui Hierosolymis & Carthagine & Milevi convenerunt, Innocentii Pontificis judicium exspectabant. His respondit Innocentius: *Antiquæ Traditionis exempla servâstis, ut qui ad nostrum approbâstis referendum esse judicium, scientes, quid debeatur Apostolicæ Sedi. Demum*, inquit, *Ecclesiasticâ communione privatos Apostolici vigoris authoritate censemus, donec resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur.* Copiosiùs de Pelagianis actum est suprà in Dissertatione II. Pelagianos per hypocrisin se occultantes & Priscillianistas Episcoporum dissimulatione foveri indignissimè tulit S. Leo: *Quâ*, inquit, *conscientiâ honorem sibi præstitum tenent, qui pro animabus sibi creditis non laborant? Bestiæ irruunt, & ovium septa non claudunt, fures insidiantur & excubias non prætendunt; morbi increbescunt, & remedia nulla prospiciunt.* Nestorii hæresin eodem hoc sæculo natam nulla synodus, nullus Episcopus ante Cœlestini super ejus novâ doctrinâ cognitionem damnavit. Cyrillus Alexandrinus, ne per moram augerentur incommoda, Cœlestino Pontifici relationem super his, quæ Constantinopoli tunc agebantur, mittere non distulit. Cyrillo obstabant Episcopi non pauci, Papalis definitio causam finivit; ejus authoritas Ephesinam Synodum promovit, confirmavit.

XVI. Nec desunt anteriorum sæculorum exempla. Victoris Papæ sententiam contra Quartodecimanorum errorem nullus Episcopus vel in Synodo vel extra Synodum damnando præcessit.

XVII. Zephyrini Papæ de Mœchis ad pœnitentiam recipiendis edictum contra Episcopos Africanos illis pœnitentiæ locum occludentes Tertullianus eidem errori addictus agnoscit fuisse primum & *peremptorium Pontificis Maximi*, *Episcopi Episcoporum*, & dum illud tanquam apertam sponsæ Christi prævaricationem impugnat, quæ fuerit Catholicorum illius ætatis de Rom. Pontifice communis sententia, licet invitus, confirmat. Africanorum error de Baptismate ab Hæreticis collato primùm à Stephano Papâ damnatur; ejus judicium de verâ traditione nullius Episcopi, nullius synodi sententia anteverterat.

XVIII. De Gilberti Porretani Episcopi errore & ejus damnatione Febronium falsi convincunt duo testes, qui Concilio Remensi interfuerunt, S. Bernardus & Gaufredus.

S. Bern. Serm. 80. in Cant. Edit. Venet. 1726. XIX. Prior inquit: *Non immeritò nuper in Concilio, quod Papa Remis celebravit, tam ipsi, quàm cæteris Episcopis perversa visa est expositio Gilberti Pictavensis.* Recitatis confutatisque ejus erroribus dicit Gilbertum in eodem conventu ea, quæ reprehensione digna inveniebantur, proprio ore damnâsse, ideo se hæc non propter illum memorare, sed *propter eos, qui adhuc librum contra Apostolicum ibi promulgatum interdictum lectitare feruntur, contentiosiùs persistentes sequi Episcopum, in quo ipse non stetit; malentes erroris, quàm correctionis Magistrum habere.* Addit: *Sed & propter vos, ut si qui fortè ex aquis furtivis, quæ dulciores videntur, aliquid biberint sumpto antidoto evomant illud, & purgato mentis stomacho puriora in gaudio non de nostris hauriant, sed de fontibus Salvatoris Sponsi Ecclesiæ.*

XX. Gaufredus Cardinali Albino, quid Remis coram Eugenio de Gilberto tractatum, judicatúmque sit, exponit. Dicit à synodo electos fuisse Hugonem & Milonem Episcopos, & Abbatem Sugerium, ut Pontifici & Cardinalibus, quid synodus sentiret, exponerent; hos brevem Scripturam exhibuisse: *Tenetis*, inquiunt, *confessionem Gilberti scriptam, convenit, ut teneatis & nostram.* Gaufredus quatuor utriusque partis capitula exhibet Albino Cardinali; addit: *Sine cunctatione Dominus Papa respondit, & universis, qui dictos tres miserant, renuntiare præcepit, quòd ab ea confessione in nullo prorsus Romana Ecclesia dissentiret, &, si stare aliqui visi fuerant pro persona Gilberti, non stabant aliquatenus pro doctrinâ.* Tum testatur Gaufredus coram universâ Ecclesiâ ab Eugenio interrogatum Gilbertum suis capitulis renuntiâsse liberè, & *Dominum Papam authoritate Apostolicâ hæc damnâsse, & ejus libri lectione omnibus interdixisse.* Contra hos testes undenam Febronius commenti sui patrocinium quærat?

XXI. Ottoni Frisingensi amico Gilberti, qui Remis longè tunc aberat, fidem adhibere nón debuit, ut aliàs ostensum est.

XXII. Innocentio III. impudenter admodum calumniatur, dum dicit, eum persuasione ductum non tantùm falsâ, sed S. Scripturæ, toti antiquitati,

Con-

Conciliorum definitionibus, & observantiæ universalis Ecclesiæ contrarii. Si sacras Scripturas, ut loquitur S. Petrus, indocti & in via veritatis instabiles depravent ad suam ipsorum perditionem, & insipientium errore traducti excidant à firmitate, dicat Febronius, an Innocentium III. indoctis annumeret, aut inter instabiles censeat, dum verba Christi ad Petrum dicta Petri Successoribus tribuebat præsertim in causis articulos fidei contingentibus? Doctum fuisse Innocentium ne ipse quidem Febronius negaverit. Sciebat igitur, quid de hac verborum Christi ad Successores applicatione olim judicaverint sancti Pontifices Julius, Leo, Gelasius, alii. Ostendat Febronius aliquem Pontificem aliquod Concilium ante hunc Innocentium, cui hæc verborum Christi explicatio repugnet, aut à quo definitum fuerit, hæc verba Domini ita ad solum Petrum fuisse restricta, ut ad ejusdem Successores debeant non extendi. Inerrantiæ dono se non pollere & hic & sæpè aliàs demonstrat Febronius.

XXIII. S. Scripturam ita suo systemati accommodat Febronius, ut verba cuicunque Parocho & prædicatori applicanda solis tribuat Episcopis: Docent, inquit, S. Scripturæ Canones, Episcopum esse debere Doctorem *rectè tractantem verbum veritatis, attendere debere doctrinæ, amplecti fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, & eos, qui contradicunt, arguere, depositum custodire, vitare profanas vocum novitates, hæreticum corrigere & vitare;* quæ omnia cùm ad quemcunque parochum, imò quemcunque verbi divini prædicatorem & catechistam pertineant, viderit Febronius, quid ad fulciendum ejus paradoxon sancta hæc verba conferant.

XXIV. Legatos Leonis Papæ dixit ad Concilium retulisse, quòd Eutyches *regulariter à proprio Episcopo Flaviano damnatus sit.* Lepidè admodum suppetiis Pontificiorum Legatorum utitur Febronius, ut Sedis Pontificiæ dignitatem his adjutoribus debellet. Res ita se habet: Eutychetem ad Synodum Cpolitanam, quam Flavianus ejus Ecclesiæ Patriarcha alias ob causas convocârat, citatum & naturas in Christo distinctas negantem Sacerdotii officio & communione privavit.

XXV. Ad Leonem Papam appellavit Eutyches. Cùm Romæ callidè simularet, nihil se novum contra fidem protulisse; Leo *plenissimam relationem* postulat, *ut amputatis dissensionibus Fides Catholica inviolata servetur, & his, qui prava defendunt, ab errore revocatis Pontificiâ authoritate, quorum fides fuerit probata, muniatur.* Imperatori scripsit Leo, se pleniorem informationem exspectare à Flaviano, *ut in lucem ductis, quæ adhuc videntur occulta, id quod Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ convenit, judicetur.*

XXVI. Flavianus non respondit judicium Episcopale à Rom. Pontifice retractari non posse, sed quòd Eutyches errores in Ephesinâ Synodo damnatos ipse confessus ob contumaciam depositus fuerit; *acta super eo confecta* misit Leoni, petitque, *ut hæresin tumultúmque cessare faciat* his verbis: Igitur

san-

ſanctiſſime Pater dignare per proprias literas ſuffragari depoſitioni adverſùs eum factæ, ſic & quæ inſurrexit hæreſis, & excitatus tumultus ceſſabit.

XXVII. Theodoſio Aug. urgenti, ut Concilium convocaretur, ſcripſit Pontifex causâ cognitâ: *Tam evidens eſt Fidei cauſa, ut rationabiliùs à ſynodo ſit abſtinendum, quia non talis quæſtio orta eſt, de quâ aut poſſit, aut debeat dubitari.* Epiſtolam dogmaticam de Ss. Myſterio contra hos novos errores Papa miſit Flaviano, Epiſcopis & aliis fidelibus communicandam.

XXVIII. Anatolius Cpol. Patriarcha ſynodo convocatâ cum omnibus orientalibus huic epiſtolæ ſubſcripſit, & anathema contra Eutychetem conclamatum eſt. Theodoſio, cùm à conſilio convocandi ſynodum non abſiſteret, Leo dedit aſſenſum, Legatos miſit, qui ſuo nomine præſiderent. Congregatur Epheſi Synodus, ſed Dioſcori fraudibus Eutyches abſolvitur cum 300. Monachis, qui ei conſenſerunt; damnatur S. Flavianus, carceri traditus ad Sedem Apoſtolicam appellat.

XXIX. Tota deinde Chalcedonenſis Synodus declaravit: *Hæc Apoſtolorum fides. Petrus per Leonem locutus eſt* Fidei definitio in ſynodo his hac de re verbis recitatur ab Aëtio: *Sancta & univerſalis Synodus ſuſcipit epiſtolam ſancti Archiepiſcopi Leonis ad Flavianum (ad perimendam malam Eutychis intelligentiam) utpote magni illius Petri confeſſioni congruentem & communem quandam columnam exiſtentem adverſùs malè ſentientes.* Quanquam *regulariter* ſub initium Flavianus pertinacem Eutychetem damnaverit, non tamen Flavianus, nec S. Synodus generalis hæreſin peremptam cenſuit ante dogmaticam epiſtolam S. Leonis. Hoc Acta Chalcedonenſis Synodi demonſtrant.

XXX. De Goteſchalco Monacho Febronius non neſciat Archiepiſcopos duos Rabanum Mogunt & Hincmarum Rhem. fidem feciſſe, quòd inſcio ſuo Epiſcopo Sueſſionenſi Rhemis ordinatus Romam ſinè legitimo permiſſu abierit; ex Italiâ ejectus fuerit ob ſparſos de prædeſtinatione errores; illum ideo Moguntiæ captum & Hincmaro transmiſſum eſſe. Multa de ejus deliramentis, de apparitionibus, inſpirationibus propheticis narrat Hincmarus fidei ſuſpectæ, ſi quisquam, hac in causâ. Quis neget, ſi Monachus ſimilis vagabundus nunc Coloniæ appareret, Ordinario conformiter Tridentinæ Synodo ad Archidiœceſeos publicam tranquillitatem convenire jus coërcendi abſque Synodi convocatione?

XXXI. Pro Gotheſchalci Monachi orthodoxiâ pugnârunt integerrimi vindices S. Remigius Archiepiſcopus Lugdunenſis cum ſuâ Eccleſiâ, qui non dubitavit aſſerere, quòd *in Gotheſchalco miſerabili veritas Eccleſiaſtica fuerit damnata, & quæ de divinâ prædeſtinatione dixit, juxta regulam Catholicæ fidei manifeſtiſſimis Ss. Patrum teſtimoniis confirmari, nec ab ullo, qui Catholicus haberi vult, reſpui poſſe.* Etiam Gotheſchalcum innocentem cenſuit S. Prudentius Epiſcopus Trecenſis, eúmque injuſtè damnatum eſſe aſſeruit.

ruit. Diligenter tractatas propositiones, quæ Gotheschalco tribuebantur, à veritate fidei Catholicæ alienas non esse ostenderunt Lupus Ferrariensis & Ratramnus Corbejensis. Rabanum Archiepiscopum Moguntinum acriter arguit S. Remigius, quòd in Synodo Moguntinâ errores Gotheschalco affingi passus fuerit, quos nunquam Monachus ille docuit, & quòd Rabanus eundem iniquo judicio synodali damnatum tradiderit Hincmaro Remensi, cui, ùt ait, Sirmondus proclive erat falli & fallere, & qui per Conventum Carisiacum curavit confirmari sententiam synodi Moguntinæ. Capitula Carisiaca per Concilium Valentinum tanquam erronea ac veritati contraria proscripta sunt, & Canones dictæ Synodi Valentinæ pro tuendâ doctrinâ Gotheschalci editos à Nicolao I. confirmatas esse, testatur S. Prudentius Trecensis. Hæc de Gotheschalci causâ refert Roncaglia in Animadversionibus ad Natalis Alexandri dissertationem de Gotheschalco. Quid verò culpæ eidem justè imputandum sit, observat doctissimus Mabillonius: *Certè*, inquit, *Gotheschalcus paulò jactantior & audacior fuisse videtur atque inutilium quæstionum sectator, quam ejus nimiam impetiginem à Lupo Abbate* dicit *reprehensam fuisse.* Vide nunc Febroni, quid confeceris illâ tuâ interrogatione: *Quis nescit errores Gotheschalci in Concilio Moguntino fuisse damnatos?*

XXXII. De Berengario Andegavensi vicissim ego Febronium interrogo: Quis nescit à Leone Papâ ejus hæresin fuisse damnatam toto quinquennio ante Synodum Turonensem, in quâ coram Hildebrando Victoris Papæ Legato errorem revocavit anno 1055?

XXXIII. De Abaelardo par est Febronii hallucinatio. Inspiciendæ erant epistolæ S. Bernardi ad Episcopos, ad Cardinales, & Innocentium Papam, quæ demonstrant ab hoc Pontifice an. 1140. damnata fuisse dogmata hæretica Abaëlardi cum suo authore: *Episcopi*, inquit Bernardus, *qui propter hoc in unum convenerant, vestræ Reverentiæ* (Innoc. Papæ) *deferentes nihil in ejus personam egerunt, sed tantummodo capitula librorum ejus à Ss. Patribus condemnata, ne morbus serperet, medicinali necessitate abjudicârunt. Quia multitudinem trahit post se, necesse est, ut huic contagio celeri remedio provideatis. Processimus, quousque ausi sumus. Tuum est de cætero Beatissime Pater providere, ne in diebus tuis aliquâ hæreticæ pravitatis maculâ decor Ecclesiæ maculetur.* 17. Kal. Aug. Eodem anno secuta est damnatio. Jam antè in Concilio Suessionensi sub Conone Legato Pontificio damnatus fuerat ejus liber de Ss. Trin.

XXXIV. Fœdior est Febronii hallucinatio in historiâ nostræ Germaniæ, dum dicit: *Quis nescit errores Lutheri primitus à variis Episcopis & particularibus Conciliis fuisse damnatos.* Tezelium Dominicanum, & Ekium Canonicum Germanos, ac Sylvestrum Prieratem Italum Dominicanum primos adversarios habuit Lutherus eo anno 1517. quo cœpit contra Indulgentias (quas vocant) quæstuarias declamare.

XXXV. Alberto Brandeb. Archiep. Mogunt. & Brem. postea Cardinali theses 95. à se concinnatas obtulit protectionis speratæ fiduciâ. His oppositas à Tezelio theses 105. impressas Wittebergensium quorundam Academicorum petulantia igni tradidit. Gabrieli Episcopo Eustadiensi Ekius suam in quasdam Lutheri theses censuram obtulit. Lutherus exegesin apologeticam contra Ekium edidit, & ab Hieronymo Episcopo Brandeb. cujus tunc Diœcesi suberat Wittenberga, approbationem petiit rogans, ut probet, quæ probanda censuerit, delenda deleat; declarans etiam, se fore contentum, si totum scriptum flammis addicatur. Idem hoc scriptum per generalem sui Ordinis Leoni Pontifici fecit exhiberi. Richardus à Greiffenclau Archiep. Trevirensis Confluentiam instante Miltitio, & Cajetano probante designavit ad Colloquium cum Luthero super suscitatis dissidiis. Lutherus comparere noluit. Joannes Episcopus Misnensis libellum Lutheri de Sacramento Eucharistiæ intra hanc Diœcesin distrahi vetuit 4. Jan. an. 1520. Eodem anno 14. Jun. Leo Papa libros Lutheri damnavit, & comburi jussit, sed authorem ad resipiscentiam paternè invitabat. Ekius, qui tunc Romæ erat, Episcopis Misnensi, Merseburg. & Brandeburgensi Bullam transmisit publicandam, & valvis Ecclesiarum affigendam, qui continuò paruerunt jussis Papalibus. Jam te verbis S. Hieronymi ad Rufinum convenio Febroni: *Responde, quæso, Synodus, à quâ excommunicatus est, in quâ urbe fuit? Dic Episcoporum vocabula, profer sententias subscriptionum, vel diversitatem, vel consonantiam, Galliæne tantùm, an & Italiæ & Hispaniæ Episcopi fuerunt?* (Dicam ego, an Germaniæ tantùm, an & Galliæ & Belgii?) *Nihil horum nominas.*

S. Hier. L. 1. apol cont. Ruf. C. 5.

XXXVI. Theologi Colonienses & Lovanienses publico Facultatis Theologicæ Decreto, quid de Martini Lutheri thesibus, sermonibus ac libris sentirent, anno 1519. declaraverant: *Sed primitus à variis Episcopis & particularibus Conciliis damnatos esse Lutheri errores*, antequam eos Papa damnaret, Febronii commentum est.

XXXVII. Canones Synodi Gangrensis in sextâ Synodo Romanâ Symmachus Papa dixit *authoritate Sedis Apostolicæ* conditos Præside Osio Legato contra Manichæorum errores & superstitiones.

XXXVIII. Hæresin illam dixit S. Augustinus *stultam & infamem.* S. Leo I. de eâ dixit: *Quod in aliis hæresibus sacrilegum atque blasphemum est, in eam quasi sentinam quandam cum omnium sordium concretione confluxit.* Nemo negat Episcopis jus à grege sibi commisso arcendi talem insaniam.

XXXIX. Quinque Synodi Milevitanæ decreta, quæ Gratianus *Distinctioni 4. de Consec.* inseruit, ad Pelagianam hæresin pertinent, ad cujus condemnationem plenam perfectámque, quid S. Sedis Apostolicæ authoritate supremâ superaccesserit, ipse S. Augustinus, qui Milevitano Concilio interfuit, irrefragabilis est testis, dum dixit, Romano Rescripto causam esse *finitam*, non verò (ùt malè vertit Fleury) *judicatam*.

Obs. sur l'hist. de Flury liv. 24. n. 25.

XL.

XL. Quod autem ex eodem Concilio Milevitano Febronius affert decretum in causâ 32. q. 7. c. 5. est ad muniendam thesin Febronianam impertinens. Canonis hæc verba sunt: *Placuit, ut secundùm Evangelicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito alteri conjungantur, sed ita maneant, aut reconcilientur. Si contempserint, ad pœnitentiam redigantur.* Quid justæ illationis ex his pro Febronio conficiatur?

XLI. Æquè ridicula est illa citatio Canonis in Concilio Tolet. 12. his juxta Gratianum verbis concepti: *Peractâ consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere limitibus: Sic enim Apostoli statuerunt & S. Romana Ecclesia.* Quamvis expressè Patres Toletani Apostolorum & Rom. Ecclesiæ authoritatem se revereri & sequi profiteantur, ausus tamen est Febronius ex ipsismet his verbis eam reverentiam apertè significantibus contra S. Rom. Ecclesiam formare argumentum.

XLII. Imò & ipsummet Pontificem Innocentium III. in *cap. 3. de Presbyt. non baptiz.* facit suæ theseos assertorem, quâ imputatione nihil cogitari potest à bonâ mente magis alienum: *Quia* (inquit Pontifex) *in Concilio apud Compendium legitur constitutum, quod si quis in Presbyterum ordinatus deprebenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur. Nos, quòd tutius est, sequentes mandamus* (Episcopo Ferrariensi) *quatenus per singulos Ordines usque ad sacerdotium promoveat eum, qui post Sacerdotium compererat se baptizatum non fuisse.* Quis effrenatam audaciam satis miretur, quâ ex his verbis argumentum contra Sedem Pontificiam extunditur?

XLIII. Alterum, quod hic probandum assumpsit Febronius, est hoc, quòd Conciliis particularibus & cuicunque Episcopo sit authoritas examinandi doctrinam à S. Sede Apostolicâ definitam.

XLIV. Hactenus improbo studio conatus est Febronius Rom. Pontificem cuicunque Episcopo æqualem facere, nunc tanquam novorum Acephalorum coryphæus Rom. Pontificis authoritatem etiam cuicunque Episcopo, cuicunque particulari synodo subjicere attentat, ut si in causâ Fidei definiendo erraverint, emendetur, & si quando fides ejus, Ecclesiam falsa docendo, defecerit, recta sapere, & orthodoxa dogmatizare doceatur. Gemina est hujus paradoxi probatio. Alteram Febronio præbuit sententia Synodi Arelatensis à Gratiano producta, alteram Alexandri III. Decretalis corpori juris à Gregorio IX. inserta.

XLV. Quid verò est, quod evincat, aliud edixisse S. Stephanum, aliud Synodum Arelatensem? Verba Synodi hæc proponit Gratianus: *De Arianis placuit, si ad Ecclesiam aliqui ab hac hæresi venerint, interrogent eos nostræ fidei Sacerdotes symbolum, si perviderint eos in Patre & Filio & Spiritu S. baptizatos, manus eis tantùm imponatur, ut accipiant Spiritum S. Qui si interrogati non responderint hanc Trinitatem, baptizentur.* Hoccine est Febroni *suo examini subjicere decisionem Stephani, illámque aliter quodammodo*

modo definire? Ita est, inquis, cùm Stephanus edixerit *à quibusvis hæreticis quâcunque labe infectis validè administrari baptismum*; Arelatenses autem negaverint omnes ab hæresi Arianâ venientes pro validè baptizatis habendos esse. Quòd S. Cyprianus universim omnes hæreticos excluserit, ejus epistolæ convincunt.

XLVI. Quòd autem quoscunque hæreticos, quâcunque verborum formâ utantur, seu nomina Ss. Trinitatis exprimant, seu verbis omnino aliis baptizaverint, suo decreto complexus sit S. Stephanus, ex tam perspicuis, qualia Cyprianus posteris reliquit, monumentis hujus S. Pontificis declarari non potest, ideo ex eorum, qui illius decreto renitebantur, argumentis & subsecutis Conciliis ac Ss. Patrum sententiis debet Catholicus colligere, quænam verè fuerit Stephani sententia. At verò Stephani sententiam Firmilianus ideo absurdam censebat, quòd *non putetur quærendum, quis baptizaverit, eò quòd gratiam consequi potuerit baptizatus invocatâ Trinitate nominum Patris & Filii & Spiritûs S.* Imò & S. Cyprianus hoc tribuit sententiæ Stephani, quòd *baptismum hæreticorum ratum habuerit ob majestatem nominis, quod invocatur super eum, qui baptismum suscipit.* S. Vincentius Lerinensis laudat Stephanum, quòd *ab eo retenta sit antiquitas*, & contra Agrippinum, qui senserat, quod postea sensit Cyprianus, *undique fuerit à cunctis reclamatum propter novitatem.* Dum Patres Concilii Nicæni definierunt omnes hæreticos suscipiendos (exceptis Pauli Samosateni discipulis) sinè baptismi iteratione, nos docuerunt, quæ interpretatio sit verbis S. Stephani tribuenda, nempe ea, quam Hieronymus & Augustinus & omnes Catholici amplexi sunt, à quibus Febronius maluit, quàm à Launoio, & Blondello, & Basnagio recedere, tantùm ut Lectoribus sanctum hunc Pontificem ab aliquâ particulari Synodo correctum & emendatum proponeret.

Nat. Alex. hist. Eccl. Sæc. 3. Diss. 14.

XLVII. Non minùs frivolum est alterum à Decretali Alexandri III. formatum Febronii argumentum. Ex ipsismet Alexandri verbis liquet, non de doctrinâ fidei toti Ecclesiæ propositâ fuisse quæstionem. Ait enim Pontifex: *Si quando TUÆ Fraternitati dirigimus, quæ animum TUUM exasperare videntur, turbari non debes.* Ait: *Qualitatem negotii, pro quo TIBI scribitur.* Nemo Pontificum hactenus de illius Rescripti justitiâ dubitavit, nemo fidelium negat in particularibus negotiis Papali judicio submissis Rom. Pontificem subreptione vel obreptione falli posse, quòd satis ex Benedicti XIV. *Tractatu de Synodo* suprà probatum est. Sed Febronianâ fronte opus est, ut à particularibus negotiis judicio Papali submissis audacter fiat extensio talis, qualem ipse facere tentavit.

XLVIII. Neque hanc ejus audaciam aut excusat, aut minuit, quòd in Conciliis subscribant Episcopi: *Ego judicans, ego consentiens subscripsi*, aut quòd *cum ipso Rom. Pontifice judicare censeantur*, cùm, post judicium Rom. Pontificis

ficis definitivum, illud examini subjicere, & emendare non sit *consentire*, neque *judicare cum ipso*.

XLIX. Quæstiones *de Fide*, *Schismate* & *communi Disciplinâ* dicit ex sententiâ Concilii Constant. necessariò ad judicium Ecclesiæ universalis esse deferendas, non verò tunc, *quando sævientibus persecutionibus adunari generalia Concilia non possunt*; tunc ad Episcopos judicium de his pertinere per Synodos particulares, iterum cum restrictione: *Quantùm id ferunt tempora & circumstantiæ* synodalia conclusa olim, inquit, *Episcopi ad Papam transmittebant. Papa cum omnibus totius mundi Ecclesiis ea communicabat. Cunctorum colligebat sententias. Papa faciebat conclusum commune. Hoc omnibus dein propalabat. Hoc ab omnibus erat acceptandum*, *si* tamen Canonibus, & sententiæ communi Ecclesiarum conforme visum esset, ideóque Papam Victorem I. in Paschatis negotio notat *quodammodo excessisse*. Quis crederet ex latebrâ Jurisconsulti Catholici prodire potuisse tantam farraginem ineptiarum?

L. Quæstio erat *facti*: An, quo die quidam Asiatici faciebant Pascha, eo die illud facerent alii. Theophilo Cæsareensi in Palæstinâ Episcopo committit Victor Synodi convocationem, ut *vicinarum regionum morem certiùs cognosceret*. Quis inde Febroniana somnia sibi confingat de illâ missitatione reciprocâ definitionum, communicatione cum omnibus totius mundi Ecclesiis, collectione sententiarum, fabricatione communis conclusi, ejus subsequâ propalatione, & denique libertate illud acceptandi, juxta cujusque arbitrium expensâ ejus conformitate cum Canonibus & sententiâ communi, aut difformitate?

LI. Fidei causam dicit hâc formâ tractatam, dum concordi sententiâ an. 272. damnatus est Paulus Episcopus Samosatenus. Sed illum à duobus Dionysiis Rom. Pontifice & Alexandrino damnatum testatur S. Athanasius. Cùm ob dolo simulatam pœnitentiam in anteriore synodo Antiochenâ an. 262. depositus non fuerit, palàm relapsus in alterâ Antiochenâ deponitur communi omnium sententiâ. Cupiens domum Episcopalem retinere, Imperatoris ethnici jussionem rogat, sed ab eo jubetur *stare sententiæ Episcopi Romani & Christianorum Italiæ*. Cùm Dionysius Alexandrinus in suspicionem venisset, quòd Pauli Samosateni impietati consentiret, jussus fidem suam S. Dionysio Romano exposuit.

S. Athan: in lib. de Syn.

LII. Schismatis causas juxta imaginariam suam formam judicari consuevisse probat exemplo Novatiani, qui primus fuit Antipaparum. Hujus ordinatores tres Episcopos dolo Novatiani seductos Cornelius deposuit. Cùm Novatianus hæresin schismati jungeret, in Synodo Romanâ 60. Episcoporum illum, eósque, qui insolentissimæ ejus opinioni consentire præsumpserant, alienos ab Ecclesiâ habendos esse an. 252. definivit. Ecce iterum supremi judicis Ecclesiastici officium.

Eus. L. 7. c. 24. hist. Eccl.

LIII. *In materiâ disciplinæ*, inquit Febronius, *serviet inprimis quæstio DE LAPSIS.* Monet consulendas esse epistolas S. Cypriani. Consulantur. S. Fabiano Papâ pro fide occiso 6. ferè mensibus vacabat Sedes Apostolica.

LIV. Cyprianus interea Clero Romano scripsit: *Quoniam comperi minùs fideliter vobis renuntiari, quæ hic à nobis gesta sunt, & geruntur* (de Lapsis reconciliandis) *necessarium duxi has ad vos literas facere, quibus vobis disciplinæ nostræ ratio redderetur.* In Romanorum responso agnovit Cyprianus *Evangelii plenum vigorem & disciplinam robustam legis dominicæ contineri.* Cùm per seditionem *Lapsi* niterentur indulgentiam extorquere, iterum ad Clerum Romanum confugit, iterum & *debita divini rigoris severitas*, & omnia gesta Cypriani laudabantur: *Non hoc*, inquiunt, *nuper nobis cogitatum consilium, sed antiqua hæc apud nos severitas, antiqua fides, disciplina legitur antiqua. Absit ab Ecclesiâ Romanâ vigorem suum profanâ facilitate dimittere, & nervos severitatis eversâ fidei majestate dissolvere, ut properata nimis remedia utique non profutura præstentur, & nova per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur. At nobis*, inquiunt, *differendæ hujus rei major necessitas incumbit, quibus post excessum nobilissimæ memoriæ Viri Fabiani nondum est Episcopus propter rerum & temporum difficultatem constitutus, QUI OMNIA ISTA MODERETUR, & eorum, qui lapsi sunt, possit CUM AUTHORITATE ET CONSILIO HABERE RATIONEM.* Vide Febroni, exspectanda erat Rom. Pontificis electio, qui causam hanc disciplinæ cum authoritate & consilio moderetur ac finiat. Sapientia & doctrina Clero non deerat, deficiebat supremi Judicis authoritas.

LV. Iterum placuit Febronio meminisse Victoris, quem paulò antè in negotio Paschatis incusârat reum cujusdam excessûs, quòd communem Ecclesiarum acceptationem non exspectaverit, *cunctorum totius mundi Episcoporum vota non collegerit*, an illud, quòd censebat Victor, Canonibus nescio quibus conforme omnes judicent. Ille ipse Victor jam laudatur, quòd Encyclicam miserit per non quidem *cunctas*, sed *diversas provincias*, quâ ab Episcopis, ùt observat Febronius, *petebat*, quo die Pascha celebrandum sentirent.

LVI. Arrisit Febronio vox: *Petebat*; hâc jurisdictionis authoritas videbatur prostrata. Sed sciebat Victor *humiliari*, sciebat & *abundare*, sicut Apostolus, dum *Evodiam & Syntichen deprecabatur tanquam suas adjutrices, dum rogabat Germanum*, & cum eo sanctas Mulieres. Febronio vox: *Petebat*, ad oppugnandam Rom. Pontificis authoritatem visa est opportuna; sed ùt non nocuit Apostolo, quòd *Evodiam & Syntichen, quæ cum eo laboraverunt in Evangelio, obsecrârit, Germanum comparem ac Titum rogaverit, sciens humiliari, sciens & abundare*; ita Victori petitio illa non obfuit, quâ, ut certiùs comperiret Episcoporum Asiæ de Paschatis ritu judicia, peti-

Ad Philip. 5.

vit

vit eorum relationem, quot & quinam Ephesino Polycrati adhærerent, quot & quinam Romanæ consuetudini se conformarent.

LVII. Sic Benedictus XIV. exspectavit relationem Episcoporum Belgii super matrimoniis mixtæ Religionis, & super Festorum solennitate postulavit informationem Episcoporum Germaniæ, aliarúmque nationum. Sic à S. Bonifacio Gregorius II. & Zacharias Pontifices Romani voluerunt mores Germanorum & Gallorum discere. Sciebant hi & alii discernere: An alicubi consuetudo aliqua vigeat, an verò, si viget, sit, vel non sit permittenda; seu inter quæstionem *facti* & *juris*.

LVIII. Agnoscit Febronius, quòd *haud rarò expediat referri ad Sedem Apostolicam quæstiones Fidei;* sed quare? *Ut definitio valeat omnibus prodesse.* Ne autem Romanos decipiat immatura spes ex hoc Febronii benigno erga primam Sedem obsequio nimis præcociter concepta, præfigit *ordinem & modum minimè negligendos.*

LIX. Qui verò sunt illi? Accipite ô Romani dociles: *Novo dogmati grassanti Episcoporum vicinorum munus est desuper deliberare synodaliter, vel cum hominibus discretis, ab omni partium studio liberis, doctis.* Fingamus Episcopos dogmati novo grassanti viciniores perfectissimo consensu harmonico ad Febronii consilia paratos interrogare Magistrum, quid ultra facere debeant; respondebit: *Hoc facto munus est vestrum correspondere cum Metropolitano, cum Comprovincialibus, & aliis Episcopis* non qualibuscunque, sed *sanctitate ac doctrinâ conspicuis*; & audire sentimenta Universitatum, eâ tamen lege, ut *præmoneantur illæ, ne quid nimis, ne quid præcipitanter agant.* Quid verò postea? *Malo latiùs grassante*, cui, ut latiùs grassari commodè possit, benignè sat temporis novus magister indulsit, *referendum erit primæ Sedi.*

LX. Quid faciat tunc illa? Pergit Febronius: *Hæc studebit rem sopire extra Concilium, ut parcatur sumptibus.* Quomodo? *Damnabit propositiones, vel dissimulabit.* Quomodo autem audebit approbante Febronio, prima Sedes ad damnationem procedere? *Colligere debet sententias Episcopales magni sui Patriarchatûs; si unanimis sit horum sensus, publicet suum judicium.*

LXI. Si omissâ illâ Episcopalium sententiarum collectione sui magni Patriarchatûs voluerit *Roma audire tantùm Theologos Romanos*, aut si definiat *auditis tantùm Thomistis, Scotistis, Jesuitis*, perdit operam. Quare? *Isti homines sunt sæpè præventi, calent ad damnandum, & crucifigendum*, ergo hos Roma caveto.

LXII. Divinari non potest, quid consilii suggerat Rom. Pontifici, ut doctorem damnati dogmatis E. G. Quesnellum, Molinosum faciat acquiescere judicio tanquam legitimo, si ejusdem magni Patriarchatûs Episcopi malint damnatorum dogmatum professori, quàm Rom. Pontifici præbere consensum,

fum. Aut, si Episcopi ostendere nequeant, quòd hi, quorum consilia audierunt, sint *discreti*, *ab omni partium studio liberi*, *docti*. Aut, quòd Episcopi comprovinciales, ipséque Metropolitanus sint *sanctitate*, & *doctrinâ conspicui*. Quòd satis præmonuerint Universitates, *ne quid nimis*, *ne quid præcipitanter agant*, aut monito illi paruerint. Quòd non retulerint nimis citò quæstionem ad primam Sedem. Quòd satis sibi caverint à Thomistis, Scotistis, & Jesuitis. Quid faciendum Romano Pontifici, si maxima pars Comprovincialium Episcoporum testetur continuò malum invalescere, & evidens moræ ulterioris periculum submovendum esse conclamet, nec ad omnes magni Occidentalis Patriarchatûs provincias literæ dirigi possint; si totum orbem terrarum circumspectando nesciat locum, ubi sit schola Theologorum ad nullam ex dictis tribus classibus pertinentium, dum à Papali consilio excludendi sunt, quicunque se alicui earum classium addixerunt; si indicio certo comperire nequeat latebras Theologorum Eclecticorum, cùm hactenus è suâ latebrâ nondum monstraverit Romanis Febronius, ubi habitent. Etiam divinari non potest, quid consilii Febronius suggerat Episcopis, ut ad conficiendam sententiam Episcopalem Rom. Pontifici mittendam plenâ cum securitate procedant, & damnandorum dogmatum professoribus constet Universitates ad illius Episcopi provinciam spectantes (monitione suppositâ) nihil nimis, nihil præcipitanter egisse, iidémque magistri erroris perniciosam doctrinam docentes convincantur, quòd sit *efficax* & *cuilibet sufficere debens damnatio*, cùm ex Febronii decreto non sit ultimata, & judicium multitudinis, venerando Episcoporum ordini subjectæ, Presbyterorum & Laicorum audiri debeat.

LXIII. Hæc omnia quemcunque Catholicum facilè convincent, Febronianam adinventionem esse malignantis consilii, & eum in scopum dirigi ab illius authore, ut quæcunque in hoc & superioribus sæculis post Concilium Trid. à summis Pontificibus in materiâ Fidei & disciplinæ definita sunt contra Bajum, Jansenium, Molinosum, Quesnellum, aliósque damnatarum theseon authores non Academicos tantùm, sed & Episcopos; omnia, inquam, illa robore destitui, nullámque *cuilibet sufficere debentem* efficaciam habere faciat.

LXIV. Quod Bajani & Jansenistæ, quod Quesnelliani & Ultrajectini Anticonstitutionistæ hactenus objecerunt, objicere pergent adstipulante Febronio: *Papa sinè Concilio non est inerrabilis. Non constat de positivo assensu omnium Ecclesiarum*, imò *constat nequidem interrogatos fuisse omnium Ecclesiarum Antistites*, quod judice Febronio fieri omnino debebat. Dicere pergent, iterum consentiente Febronio, *Bullas dogmaticas*, *Brevia Apostolica*, *quibus seu libri seu propositiones damnantur*, *eos Episcopos*, *qui in Germaniâ* ad suæ obedientiæ debitam significationem ipsas promulgarunt, *ideo promulgâsse*, *ne displicerent Papæ*, *aut se suspectos facerent*. *Episcopos ante promulgationem aut nullatenus*, *aut nonnisi obiter Papalia conclusa discussisse*.

fuisse. Dicit quidem Febronius: *Sint haec inania*; sed ejus judicio inania illa non videri toto suo libro luculentis adeò argumentis patefacit, ut de illius heteroclito consilio dubitari non possit. Imò sola illa, quae ad constringendam Rom. Pontificis in causis fidei & disciplinae potestatem in hoc articulo congessit jam ejusdem verbis à me expressa, talia sunt, ut nemo eorum, qui cum Ecclesiâ Catholicâ Romanâ verè communicant, ad eum gradum effraenatae audaciae processerit.

LXV. Cùm Romae quidam suspicarentur Clerum Gallicanum in Comitiis an. 1705. quibus Constitutio: *Vineam Domini* à Clemente XI. adversùs Jansenianum errorem edita occasionem dederat, eandem non eâ, quâ par erat, veneratione atque obedientiâ acceptâsse, totius Cleri nomine an. 1711. 28. Junii scripsit Rege approbante Eminentissimus Cardinalis Noallius Archiepiscopus Parisinus Clementi XI. *Officii mei & aequitatis esse duxi, cùm à mente Cleri id prorsus alienum fuerit, quid rei esset, aperire, maximè cùm iis Comitiis praefuerim, eâque de causâ votorum omnium particeps ac praecipuus testis extiterim, testor 1. Clerum nostrum in Comitiis praedictis verè in animo habuisse eandem Constitutionem eodem prorsus obsequio, eâdémque obedientiâ accipere & amplecti, quâ Majores nostri omnes S. V. Praedecessorum Bullas adversùs Jansenium acceperunt & amplexi sunt. 2. Cùm Clerus dixit, Constitutiones summorum Pontificum à Corpore Episcoporum acceptatas totam Ecclesiam obligare, mens ejus non fuit, necessariam esse ejusmodi acceptationis solennitatem ad hoc, ut illae tanquam regulae credendi & loquendi ab omnibus Catholicis haberi debeant, licèt aliquando ista solennitas non mediocris esse possit utilitatis ibi, ubi natus est error; ultima Jansenistarum munimenta penitùs convellere, ipsisque effugium omne in nostris partibus, principio ab his concesso, intercludere, Clerus operae pretium duxit. 3. Non sibi arrogavit Clerus, ut sanctiones Pontificias examini suo judicandas subjiceret, sed in ipsis, quod olim scribebant Leoni Magno Episcopi Gallicani, Clerus gaudens & exultans fidei suae sensum recognovit, & ita se semper tenuisse, ut vester Apostolatus exposuit, jure laetatus est. 4. Certum illi* (Clero) *fuit Pontificiis decretis adversùs Jansenium nihil deesse, ut universam Ecclesiam obligent, & circa illa nec appellationem admitti, nec mutationem exspectari posse. Idem & de Apostolicis adversùs Bajum, Molinosum, & librum*: Maximes des Saints *definitionibus professurum fuisse Clerum existimo, si de illis actum fuisset.* Tum rogat, ut Pontifex Ecclesiam Gallicanam credat talem adhuc esse, qualem Innocentio II. eam scripsit S. Bernardus, *fortem in fide, pacificam in unitate, devotam in obedientiâ vestrâ, promptam ad servitium.* Epistolam claudit his verbis Febronio notandis: *Apostolicae Sedi quanta debeam, monebunt me semper Religio, gratus animus, & insita erga Rom. Ecclesiam reverentia, neque necessarius erit ad confirmandam omnimodam meam observantiam aspectus purpurae illius, quâ honestor.*

X x LXVI.

LXVI. Iterum Febronius ad Ss. Cypriani & Stephani dissidium transit & ad quædam excerpta ex Augustini septem libris de Bapt. contra Donatist. operam suam divertit, æquè, ùt aliis, infeliciter. Scopum scriptionis S. Augustinus hunc habebat, ut Donatistarum, qui se authoritate S. Cypriani defendere moliebantur, ora clauderet.

LXVII. Ex hujus operis libro 2. C. 4. Febronius verba S. Doctoris exhibet, quibus dixit Episcopos in plenario concilio non potuisse rem nebulis tunc involutam luculenter illustrare, nisi antequam convenirent, disputationibus atque collationibus quæstionem pertractâssent in suis Regionibus. Hoc nemo negat; par enim fructus exspectari non poterat, si non præparati, non instructi convenissent.

LXVIII. Quid verò inde colligit Febronius? Suo more infert: *Quantò magis prudentiúsque Rom. Pontifex ex Cathedrâ definire volens incipiet à collectione sententiarum Episcopalium non paucarum, sed plurimarum per orbis regiones dispersarum, antequam suam sententiam illis examinandam proponat.* Futile ratiocinium recitâsse sufficit. Quid enim hoc ratiocinii est: Episcopos Europæos, Asiaticos, convenientes ad cœtum super dissidio Africanorum, oportet venire instructos; ergo Papa, ut damnet errores de fide & moribus, debet incipere *à collectione sententiarum Episcopalium non paucarum, sed plurimarum per orbis terrarum regiones dispersarum*, & postea suam sententiam proponere ab illis examinandam? Appositè hic applicaverim verba S. Augustini: *Quis non videat, quòd ista inania & ridenda non diceret, si pro suâ causâ posset aliquid validum invenire, quod diceret?*

S. Aug. L. cont. Donatist. post Coll. coram Marcellino.

LXIX. Ad inania & ridenda etiam illud pertinet: *Si quid pluribus & diuturnioribus inquisitionibus compertum Ecclesia confirmaverit, non ambigamus.* Ergo debent definitionem Papalem plures & diuturniores inquisitiones per plurimas orbis terrarum regiones antecedere. Etiam hoc: *Nobis* (Episcopis) *tutum est, non progredi temeritate sententiæ in ea, quæ non sunt terminata in aliquo Concilio*; ergo Papa debet plurimas sententias ex plurimis regionibus orbis terrarum colligere. Sapientissimè cavit Benedictus XIV. ne Episcopus ad definiendas quæstiones, quæ inter Theologos probabiliter in utramque partem disputantur, in Synodo, aut extra Synodum procedat.

Benedict. XIV. de Syn lib. 7 per totum.

LXX. Dicit Febronius, *gravioris Fidei quæstiones ad Rom. Pontificem referri oportere, quia ad statum universalis Ecclesiæ attinere possunt*, &: *Pontificis est curare, ne quid definiatur, quod in statum communem impingat.* Exemplum ponit hæresin Nestorii de Incarnationis Mysterio. Si talis error meræ speculationis in statum communem impingere videatur, omnis error ad Rom. Pontificis judicium pertinet tanquam impingens in statum communem, ubicunque nascatur; ergo ibi, ubi natus est, non est necesse perimi. Nestorii error Constantinopoli natus, non ibi peremptus est.

LXXI. Præclarè ostendit Cyrillus, verbis à Febronio productis *longam*

Eccle-

Ecclesiarum consuetudinem suadere, & necessitatem adigere Episcopos, ut cum Romano Pontifice communicent, si fides periclitetur, & quòd citra culpam silere non possint, dum remedia citò sunt opponenda. Hæc si vera sunt, exspectandum non erit, donec *malum latiùs fuerit grassatum.*

LXXII. Iterum testem contra se producit Febronius, dum S. Aviti Viennensis Præsulis verba producit. Synodis Episcopalibus docet hanc legem esse impositam, ut *in rebus, quæ ad Ecclesiæ statum pertinent, si quid dubitationis fuerit exortum, ad Rom. Ecclesiæ maximum Sacerdotem quasi ad caput nostrum membra sequentia recurramus.* Idem verbis ex ejusdem epistolâ ad Hormisdam Pontificem suprà citatis de *totâ Galliâ* contestatus est, *omnes super statu Fidei captare sententiam Rom. Pontificis.* Dum Febronius contrà vult, ut caput ad membra recurrat, Pontifex Episcopos sequatur, Episcopi Pontificis examinent sententiam, & super statu Fidei sententias Episcopales colligat; nihilominus audet S. Aviti patrocinium suis commentis adsciscere. Quæ mens fuerit Justiniani Aug. ex ejus verbis jam suprà satis indicatum est.

§. III.

Nova opinio Febronii de jure electiones Episcoporum confirmandi, eorum postulationes admittendi refellitur.

1. *Jus electiones Episcoporum confirmandi & postulationes admittendi dicit Febronius Metropolitis & Synodis abstulisse Alexandrum III. & Pontificum arrogantiâ usque nunc esse conservatum.*
2. *Sperat reddendum esse his, quibus ablatum est.*
3. *Imperitè explicat, in quo hoc jus consistat.*
4. *Legitima assignatio Diœceseon ad eligentes aut nominantes pertinet, non verò jus confirmandi.*
5. *Decretum Concilii Trident. de electionibus & nominationibus Episcoporum quid doceat.*
6. *Quid Concordata.*
7. *Declaratio Pontificia explicata à Calixto III.*
8. *Quid de electionibus & postulationibus dixerit Æneas Sylvius.*
9. *Quomodò Pontifices Rom. reservatum jus confirmationis exerceant.*
10. *Protestantes non obstiterunt huic Reservato.*
11. *Quid observetur, dum electio est notoriè dubia.*
12. *Febronii studium res novas moliendi perstringitur.*
13. *Etsi forma Cap.* Quia propter *sit recentior, jus Rom. Pontificis non est novum, nec merè humanum.*

14. *Simplicius Papa confirmavit ordinationem Stephani Episcopi Antiochem & Calcudionis per dispensationem.*
15. *Olim Pontifices negabant suspectis de hæresi confirmationem.*
16. *Solicitè curârunt olim Pontifices per Legatos, aut Vicarios S. Sedis, aut per Synodos, ut Episcopi utiles eligerentur.*
17. *Aliquando etiam implorabant authoritatem Principum.*
18. *Petro Moggo se orthodoxum simulanti obstitit vigilantia Simplicii.*
19. *Diversis mediis idem curârunt veteres Pontifices, quod Synodus Trid. intendit per confirmationem.*
20. *Præconisatio Episcopi electi fit in Consistorio Cardinalium.*
21. *Episcopi Græci tunc legitimi sunt Episcopi, si Sedes Apostolica Rom. cathedræ eos consociatos agnoscat.*
22. *Febronii crisis perstringitur de tolerantiâ Catholicorum Principum, quâ non obstant confirmationibus Apostolicis.*

I. Jus S. Sedi reservatum electiones Episcoporum confirmandi & postulationes admittendi judice Febronio *novum* est; *Metropolitis & Synodis provincialibus ademptum ab Alexandro III.* ac deinde usque ad nos conservatum per *arrogantiam Rom. Pontificum*, ut *major Episcoporum ab ipsis dependentia firmaretur, & per tolerantiam eorum, qui in conspectu Isidorianarum Decretalium, quali quali consensu* jugum hoc subiêre, & ferre non cessant.

II. Sicut spem non abjecit Febronius *rationabiles causas* mutatâ conditione temporum eventuras aliquando, ut Primatus Pontificius ad aliam aliquam Ecclesiam seu Gallicam seu Germanicam transferatur à Romanâ, ita non desperat jus confirmandi electiones Episcoporum, & de postulationibus admittendis aut non admittendis statuendi *opportuno aliquo tempore* Pontificibus Romanis ademptum iri, ut ad Synodos provinciales, & Metropolitas *redeat hoc*, ut vocat, *jus genuinum*, quod asserit ad Alexandrum III. usque providè fuisse conservatum. Beatam tunc credit fore Christianorum Remp. si hæc politiæ Ecclesiasticæ mutatio perficeretur.

III. Ut verò doceat, super quo jure sit quæstio, illud his verbis explicat: *Ad constitutionem Episcopi aliud non requiritur, quàm legitima assignatio Diœceseos & consecratio; solum Rom. Pontificem hoc in suâ habere potestate, nullâ valet ratione sustineri. Episcopi Græci non minùs sunt veri Episcopi, licèt eorum Patriarchæ præstent, quod ratione Episcoporum Latinorum facit Papa.* Iterum, ùt sæpè aliàs, hic sententiam suam involvit imperito & obscuro sermone.

IV. Si, dum Diœceses vacant in regnis & provinciis Austriacis, aut in Galliâ, jure patronatûs fiat nominatio novorum Antistitum, certè legitima fit assignatio Diœceseon. Ritum Consecrationis Episcopalis perficiunt Episcopi communionem cum Sede Apostolicâ habentes, qui à consecrandis pro arbi-

arbitrio rogantur, nisi legitima consuetudo eam libertatem restringat. Locum, quem voluerint seu in suâ, seu in aliâ, vel propinquâ, vel distante provinciâ determinant Præsules designati. Rom. Pontifex universim jus vacantibus Ecclesiis totius universi pro arbitrio suo deputandi personas, easque consecrandi sibi non arrogat, sed majoribus Capitulis in Germaniâ, Principibus alibi relinquit. Aliud itaque est jus illud *confirmandi*, de quo jam quæritur. Hoc inter assignationem Sedis vacantis, & consecrationem est medium, ideóque ab his omnino distinctum. Ex S. Concilio Trid. ex Concordatis nostræ Nationis, & à juris Ecclesiastici peritis certiùs docemur, quid S. Sedes suo jure sibi vindicet.

V. Ut in domo Domini nihil sit inordinatum, &, *quod requiritur in corpore, inveniatur in Capite* PP. Trid. censuerunt, præcipuè curandas esse electiones Episcoporum. Non patronatum Principibus, non jus eligendi Capitulis Germaniæ S. Synodus sustulit. Omnibus & singulis quodcunque jus quâcunque ratione habeant, nihil innovando, salvum intactúmque voluit. Capitula Ecclesiarum vacantium jubet curare preces & supplicationes statim publicè privatímque faciendas, Patronos cujuscunque gradûs, & eligentes monet, ut non suggestionibus ambientium, sed meritis intendant; & cùm rationem ubique uniformem non sustineat Nationum & morum varietas, mandat, ut *in Synodo provinciali per Metropolitanum convocandâ statuatur forma examinis qualitatum, quæ illi loco visa fuerit magis opportuna, sed sanctissimi Rom. Pontificis arbitrio approbanda. Examen seu inquisitio transmittatur quamprimùm ad St. Rom. Pontificem, ut ipse summus Pontifex plenâ totius negotii & personarum notitiâ habitâ pro gregis dominici commodo Ecclesiis possit utiliùs providere. Quatuor Cardinales ad Consistorium super examinatis qualitatibus referant, subscriptione testentur, quòd sub periculo salutis æternæ existiment electos esse idoneos.* Denique hæc adduntur: *Non potest non S. Synodus commemorare, nihil magis Ecclesiæ Dei esse necessarium, quàm ut Beatissimus Rom. Pontifex, quam solicitudinem universæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debet, eam potissimùm impendat, ut bonos maximè & idoneos Pastores singulis Ecclesiis præficiat, idque eò magis, quòd ovium Christi sanguinem, quæ ex malo Pastorum regimine peribunt, D. N. J. C. de manibus ejus sit requisiturus.* Ita Ss. Concilium. Trid. sess. 24. de Refor. c. 1.

VI. Concordatis Nationis nostræ inter Nicolaum V. & Fridericum III. an. 1448. sancitum est, ut in Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis fiant electiones canonicæ, *quæ ad S. Sedem referantur.*

VII. Declarabat Pontifex: *Si canonicæ fuerint, eas confirmabimus, nisi ex rationabili & evidenti causâ, ac de dictorum Fratrum consilio de digniori & utiliori personâ duxerimus providendum.* Cùm statim pòst quidam Ecclesiastici Principes Germaniæ de Calixto III. apud Fridericum III. querelam facerent, quòd contra Concordata attentaret, Imperatori respondit Calixtus: *Neque*

 electio-

Æn. Syl. ep. 385. Spondanus ad an. 1457. *electiones Prælatorum in Germaniâ factas contemnimus, neque ex Concordatis omnes passim confirmare tenemur... Nunquam aliquam electionem rejecimus, quam reperimus esse canonicam; Viros autem quamplures illis Ecclesiis præfecimus, quorum electiones etiam minùs canonicæ prætendebantur. Si tamen aliqui sint, qui confirmationem prætendentes eam non obtinuerint, sciant se à suâ petitione cecidisse, quia nec canonica fuerat eorum electio, nec promotio Ecclesiis, ad quas vocabantur, fuisset utilis: potestate autem illâ, quæ nobis ex divino atque humano jure, simúlque Concordatis competit providendi Ecclesiis de personâ magis idoneâ, etsi canonica illius electio facta reperiatur, adhuc non fuimus usi.* Ita Calixtus.

Æn. Syl. ep. 383. ad Mart. Meyer Cancell. Mog. VIII. Hoc jus commune suâ ætate in Germaniâ usitatum fuisse Æneas Sylvius testatur: *Nunc venio*, inquit, *ad electiones, quas passim in Germaniâ contemni dicis, nos non invenimus, uti asseveras. Nam postquam ex Alemanniâ huc venimus, plures Ecclesiæ Cathedrales ejus Nationis vacârunt, in quibus vel postulationes factæ, vel electiones fuêre. De postulationibus nihil est, quod objici possit: nam illæ ex gratiâ pendent, etiam vetusto jure; liberúmque est Pontifici Maximo eas admittere vel rejicere. Electiones autem si canonicæ fuerint, Compactorum vigore confirmationem merentur, nec repelli possunt, nisi de utiliori personâ Rom. Pontifex de consilio Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium duxerit providendum.*

IX. Ex his electiones & postulationes Germanicarum Ecclesiarum catholicarum ad supremum Sedis Apostolicæ arbitrium intelligimus ita pertinere, ut spectatâ plenitudine Pontificiæ potestatis, quam Natio Germanica per compaciscentem cum Nicolao V. Imperatorem Fridericum agnovit, ex rationabili & evidenti causâ de Cardinalium consilio possit negare confirmationem canonicè electo; sed cùm rara sit ea peristasis evidentiæ, electiones canonicè factas S. Sedes confirmare consueverit; nonnunquam (si, contra formam jure canonico præscriptam eligentes peccaverint) S. Sedes defectum benignè suppleat, electi inhabilitatem dispensando removeat; & dum electio cum postulatione concurrit, à majori parte postulatum ei posthabeat, quem minor pars elegerit. Vid. Acta electionis Josephi Clementis Archiep. Col.

X. Ipsos etiam Protestantes huic Reservato non obstitisse, docent instrumenta Pacis Monasteriensis & Osnabrugensis, dum analogâ dispositione electiones Episcoporum & Prælatorum Augustanæ Confessionis voluerunt per supremos Principes Augustanæ Confessioni addictos confirmari debere; sicut electiones canonicæ Episcoporum Catholicorum à Rom. Pontifice confirmantur.

XI. Dum dubium est, cui duorum discordibus votis electorum possessio sit abjudicanda, & coram legitimo superiore de bono jure alterutrius partis nondum est cognitum, judicatúmque, fas non est electo sub quocunque prætextu se administrationi immiscere, fructúsque percipere; imò ne tunc qui-

quidem, dum nullus electo se opponit, ne contingat inhabiles aut indignos Ecclesiis præfici, & in possessionem vi irrumpere, aut dolo irrepere. Hæc est illa Ecclesiis omnibus particularibus saluberrimè præscripta, & constituta per sacros Canones forma legitimam Ecclesiarum possessionem obtinendi.

XII. Quòd Febronius hoc ab Ecclesiâ constitutum, à Natione nostrâ Germanicâ constanter agnitum, comprobatúmque Reservatum audeat Isidoricis Decretalibus adscribere, & novitatis incusare, & illius juris *datâ*, ùt inquit, *opportunitate immutandi, corrigendi, ad genuinum jus antiquum reducendi* spem faciat, ejus appetitum res novas in Imperio germanico moliendi demonstrat eò luculentiùs, quò apertiùs pacem & concordiam dissidentium in Religionis negotio Germanorum se pro scopo suarum molitionum habere gloriatur.

XIII. Constitutiones illæ, per quas fixa est forma electionis canonicæ, cui nunc adstringuntur Ecclesiæ particulares nostræ nationis, seu forma *Capituli quia propter de elect.* aliæque Decretales eò spectantes à nemine ad Apostolorum aut primorum sæculorum tempora referuntur. Catholicis certum est ante Alexandri III. Innocentii III. tempora electiones Episcoporum à Rom. Pontificibus fuisse solicitè admodum curatas, potestatem authoritatémque hanc Pontificiam non humano tantùm, sed & divino juri verè à Calixto III. verbis suprà recitatis fuisse attributam.

XIV. Rom. Pontifices aliquando ordinationes Episcoporum contra Ss. Canonum dispositionem factas benignè confirmabant: ita ordinationem Stephani junioris Episcopi, ad Antiochenam Ecclesiam contra Canonum interdictum promoti, Simplicius Papa benignè ratam habuit, secutámque postea Calendionis electionem approbavit: *Faciles*, inquit, *excusationi*, *quam necessitas fecit*, *extitimus*, *quia quod voluntarium non est*, *non potest vocari in reatum. Fratris & Coëpiscopi nostri Calendionis Sacerdotium gremio Sedis Apostolicæ amplexi in consortium nostrum per gratiam Christi Dei nostri tantæ urbis Antistitem collegii unione numeramus.*

XV. At verò dum electi damnatam ab Ecclesiâ doctrinam sectabantur, aut schisma fovebant, à perniciosâ indulgentiâ Pontifices Romani abstinebant, ne gregi dominico præfici permitterent corruptæ doctrinæ magistros. S. Cyprianus laudat epistolam Cornelii Papæ, quâ decrevit eos, *qui cum idololatris communicâssent*, *ab ordinatione & sacerdotali honore esse prohibendos.* *S. Cypr. ep. 68. edit. Pamel.* Eundem Pontificem rogavit, ut in locum Marciani Arelat. quòd Novatiani partibus addictus esset, alium faciat succedere, à quo *grex Domini vulneratus dissipatúsque colligatur.*

XVI. Providebant Pontifices, ut in diptychis sacris nomina eorum, qui malè Episcopali munere functi fuerant, supprimerentur, quod Gelasii de Acacio expungendo judicium demonstrat. Hâc severitate hi, ad quos jus novos Episcopos populo præficiendi pertinebat, excitabantur ad accuratiùs explorandos mores præficiendorum. Non quidem semper electionum Episcopalium documen-

cumenta per synodicas epistolas; aut Clericos Romam missos Rom. Pontifici mittebantur, sed sæpè per Legatos, aut Vicarios S. Sedis curabatur, ut Episcopi idonei, meritis commendati ordinarentur in provinciis. Anysio Siricius, Leo Anastasio Thessalonicensi commisit, ut faciat *tales Domino consecrari, quibus solà vitæ & Clericalis ordinis merita suffragantur. Nullus,* inquit S. Leo, *te inconsulto per illas Ecclesias ordinetur Antistes; singulis autem Metropolitanis sicut potestas committitur, ut in suis provinciis jus habeant ordinandi Episcopos, ita Metropolitanos à te volumus ordinari.* Aliquando Synodus cogebatur authoritate S. Sedis, ut de novo Episcopo consecrando statueretur: sic Thalassii Andegavorum Episcopi merita in Synodo Andegavensi sunt examinata.

XVII. Etiam, dum Pontifices suis Decretis obedientiam denegandam esse, animadversâ eorum, ad quos Apostolica jussa dirigebantur, pertinaci obstinatione, prævidebant, Imperatoriam aut Regiam authoritatem implorabant; ita ne Timotheus Ælurus Alexandrinam Ecclesiam occuparet, Zenonis Aug. protectionem petiit Papa Simplicius: *Clementissimi Imperatoris*, inquit, *auxilium duximus implorandum, ne Ecclesiæ Dei ab hæreticorum contagione violentur, & ut Timotheus ad irremeabile dirigatur exilium.* Eadem fuit S. Leonis, S. Gelasii, ac S. Gregorii M. providentia, quam Successores posteriorum temporum, ùt laude, ita imitatione opportunâ dignam sapienter censuêre.

XVIII. Cùm quidam Episcopali dignitate per electionem favore Principum protectam potirentur, & ad removendum novitatis odium se Catholicos dicerent, Rom. Pontifices eorum doctrinâ diligentiùs exploratâ eos declarârunt suæ communionis exortes electione eorum damnatâ; ita Simplicius Papa scripsit Acacio, qui Petro Moggo Ecclesiæ communionem addixerat, quòd juxta edictum Principis fidem catholicam se profiteri diceret: *Non sufficit, quòd Petrus se confiteatur communicatorem Ecclesiæ secundùm edictum, sed oportet eum secundùm epistolam Leonis Papæ Ecclesiæ catholicam communionem amplecti*, verissimè judicans communionem inter socios esse non posse, nisi utrimque societatis nexus agnoscatur.

XVIII. His tam diversis, sed ad eundem scopum opportunis remediis id ipsum, quod spectârunt, & paternè providerunt Rom. Pontifices primorum temporum à Febronio & Heterodoxis laudatorum, curavit Alexander III. & in Concilio Lateran. IV. generali Innocentius III. & Patres S. Concilii Trid. per confirmationem Sedi Apostolicæ reservatam.

XIX. Plurimi nationis nostræ Antistites à Capitulis eliguntur: Bohemi, Belgæ Regiâ nominatione eam dignitatem consequuntur, omnes autem Rom. Pontificis præconio post examen ex Concilii Trid. decreto suprà descriptum perfecto spirituali conjugio suis Ecclesiis tanquam sponsis copulantur, quòd fœdus inter Episcopum & Ecclesiam in electione, seu nominatione Regiâ initia-

initiatum dicit Innocentius III. Sed *ratum* in confirmatione Pontificiâ, & post illam in consecratione *consummandum*. Ecce Feboni legitimam illam assignationem, quam solus Rom. Pontifex in suâ potestate habet, & quid legitimæ assignationis tum Principibus, tum Capitulis Germaniæ relinquat.

XXI. Episcopi græci tunc sunt non sacrâ ordinatione tantùm, sed & exercitio legitimo hierarchicæ potestatis veri Episcopi, si cathedræ Romanæ ita consocientur, ut Societas non ab iis tantùm, sed & à Sede Apostolicâ agnoscatur. Monstrum enim Societatis est, dum unus se socium prædicat, alter negat. In florentissimis Ecclesiæ Græcæ temporibus seu per synodicas epistolas, seu per Ecclesiarum Apocrisiarios Rom. Pontifici electio significabatur, ut de communione seu societate cum iis habendâ ex testimoniis de eorum doctrinâ & bonis meritis statueret. Seu confirmatio Metropolitis, seu Primatibus, seu Legatis, seu Synodis particularibus vario temporum & locorum usu attributa sit, semper Ecclesiarum concentratio & unitas Sacerdotii exigebat, ut Rom. Pontificis authoritas accederet, firmarétque communionem, sinè quâ verè ad Catholicam Ecclesiam pertinere non poterant.

XXII. Tu Febroni consensum Nationis nostræ solenni Concordatorum pacto firmatum reprehende, ùt lubet; *qualem qualem* dic; macte tuo criterio pro viribus incesse consensum omnium Regum & Principum Catholicorum, qui Episcopos, quos Regiâ nominatione Ecclesiis destinant, à S. Sede juxta Tridentina decreta confirmari sustinent. Voca, si vis, *tolerantiam*, dic hos omnes Isidorianos; deplora jus, quod *antiquum & genuinum* vocas, Metropolitarum abolitum; simul autem animo revolve iniqua fata Episcoporum sanctissimorum, qui nisi à Sede Pontificiâ, ad quam confugerunt, fuissent protecti, pessimis gregis dominici prædatoribus cedere debuissent per Metropolitarum dolos & violentiam, ac Synodorum injustas in eorum capita conspirationes. Non pauca tibi exempla duæ nobilissimæ Ecclesiæ Alexandrina & Cpolitana ex his, quæ jam dicta sunt, præbebunt. Sperare perge, ùt voles, tempus tuis desideriis opportunum. Si spes, quæ differtur, affligit animam, longo te dolore illius opportunitatis exspectatio affliget, quâ per subordinationis depressionem speras aurea sæcula reditura, valere jusso intra Romanæ Diœceseos fines Rom. Pontifice. Pecuniæ aliquid, si voto tuo potiaris, manebit Regnis & provinciis; sed vigor Ss. Canonum, & conglutinatio Catholicorum, & Cleri utriusque disciplina intestinis dissidiis & perturbationibus domesticis absque ullo rei pecuniariæ compendio dissipabitur, imò sæpè cum dispendio majore.

§. IV.

Opinio Febronii de Coadjutoriis, Translationibus & Cessionibus Episcoporum, an causis majoribus accensendæ sint, expenditur.

1. *Decretum Ss. Concilii Trid. de Coadjutoriâ opponitur crisi Febronii.*
2. *Defenditur exemplis Ss. Alexandri, Athanasii & Augustini.*
3. *Urgens necessitas & evidens utilitas faciunt justè dari Coadjutorem.*
4. *Textus juris à Febronio perperam citari probat eorum inspectio.*
5. *S. Gregorius M. infirmis dedit Coadjutores ad earum & populi petitionem.*
6. *Exempla Coadjutoriæ cum futurâ successione in S. Augustino-Anglico, S. Avito Claromontano & S. Remaclo Tungrensi.*
7. *Zacharias Papa S. Bonifacio negavit Coadjutorem.*
8. *Garnerio S. Franciscum Salesium Clemens VIII. dedit Coadjutorem.*
9. *Causa, quare Pontificis authoritas requiratur.*
10. *De translationibus opinio Febronii, quòd eas Innocentius III. invexerit.*
11. *In falsâ epistolâ Anteri Papæ non fundatur jus transferendi Episcopos.*
12. *Translationes improbavit S. Anselmus Cantuar.*
13. *Agapetus Anthimo à minori Ecclesiâ ad Cpolitanam transitum paranti obstitit, & ad aliam Ecclesiam transeuntes vocat homines translatitios.*
14. *Arbitrariis transmigrationibus applicabant veteres illud:* Alligatus es uxori? noli quærere solutionem.
15. *Quid hac de re scripserit S. Leo Vicario suo Thessalonicensi.*
16. *Quid S. Gelasius decreverit,*
17. *Et Decretalis Innocentii* extra de trans. Epis.
18. *Van Espen dictum de translationibus laudatum à Benedicto XIV.*
19. *Quid Bellarmino responderit Clemens VIII. super resignationibus Episcoporum.*
20. *Quid de his senserit Benedictus XIV.*
21. *Quas ob causas pro aliquo Episcopo Urbani II. assensum rogaverit S. Anselmus Cantuar.*
22. *B. Albertus M. Ecclesiam Ratisbonensem permissu Urbani IV. cum cathedrâ Scholæ Colon. commutavit.*
23. *Salentinus Archiepiscopus Colon. probante Gregorio XIII. Archiepiscopatum dimisit.*
24. *Pauli Patriarchæ Antiocheni cessionem probavit Hormisdas.*
25. *S. Gregorius infirmo Ariminensi Episcopo concessit dimissionem.*
26. *S. Amandus petitam licentiam à Martino I. non obtinuit.*
27. *Exploditur crisis Febronii.*
28. *Et ejusdem provocatio ad glossam Barclaii.*

29.

29. *Primatui Pontificio superstruitur authoritas concedendi cessiones Episcopis.*
30. *Licèt mutentur speciales modi regiminis, ad fontem primigenium Primatûs particularia quædam jura pertinent.*
31. *Quid de cessione Episcopatûs senserit Thomassinus esse compendiosius & honorificentius.*
32. *Quid Petrus de Marca.*

I. Quòd *deputatio Coadjutoris Episcopi inter majores causas numeretur*, Febronio videtur abnorme & *juris analogiæ repugnans*. Non ignorabat concordibus Patrum votis in Synodo Trid. esse definitum, tales concessiones, *quòd hæreditariæ successionis imaginem referant, in quibuscunque beneficiis & personis permittendas non esse, nisi vel urgens necessitas, vel evidens utilitas diligenter à sanctissimo Rom. Pontifice priùs cognita postulet Prælato cum futurâ successione coadjutorem dari*, & nisi *certum* fuerit, *qualitates omnes* in eo, *qui ad Prælatum* coadjuvandum assumitur, *à jure, decretisque Tridentinis requisitas concurrere.* *Conc. Trid. sess. 25. de Refor. c. 7.*

II. Crisis temeraria (quam Febronius Trid. decreto audacter opposuit) non tantùm gravissimâ tantorum judicum authoritate confunditur, sed &, si ratio sola æquitatis consideretur, minimè potest tolerabilis censeri. Quis neget Narcisso Hierosolymorum Episcopo, cùm ob grandem plusquam 100. annorum ætatem fungi suo munere, ùt optabat, non posset, S. Alexandrum rectè datum fuisse coadjutorem? Quis vitio vertat S. Athanasio, quòd Petrum virum sanctum in Alexandrinâ Sede Successorem designaverit? Quis culpæ reum dixit Augustinum, quòd Valerio, cùm senio & morbis confectus prædicare populo pro more ultrà non posset, ex voto populi adjunctus fuerit tanquam laborum, potiùs quàm honoris consors, & magis ad Hipponensium commodum quàm suum incolumi Valerio accesserit Coëpiscopus? Quis ei vitio vertat, quòd Eradium sibi adsciverit cooperatorem? Nempe non ut carni & sanguini, sed ut commissarum animarum saluti prospicerent, sibi adjutores assumebant, minimè suspecti Clero populóque de irreligioso desiderio verbis Davidicis significato: *Hæreditate possideamus Sanctuarium Dei?* *Can. non autem Caus. 7. q. 1.*

III. Quod Ss. Patres Tridentini postea præceperunt, id jam olim cautè attendebatur; urgentis necessitatis, aut evidentis utilitatis, non suæ, sed communis rationem habebant, qui à rigore veteris disciplinæ coadjutorias prohibentis recedebant.

IV. Febronius Lectoribus fucum facit citatione textuum juris Ecclesiastici, ut illam coadjutoris deputationem juri repugnare ostendat; solâ eorum inspectione falsi convincitur. Inspiciatur Decretalis Bonifacii VIII. illico apparebit, eâ universim coadjutoriam cum futurâ successione non improbari. *Vide*, inquit, *totos Titulos de concess. Præb. Eccl. non vac.* Certè non plures, sed uni-

unicus est titulus hujus argumenti, in eo loco nihil est, quòd Tridentinam definitionem prædamnaverit tanquam juri repugnantem. Nec magis favent citati Canones ex Decreto Gratiani. Canon 12. proponit Paulinum gratulantem Ecclesiis Africanis quòd *Dei gratiâ meruerint verba cælestia Augustini ore percipere.* Illum dicit *novo more ita provectum, ut non succederet in cathedrâ Episcopo, sed accederet.* Canones duo subsequentes à Febronio citantur.

V. Horum prior seu 13tius memorat S. Gregorium Papam, Episcopo Ariminensi corporis molestiâ impedito adjunxisse adjutorem Episcopum, datâ in scriptis supplicatione ipsiusmet Episcopi & Cleri populique desideriis eidem S. Gregorio indicatis: *Quia*, inquit Gregorius, *cunctarum Ecclesiarum injuncta nobis solicitudinis cura constringit, ne diutius gregi fidelium desit cura pastoralis, illorum precibus, hujusque ex sui impossibilitate renuntiatione sumus compulsi, visum nobis est eidem Ariminensi Ecclesiæ debere Episcopum ordinari.* Posterior seu 14tus hæc habet: *Suscepti solicitudo regiminis cor nostrum instanti pulsat aculeo, magnâ nos Ecclesiis curâ prospicere, & ne qua earum possit utilitas deperire, quod fieri debeat, Deo autore disponere. Ne ergo languente Pastore grex, quod absit, insidiatoris laniandus dentibus exponatur, vel Ecclesiæ ipsius utilitates depereant, cautâ nos necesse est provisione tractare, & ideo, quia viventem Episcopum ab officio suo necessitas infirmitatis, non crimen abducit, alium loco ejus (nisi recusante eo) nulla sinit ratio ordinari.... Alium loco suo expetat ordinandum, quo facto omnium electione alter, qui dignus fuerit, Episcopus solenniter ordinetur, sic tamen, ut quousque eum Episcopum in hoc sæculo vita tenuerit, sumptus ei debiti de eâdem Ecclesiâ ministrentur... Electus si Episcopo, qui nunc ægrotat, superstes extiterit, loco ejus debeat consecrari.*

VI. Recentiora Coadjutoriæ cum futurâ successione exempla exhibet Nat. Alex. in S. Augustino Britannico, S. Avito Claromontano, S. Remaclo Tungrensi & aliis.

Nat. Alex. Sec. VI. C. 6 a. 3. a. 4.

VII. Negavit S. Bonifacio Zacharias Papa facultatem adsciscendi Episcopum adjutorem, cùm ratio ab Ecclesiasticâ regulâ recedendi non appareret.

VIII. Garnerio Gebennensi concessit Clemens VIII. ut S. Franciscum Salesium haberet cooperatorem, negavit aliis. In Ecclesiis germanicis aliquando salutis publicæ ratio talibus petitionibus obstitit, quanquam petentium merita suffragarentur votis postulantium.

IX. Ne in partes funesta dissidia scinderent nationem, & pax Ecclesiarum turbaretur motibus intestinis, Pontificia authoritas intercedere debebat, ut incommoda quæ per synodales conventus depelli non poterant, certiùs, ac securiùs averterentur. Vide Febroni Jurisconsulte, quàm imprudenter & incautè ad Corpus Juris Isidorici provocaveris, ut hujus Pontificii Reservati novitatem ostenderes.

X. Vi-

X. Videndum nunc, an feliciùs demonstráverit Febronius, Translationes Episcoporum ad Rom. Pontificem justè non pertinere: *Nullus*, inquit, *genuinus juris locus prostat Pontificatu Innocentii III. antiquior; qui expressè vel æquivalenter dicat Translationes Papæ reservari*; *primam* dicit *de hoc Reservato Decretalem Innocentii ad annum* 1198. *pertinere.*

XI. *Innocentium suppositio Anteri Papæ decreto, quod Gratianus exhibet, innixum ex hoc unico fonte Decretalem suam deprompsisse. Clausulam illam in Anterianâ epistolâ non haberi notârunt*, inquit, *Correctores Romani*. Si ita est, nihil habet ea tota epistola, quod Translationes Episcoporum Rom. Pontifici attribuat. Quomodo itaque Innocentius III. solam illius epistolæ authoritatem secutus est? Clausula illa si expungatur, pseudo-Anterus translationem Episcopi soli Episcoporum & reliquorum Sacerdotum ac populorum consilio tribuit, atque id solùm vult, ut non ambitu, non propriâ voluntate, sed necessitate aut utilitate loci, aut populi, non superbè, sed humiliter Episcopus de Sede ad Sedem transeat. Per tuam conscientiam te oro Febroni, ut edicas, quâ fronte *fætidam & malè olentem Pseudo-Isidori mercem* dicas, dum tuopte etiam judicio vera & recta sunt, quæ Gratianus ex Anteri epistolâ produxit. Nunc, quid de clausulâ illâ statuendum videatur, juvat expendere. Post correctionem Romanam editio Parisiensis notat hæc verba apud Anselmum collectorem reperiri. Caus. 7. C. 34. q. 1.

XII. Etiam S. Anselmus Cantuariensis à Rege Anglorum Henrico interrogatus, an Herveus Episcopus Bancarensis possit constitui Episcopus in Ecclesiâ Lexoviensi, respondit: *Qui sacratus est Episcopus, non potest in aliâ provinciâ constitui Episcopus sinè consilio & consensu Archiepiscopi & Episcoporum provinciæ cum authoritate Apostolicâ.* Persuasum igitur erat Viro sancto, quòd Regi de translatione intentâ dubitanti consilium aliud suggeri justè non potuerit, quàm quod interrogatus indicavit. S. Ans. ep. 126. edit. Gerberon.

XIII. Communionem suam Agapetus negavit Anthimo, quòd ab Episcopatu Trapezuntino ad Sedem Regiæ urbis migrâsset non repugnantibus licèt Episcopis provinciæ, jussitque eum ad cathedram suam reverti: *Impossibile est*, inquiens, *translatitium hominem in illâ Sede permanere.* Tomitanum Episcopum S. Gregorius ad Aleriensem Ecclesiam transtulit. Etiam Paulum Nepesinum Neapolim transferre decreverat, nisi religiosum consilium ipsiusmet Pauli obstitisset.

XIV. Arbitrariis transmigrationibus, quas plerùmque profana commoda inspirant, obstitit antiquorum Canonum severitas, & Ss. Præsulum religio, qui appositè illud Pauli applicabant; *Alligatus es uxori? Noli quærere solutionem.* Damasus Paulino Antiocheno scribit: *Eos qui de Ecclesiis ad Ecclesias migraverunt, tamdiu de communione nostrâ habemus alienos, donec redierint ad eas, in quibus primùm sunt constituti.*

XV. S. Leo Anastasio Thessalonicensi scribit: *Si quis mediocritate civita-*

tis suæ despectâ ad majorem se plebem transtulerit, à cathedrâ pellatur alienâ, carebit & propriâ.

Cap. 3 & 4. X. de Transl. Episc. XVI. Huic Decretalis Innocentii consonat, quâ Episcopum Hildesemensem, qui ad Herbipolensem Ecclesiam propriâ authoritate transierat, ne ad ipsam, quam nimis improbè dereliquit, redeat, nec ad aliam transeat, districtè prohibuit: *Nec præsideat*, inquit, *illis, quos per superbiam sprevit, nec illis, quos per avaritiam concupivit.* S. Gelasius gravissimè inquit: *Quisquis propriæ desertor Ecclesiæ nullis existentibus causis ad aliam putaverit transeundum temereque susceptus fuerit & promotus, Canonum constituta non effugiet.*

XVII. Ideo an temerè fiat, an causæ justæ moveant, an verò ad ambitionem tegendam frivolè prætexantur, illius non qualicunque, sed regulativo accuratoque judicio dispiciendum est, cui totius Ecclesiæ vicariam administrationem Princeps Pastorum Christus commisit.

Van Espen Jur Eccl. p. 1 T. 15. c. 4 XVIII. De translationibus Van Espen verè dixit: *Licèt mutata nonnihil sit disciplina quoad translationis formam, semper tamen mansit & manebit inconcussa Patrum regula, quòd nonnisi necessitate aut utilitate cogente fieri possit, nec minùs hodie, quàm ætate Ss. Patrum culpabiles sint Episcopi, qui avaritiâ aut ambitione ducti de unâ Ecclesiâ migrant ad aliam.* Hæc ejus verba cum laude commemorat Benedictus XIV. & rescriptum Clementis VIII. Pontificis: *Nos cum difficultate transferimus, & non desumus monere Principes per nos & Nuntios nostros*, ne huic dispensationi occasionem facilè præbeant. Si veterum dispensationum exempla non præbet primorum temporum historia, ipsa summorum Pontificum antiquiorum suprà laudata translationum Episcopalium prohibitio sufficienter ostendit ad commune commodum Ecclesiæ rigidioris cognitionem causarum translationes spectantium S. Sedi Apostolicæ esse reservatam, ut certiùs antiquæ disciplinæ conservationi prospiciatur. Quomodo, cùm sint Ss. Canonum custodes, & vindices fatente Febronio, eos bene custodituri censeantur, si hoc ad eos non pertineret?

XIX. De cessionibus Episcoporum seu renuntiatione ad Clementem VIII. Pontificem Cardinalis Bellarminus scripsit, alios retentis fructibus resignare Ecclesiam, & quasi repudiatâ uxore dotem tenere, alios ex reditibus divites effectos cedere, ut ad majora sibi viam aperiant, alios aëris insalubritatem aut populi proterviam causari, alios ut nepotibus faveant: *Deus novit*, inquit, *an justæ sint causæ, an quærant, quæ sua sunt.* Respondit Pontifex: *Nos difficillimè resignationes admittimus, non nisi examinatis causis, & aliquando admittimus ob ineptitudinem resignantium.*

XX. Hæc refert Benedictus XIV. & addit canonicas causas in Decretali: *Nisi cum pridem de Renun.* recensitas ad unum hoc referri, ut non aliàs liceat

Epis-

Episcopo Ecclesiam dimittere, quàm dum clarè patet ipsum saluti concreditæ sibi plebis prodesse ampliùs non posse.

XXI. S. Anselmus Cantuariensis cùm adhuc Beccensi Monasterio in Galliâ præesset, rogavit Urbanum II. ut ab Episcopatu Belvacensi absolvat Episcopum ex Monasterio suo assumptum. Causas exponit, quòd *Ecclesiæ non prosit, nec in futuro aliquid melius, sed deterius exspectetur*; non quidem deesse voluntatem bonam, sed talem eum non esse hominem, ut *onus tantum possit sustinere, irruentem cavere malitiam & circumstantes insidias. Quapropter ego & alii cum ipso prosternimur ad vestigia vestræ misericordiæ, ut ei viscera sua aperiat, & de tanto malo & periculo, in quibus sine utilitate esse se sentit, clementer eripiat. Mirari poterit forsan sapientia vestra, cur, quem Episcopum fieri coëgi, Episcopatum velim deserere. Sed fateor illi, cui conscientiam meam celare non debeo, quia mala, quæ patitur, priùs sensi & prædixi, cùm ad Episcopatum peteretur; sed illi in me sententiam meam obruerunt, qui illum petendo cum magnâ importunitate in me irruerunt. Timebam in corde meo asserere, Deum magis esse in meo solo sensu, quàm in multorum, se simpliciter eum propter Deum petere clamantium, unanimitate. Ingerebat se etiam hoc menti meæ, quia sæpè Deus per illiteratorum quærentium, quæ Dei sunt, vitam, quàm per astutiam literatorum quærentium, quæ sua sunt.* Ostendit hæc epistola, Anselmo docto & sancto novum visum non esse, à quo, quibus ex causis talem cessionem petere debeant Episcopi.

XXII. Vidit Colonia Magnum Albertum cathedrâ Episcopali Ratisbonensi permissu summi Pontificis Urbani IV. abdicatâ denuo cathedram scholasticam occupare.

XXIII. Vidit Ecclesia nostra Salentinum Archiepiscopum ad propaginem familiæ suæ Isenburgicæ, ùt sperabat, promovendam probante Gregorio XIII. pastorale pedum deponere. Fridericum IV. ob infirmitatem.

XXIV. Quanquam in cessionibus Episcopatuum in sæculis Isidori ætatem antecedentibus non appareat solius Romani Pontificis authoritate eas esse factas more constanti, Rom. Pontificis tamen authoritatem iis cessionibus per sacros Canones vetitis accessisse, non dubia exempla comprobant. Dum odium Cleri & populi ferre non posset Paulus Antiochenus Patriarcha, cessit, & per Justinum Aug. ea abdicatio Hormisdæ Pontifici fuit significata.

XXV. S. Gregorius supplicanti Episcopo Ariminensi ob continuam infirmitatem concessit, ut Ecclesiæ suæ regimen dimitteret.

XXVI. S. Amandum à consilio Trajectensem Ecclesiam dimittendi suo hortatu deflexit Martinus I.

XXVII. Ex his perspicuum est, ad communem totius Ecclesiæ utilitatem, non verò ad Rom. Pontificatûs splendorem augendum pertinere, quòd supremo illius judicio definiri debeat, an petita renuntiatio Episcopatûs sit vel non sit concedenda. Etiam satis intelligit Febronius, illud à S. Sede oppo-

situm

situm renuntiantibus obstaculum canonicum emolumentis Curialistarum obsistere, cùm citius ac frequentius lucrum iisdem ex Decreto arbitrarias cessiones probante obveniret; ideo œconomiam Rom. Curiæ potiùs, quàm quidvis aliud reprehendi oporteret.

XXVIII. Verba Innocentii III. de *Translationibus*, *depositionibus*, *cessionibus*, *non tam constitutione canonicâ*, *quàm institutione divinâ soli Pontifici reservatis*, maluit Febronius glossâ Guilielmi Barclaii, quàm Catholicorum interpretatione commentari. Quid autem est, quod observavit Barclajus? *Hæc illa* (inquit teste Febronio) *Rom. Pontificis verba sunt*, *quibus homines isti in præcipitem errorem deferuntur*, *ut quidquid à Papa fiat*, *à Deo factum esse putent*. Qui verò sunt *homines isti* in eum errorem infeliciter præcipitati? Romani & Romanis addicti.

XXIX. At verò si catholicus est Febronius, reflectere debebat ad analogam S. Concilii Tridentini expressionem de *immunitate Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum*, quam *Dei ordinatione & canonicis sanctionibus constitutam*, dixerunt Patres Concilii. Sicut immunitas illa divinæ ordinationi attribuitur, etsi speciatim, quæ ad immunitatem pertinent, non in Scripturarum oraculis, sed Ss. Canonum definitionibus exprimantur; ita formam & modum translationum, cessionum ad constitutiones canonicas referimus: principium autem, cui hoc Pontificiæ potestatis exercitium superstruitur, est Primatus Pontificius, cui tanquam fundamento ille particularis Ecclesiam christianam gubernandi modus innititur.

Conc. Trid. Sess. 25. de Reform. c. 20.

XXX. Etsi recentiora sint quædam Reservata majestatica Cæsarum, aliarúmque supremarum Potestatum, & ad primitivam soli Deo subjectæ dominationis originem distinctâ expressione non pertineant, non ideo desinunt esse genuina monarchicæ potestatis argumenta. Ut in politicâ, sic in Ecclesiasticâ gubernatione varia temporum conditio immutat speciales regiminis modos, & quod olim permissu Sedis Apostolicæ per Metropolitanos aut provincialia Concilia de translationibus & cessionibus Episcoporum utiliter statuebatur, subinde noxiis perturbationibus occasionem præbuit, & Ecclesiis particularibus damnum intulit.

XXXI. Ideo rectè censuit Thomassinus has de prædictis statuendi potestates in suum fontem primigenium refluere, dum ad Apostolicam Sedem devolvuntur, cùm sola Petri in Apostolos, & Petri Successorum in Episcopos authoritas & potestas jure divino & inconcussâ Christi authoritate nitatur; Metropolitanorum autem & Episcoporum synodaliter in provinciis congregatorum authoritas in Coëpiscopos à Sede Apostolicâ dimanet. Breviori etiam compendio hujuscemodi negotia finiuntur, si ab Apostolico throno super his obtineantur Responsa. Hæc certè ratio erat, quæ Hispaniæ Episcopos movit, ut Hilarum Pontificem interpellarent; ut Episcopus Calaguritanus ad Ecclesiam suam redire compelleretur; à quo Pontifice Legatus ideo

Thomass. p. 2. l. 2. C. 61.

ni

in Hispaniam missus est, *quem*, inquit Hilarus, *pro conservandâ Ecclesiæ disciplinâ commeare ad Hispanias dispositionis nostræ fecit authoritas.* Hâc Hilari jussione recitatâ inquit Thomassinus: Nemo non sentit, utrum compendiosius Ecclesiæ & honorificentius sit à Papâ, an ab Imperatore, à Delegato Papæ, an à Præside provinciæ cogi Episcopos, ut suis affigantur Ecclesiis. Nempe cùm aliquando Metropolitanis & Episcopis Comprovincialibus non pareretur, ad civilem potestatem transitus fiebat, mediúmque efficax Episcopum ad Ecclesiam suam redire nolentem compellendi minùs decorè quærebatur, quòd intra Ecclesiam quæri, & dari oportebat.

XXXII. Addit Febronius Ecclesiastica monumenta abundare eorum etiam exemplis, qui nemine consulto onus Episcopale abjecerunt; plura horum exempla prostare apud Petrum de Marca L. 6. de C. S. & J. Cap. 8. Sed illud caput totum perlustranti perspicuum est, nullum omnino talis cessionis exemplum ibidem proferri. Imò ostendit laudatus Authorsemper tales cessiones fuisse prohibitas, nisi cum causæ cognitione; & resignationes Episcoporum in Ecclesiis Orientis & Occidentis receptas fuisse, modò æquitate quâdam niterentur; Græcorum usum confirmatum esse in Concilio Cpolitano, Occidentis verò praxin literis Pelagii & Gregorii I. & aliorum ac denique Innocentii III. fuisse firmatam.

§. V.

De Episcoporum depositione Febronii sententia examinatur.

1. *Modus puniendi crimina Ecclesiasticorum, per Ss. Canones constitutus, non est invariabilis.*
2. *Canones à Febronio citati de punitione Episcoporum expenduntur.*
3. *Ostenditur in Germaniâ à multis sæculis non esse observatos.*
4. *Quid in Concilio Sardicensi sit dispositum.*
5. *Non est excludenda authoritas Rom. Pontificis.*
6. *Concilia generalia II. & IV. non statuerunt formam judicii invariabilem à Rom. Pontifice independentem.*
7. *Febronius provocat ad Capitt. Hadriani I. ad Angilramnum.*
8. *Ea non sunt Hadriani I. sed Angilramni ad Hadrianum.*
9. *Probant contra Febronium.*
10. *Ex decreto Gratiani citat falsas Decretales Pontificum 1. 2. 3. & 4. sæculi, quarum verba allegantur.*
11. *Ostenditur aliqua ex his esse impertinentia, aliqua per Concilium Trid. esse firmata, & nihil huic Concilio in his allegatis esse contrarium.*
12. *Card. Palavicinus in historiâ Concilii Trid. ostendit decreto de hâc reservatione tantùm XX. Patres obstitisse.*

13. *Febronius dicit Patres Trident. falsis Decretalibus* innocenter delusos *esse, Innocentium III. autem* quodammodo innocenter deceptum.
14. *Duos Canones proponit Febronius, non dicentes id, quod illis affingit.*
15. *Febronii impudentia notatur.*
16. *Nicolaus I. non rectè dicitur acerrimus vindex epistolarum Isidori.*
17. *Verba S. Gelasii allegat Febronius contra se ipsum.*

I. Febronius de authoritate Episcopos criminosos deponendi sensa sua sic aperit: *Episcoporum canonica judicia juxta Canones fieri debere, inconcussa veritas est.* Itane, quod semel per SS. Canones de formâ & modo crimina Ecclesiasticorum puniendi in Ecclesiâ est legitimè constitutum, pro æterno & invariabili habendum est? Nemo certè Canones Pœnitentiales, Ecclesiæ decreta de Lapsis tempore S. Cypriani sancita; constitutiones pœnales etiam in Conciliis generalibus à S. Sede confirmatis editas eam dixerit firmitatem accepisse, ut juxta eos Canones, ea decreta, eas constitutiones usque ad consummationem sæculi exercenda sint judicia.

II. Pergit Febronius: *Canones decernunt Episcopos in Conciliis suarum provinciarum debere judicari, & suppositâ causâ canonicâ seu per Canones expressâ deponi.* Probationem inchoat à Canonibus 14. & 15. Concilii Antiocheni. His disponitur definitivum tunc esse judicium, si *omnes Episcopi provinciæ consonanter eandem protulerint formam decreti.* Si verò contingat provinciales Episcopos dissidere, eundémque ab aliis innocentem, ab aliis reum judicari, à viciná provinciâ alios judices per Metropolitanum esse convocandos. Si Episcopus à synodo damnatus Imperatoris auribus molestus extiterit, ad majus Episcoporum Concilium converti oportere. Si & ab hoc damnatus parvipendens pergat molestus esse Imperatori, decernit Synodus hunc veniâ dignum non esse, nec spem restitutionis futuræ penitùs opperiri.

III. Nemo Germanorum hanc antiquam ab Antiochenis pro ejus temporis ratione constitutam judicii formam nostris temporibus esse accommodam dixerit. Aliter certè judicati sunt & damnati Episcopi gentis nostræ, ut Guntharii, Theutgaudi, Hermanni Wedani, & Truchsesii exemplis jam antè indicavi. Si quid unquam legitimæ subsit mutationi, certè hoc de judicio criminali omnium terrarum & gentium nationes fatebuntur dici oportere, seu statum Ecclesiasticum communem, seu civilem, seu regularem, seu militarem lubeat considerare.

IV. Pergit ad Canones Sardicenses. Sed quanquam his constitutum sit, ut judicio Episcoporum statuatur de Episcopi criminosi depositione. Ipse Canon III. Sardicensis ab Osio conceptus, & à totâ Synodo approbatus ita temperatur: *Si aliquis Episcopus judicatus putat se bonam causam habere... S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinârunt, Julio Rom. Episcopo. Si judicaverit renovandum esse judicium,*

reno-

renovetur, & det Judices. Si probaverit talem esse causam, ut non refricentur ea, quæ acta sunt; quæ decreverit, confirmata erunt. Canon IV. disponit: *Interea dum Episcopus judicio Synodi depositus proclamaverit sibi agendum negotium in urbe Româ, alter in ejus cathedrâ omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.* In Canone VII. statuitur: Ut *si quis ad Episcopum Rom. Ecclesiæ confugerit, hic rogetur, ut scribere dignetur Episcopis provinciæ propinquæ. Si Rom. Episcopus decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent habentes ejus authoritatem, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si crediderit Episcopos sufficere, faciet, quod sapientissimo consilio judicaverit.*

V. An hæc talia sunt, ut exclusâ Rom. Pontificis authoritate totum judicium Comprovincialibus Episcopis relinquatur? Non ita in causâ S. Athanasii per Conciliabula Antiochenum & Tyrium damnati, non sic in causâ S. Joannis Chrysostomi, alisque judicavit Ecclesia Dei. Hæc aliâque de iniquis Provincialium, etiam Nationalium Synodorum sententiis exempla protuli, unum repeto, quòd quanquam Synodus Tyanensis judicaverit Eustathium, & deposuerit, productâ tamen Liberii Pontificis epistolâ statim in suum locum eundem restitutum esse testetur Basilius verbis suprà à me ex ejus epistolâ recitatis.

VI. Concilia generalia Cpolit. & Chalcedonense non statuerunt eam formam judicii tanquam invariabilem & perpetuam, & à judicio Rom. Pontificis penitùs independentem. Satis multa de his jam dicta sunt, quantùm ex iis Conciliis Rom. Pontificis suprema authoritas clucescat. Neque hic necesse est ea repetere, quæ de S. Cœlestino I. & ad eundem scriptâ epistolâ dicta sunt.

VII. Pergit Febronius ex Capitulis Hadriani I. Metensi Episcopo Angilramno traditis (ut ipse loquitur) heteroclita sua asserta fulcire. Non semel Febronio significavi ridendam hanc esse operam, quâ toties conatur ad Rom. Pontificis authoritatem succidendam & evertendam ipsosmet etiam summos Pontifices sibi adsciscere commolitores, & quidem illos, qui eminenti scientiâ aut sanctitate, aut conjunctim utroque hoc ornamento in Catalogo Rom. Pontificum præ aliis effulgent.

VIII. Etiam scire debebat Febronius non Hadriani ad Angilramnum, sed Angilramni ad Hadrianum hanc esse collectionem, cùm Codex Canonum, quem Carolo Regi Hadrianus anno octavi sæculi 82. obtulit, à Siricio incipiat; hæc autem collectio suppositititias epistolas Pontificum à S. Clemente ad Siricium complectatur. Addit Natalis à doctissimo Archiepiscopo Antonio Augustino ea Capitula non Hadriano, sed Angilramno adscribi, & vetustissimos Codices Mss. huic sententiæ suffragari. *Nat. Alexand. Sæc. VIII. c. 1*

IX. Videndum tamen, quid pro Febronio probent ea Capitula. Tertium dicit: *Nullus Episcopus, nisi canonicè vocatus, & in legitimâ Synodo suo tempore*

Apostolicâ authoritate congregatâ, cui jussione Domini & meritis B. Petri Apostoli singularis congregandorum Conciliorum authoritas & Ss. Canonum & venerandorum Patrum decretis multipliciter privata tradita est potestas, super quibuslibet criminibus pulsatus audiatur, vel impetatur. Caput IX. dicit: *Salvo Rom. Ecclesiæ in omnibus Primatu illa, quæ sunt per unamquamque provinciam, ipsius Synodus provinciæ dispenset.* Caput XX. disponit: *Nullum Episcopum extra provinciam esse devocandum*, addit: *Si Metropolitanum aut Judices suspectos habuerit, aut infestos senserit, apud Primatem Diœceseos, aut apud Rom. Sedis Pontificem judicetur.* In Cap. XLII. statuitur: *Provincialis Synodus retractetur per Vicarios Rom. Pontificis, si ipse decreverit.* Cap. XLV. *A quibuscunque Judicibus Ecclesiasticis ad alios Judices Ecclesiasticos, ubi major est authoritas, fuerit provocatum, audientia non negetur.* Si quod quis juris in alium statuit, congruum est, ut eodem & ipse utatur; fas est hæc valida esse contra Febronium, quæ ex his Capitulis pro Sedis Apostolicæ authoritate contra ejusdem systema jam protuli. Quidquid celebres Galliæ Scriptores antiqui & novi de illo antiquo more Gallicanæ Ecclesiæ testentur, ita Roma concedet, ut salva semper S. Sedis authoritas intelligatur, & forma legitimi judicii, ut vocant, criminalis semper iis annumeretur, quæ pro varietate temporum ad communem Ecclesiarum utilitatem justè mutari possunt.

X. Sicut pessimâ fide ad systema suum firmandum sibi Febronius probationes conquisivit, ita longam seriem Decretalium ex Decreto Gratiani contexuit. Quod ut ostendam, sigillatim eas eodem ordine proferam. Ex II. Sæculo producit Anacletum, Sixtum, Hyginum, Anicetum, Eleutherum, & Victorem I.

Caus. 3. q. 6. Can. 13. & 15. Anacletus dicit: *Leges Ecclesiæ Apostolicâ firmamus authoritate & peregrina judicia submovemus*; &: *Unaquæque provincia tam juxta Ecclesiæ quàm juxta sæculi leges suos debet justos, & non iniquos habere judices, & non extraneos, nisi Apostolicæ Sedis decreverit authoritas.*

Caus. 2. q. 6 c. 4. Sixtus I. statuit *licenter appellari ab Episcopo ad Sedem Apostolicam, ne innocens damnetur, aut Ecclesia detrimentum patiatur.*

Caus. 9. q. 3. C. 4. Hyginus vetuit, ne *Metropolitanus absque Comprovincialibus Episcopis audiat causas salvo privilegio Rom. Ecclesiæ.*

ibid. Can. 6. Anicetus statuit, ut *si Metropolitanus sinè provincialibus Coëpiscopis judicando gravare voluerit Episcopum, corrigatur; si incorrigibilis apparuerit, ad Sedem Apostolicam ejus contumacia referatur.*

Caus. 3 q. 6. C. 7. Eleutherus statuit *causam Episcoporum finaliter à Rom. Pontifice esse terminandam, ita ut ante judicium S. Sedis non ordinetur alius in locum Episcopi judicati.*

Caus. 2. q. 6. C. 7. Victor statuit: *Si quis à proprio Metropolitano putaverit se gravari, apud Pa-*

Patriarcham vel Primatem, aut penes universalis Apostolicæ Ecclesiæ Sedem judicetur.

Ex Sæculo III. profert Responsa Zephyrini, Fabiani & Sixti II. Zephyrinus statuit, quòd *Episcopi accusator carere debeat omni suspicione, & quòd plures simul tale judicium exercere debeant, & finis causæ referri ad Sedem Apostolicam, ut ibidem terminetur.* Caus. 3. q. 8. C. 1.

Fabiani Canones 7. à Febronio citati nullam penitùs mentionem faciunt Sedis Apostolicæ. 1. Statuit generaliter, quòd *liceat vitiatam causam remedio appellationis sublevare.* 2. Quòd *appellans non debeat injuriari detentionis custodiâ, aut afflictione.* Canone 21. *Quod si quis judicem adversum sibi senserit, liceat vocem appellationis exhibere.* Canone 22. Quòd *intra 5. dies appellari debeat, & concedi tempus itineri necessarium, si opus est.* Caus. 2. q. 6. C. 1.

Præterea statuit: *Ibi semper causa agatur, ubi crimen admittitur. Qui non probaverit, quod objecit, pœnam ipse patiatur.*

Præterea statuit *Episcopum super criminibus accusatum debere audiri ab omnibus provinciæ Episcopis, & non oportere accusatum alibi, quàm in suo foro audiri.*

Etiam statuit, ut *pulsatus causam dicat ante suum judicem; si autem ante non suum judicem accusatus fuerit, taceat, si voluerit. Si appellaverit, ei induciæ concedantur.*

Sixtus II. statuit: *Omnes Episcopi, qui in gravioribus causis criminantur, quoties necesse fuerit, liberè appellent Apostolicam Sedem, & ad eam quasi Matrem confugiant.* Caus. 2. q. 6. C. 5.

Præterea concedit accusato aut judicato à Comprovincialibus Episcopo *appellationem ad Apostolicæ Sedis Pontificem, qui per se aut per Vicarios negotium retractari procuret*; vetat, *ne interim alius in ejus loco ordinetur Episcopus, donec causa definiatur à Rom. Pontifice.* Caus. 3. q. 6. C. 5.

Ex Sæculo IV. adducit Julium, Felicem & Damasum.

Julius I. statuit: *Ideo S. Sedi privilegia appellationis specialiter esse concessa de congregandis Conciliis, judiciis, ac restitutionibus Episcoporum; & summis Ecclesiarum negotiis, ut oppressi auxilium, injustè damnati restitutionem accipiant, & ab improbis absque ultione talia non præsumantur, nec exerceantur absque damnatione.* Caus. 2. q. 6. C. 10.

Insuper sancivit, *non oportere præter sententiam Rom. Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum damnari, cùm Ecclesia Romana Domino instituente prima sit & caput cæterarum, & ad eam quasi ad Matrem atque apicem omnes majores causæ & judicia Episcoporum recurrant, & juxta ejus sententiam terminum sumant.* Caus. 3. q. 6. C. 9

Felix II. statuit: *Quoties Episcopi se à suis Metropolitanis vel Comprovincialibus putaverint prægravari, ad Rom. Sedem appellent*; vetat eos detineri, Caus. 2. q. 6. C. 16

res sacras illis auferri, eorum Sedes surripi, vim inferri, ut causa Rom. Pontificis authoritate finiatur.

Caus. 3. q. 9. C. 7. Damasus denique prohibet, *ne extra provinciam fiat prima accusatio sine Apostolicâ præceptione.* Dicit: *Criminum discussio ibi agenda est, ubi crimen admissum est, salvâ in omnibus Apostolicâ authoritate.*

Quæst. 6. Can. 6. Præterea mandat, ut *Metropolitanus cum omnibus Comprovincialibus Episcopis causam Episcopi concorditer judicet; sed absque Sedis Apostolicæ authoritate minimè damnetur Episcopus.*

XI. Ex his quædam sunt, quæ, ut dixi, nec S. Sedis, nec Rom. Pontificis mentionem faciunt; quædam Episcoporum iniquis judiciis Episcopalibus oppressorum saluti prospiciunt per appellationis remedium, tum quædam Episcoporum causas Metropolitanis & Comprovincialibus Episcopis ita relinquunt, ut expressè salvam velint authoritatem S. Sedis Apostolicæ. Nihil horum est, quod non firmatum sit sanctissimis Decretis Concilii Trid. (Conc. Trid. Sess. 13.) quod sub Julio III. definivit causas Episcoporum pro criminis objecti qualitate coram Pontifice Maximo referendas, ac per ipsum terminandas esse; idémque explicatiùs sub Pio IV. decrevit, cujus verba recitat Febronius. (Sess. 14. Cap. 5.) Decernunt Patres causas criminales, quæ depositione aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantùm summo Pontifice cognoscendas esse & terminandas. Si causa extra Curiam committenda sit, Metropolitanis aut Episcopis à Beatissimo Papâ eligendis committi debere, sic tamen, ut sola facti instructio, summa & processûs conficiatur, eidémque sanctissimo post processûs transmissionem definitiva reservetur.

Tria, dicit Febronius, *ad hunc articulum veniunt observanda.* 1. Reservationem hanc repugnare genuino juri & disciplinæ Ecclesiasticæ. 2. Hoc decretum in sequelam & vim falsarum Decretalium ordinatum fundari in errore juris communis & emendationi subsequentium temporum subjacere. 3. Oratores Galliæ Concilio præsentes contra fuisse protestatos, quòd juri Regio & privilegiis Ecclesiæ Gallicanæ hoc decretum adversetur.

XII. Ostendit Card. Palavicinus ex Actis Concilii hoc decretum ab omnibus eo consensu fuisse acceptatum, ut Archiepiscopo Jadrensi, qui ejus publicationi obstabat, tantùm XIX. adhæserint.

XIII. Inter Patres Concilii Trid. & Innocentium III. ob Decretalem suprà propositam facit Febronius hoc discrimen, quòd Trid. Patres fuerint *innocenter delusi* ab Isidoro, Innocentius autem *quodammodo innocenter deceptus* sit. Quomodo deceptum, delusum dicam ipsummet Febronium?

XIV. Præter probationes falsas ad systema suum fulciendum conquisitas ex collectoribus S. Sedi malevolis, & præter collectionem ex Decreto Gratiani compilatam Canonum, tum impertinentium ad propositum, tum constanti, quantùm ad rem ipsam, Ecclesiæ catholicæ authoritate confirmatorum, (Caus. 2. q. 6.) duos Canones 11. & 13. proponit, quibus dicit insinuari *eo solùm casu*

Epis-

Episcopos à collegis definitivè judicari non valere, *quo ad Rom. Sedem provocârunt*, quanquam neuter eorundem id asserat.

XV. Non est hoc decipi, deludi; sed decipere, deludere Lectores malè credulos, quos ut efficaciori suâ impressione faciat Pontificiam jurisdictionem & authoritatem detestari tanquam solis fictis Decretalibus innixam, ita inquit: *Pudet tantam falsorum instrumentorum copiam*, *quibus sacra disciplina à Sæculo IX. regitur*, *Lectorum oculis subjicere*, *nisi ea æquè cognita essent Acatholicis & Orthodoxis.* Si verè capax est pudoris, hanc mentis affectionem certè suscitaret, quòd tot falsa congesserit, quòd tam calumniosum judicium de Ss. Concilio Tridentino & Innocentio III. & de totâ Ecclesiâ Catholicâ, ejúsque disciplinâ Ecclesiasticâ novem sæculorum ab Isidoro usque ad hæc tempora tulerit. Quis in imperio aut regno aut quacunque societate civili plurimis sæculis constanter conservatâ, suísque sibi propriis legibus utente unum aliquem ejus societatis civem patienti animo sustineat petulanter constitutiones & leges contemnere, sicut Febronius contempsit Tridentini, aliorúmque Conciliorum generalium novissimorum decreta? Certè illa esset materia justi pudoris.

XVI. Unum hoc loco de Isidoricis Decretalibus indicandum restat, quidquid censuerit Illust. de Marca, verum non esse, quòd Nicolaus I. se *acerrimum vindicem epistolárum Isidori* præstiterit, & novam regulam constituerit, declarando, quod Episcopus, etsi non appellaverit, à Synodo deponi non possit. Satis hæc jam suprà dicta sunt, neque hîc repeti necesse est.

XVII. Verba Gelasii: *Dioscorum Sedes Apostolica suâ authoritate damnavit.* Et de Episcopis Dioscoro pertinaciter consentientibus: *Sedes Apostolica hos in suâ perfidiâ permanentes suâ authoritate prostravit*, irrefragabile authoritati Pontificiæ præbent argumentum. Si *congregatio Chalcedone collecta secuta est hoc judicium Rom. Pontificis*, agnovit ejus judicii authoritatem. Dum *Ecclesia tota suscipit*, *quod prima Sedes censuit judicandum*, *sicut subsistere*, *seu constare non potest*, *quod prima Sedes non probavit*, agnoscitur potestatis suæ limites transgressum non fuisse Cœlestinum, & neutiquam Patres Chalcedonenses ejus sententiam tanquam judicis non legitimi præoccupationem improbâsse, sed *sententiæ authorem secutos esse.* Cur ergo hæc hoc loco retexuit Febronius? Quid significat mirabilis illa phrasis Febroniana: *Quandoque Episcopi loco suo ex præeunte Papæ judicio dejecti sunt per quandam consequentiam*? Omnium tribunalium ea est praxis, quòd præeat sententia, sequatur executio.

§. IV.

§. VI.

Examinatur opinio Febronii de erectione novorum Episcopatuum & Metropoleon.

1. *Febronius dicit certum esse, quòd Metropolitani & particulares Synodi possint erigere Episcopatus jure proprio.*
2. *Probat per duos Canones nullatenus hoc probantes.*
3. *Capit:* Cùm inferior de Major. & obed. *ab eo citatum non favet Febronio.*
4. *S. Gregorius M. per S. Augustinum Britannicum erexit Metropolitanas duas & Cathedrales XII. Ecclesias in Angliâ.*
5. *S. Bonifacius authoritate Zachariæ Papæ erexit Episcopatus in Germaniâ.*
6. *Zachariæ ad Bonifacium epistola de novis Episcopatibus.*
7. *Carolomanni Principis hac de re epistola ad Zachariam.*
8. *S. Bonifacii epistola ad Culbertum Britannicum Metropolitam de relationibus ad S. Sedem faciendis.*
9. *Constans hæc disciplina sæculi VIII. probatur per historiam Caroli M. & exempla Ss. Lamberti & Rumoldi.*
10. *Argumentum negativum Febronii de silentio Concilii Tridentini exploditur.*
11. *Formulam:* Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ, *Febronius dicit ab Episcopis sæculi XV. in morem induci cœpisse.*
12. *Thomassinus ostendit frequentem fuisse usum in sæculo XIV. nec deesse exempla sæculi XIII.*
13. *In Germaniâ frequens fuit usus ejusdem in sæculo XIV. & XV. nunc verò rarior.*
14. *Febronius hanc formulam dicit convenire cum sententiâ Gregorii M.*
15. *Febronii cautela, quam adhibet verbis Thomassini, expenditur.*
16. *Febronius dicit querelam fieri contra Sedem Rom. quòd non erigat tot novos Episcopatus, quot necessarii sunt.*
17. *Papam censet peccare seu erigendo, seu non erigendo.*
18. *Febronius non explicat, quæ sint* politicæ rationes *Papam à sufficientium Episcopatuum erectione retrahentes.*
19. *Querelas contra Pontificem, quòd sufficientes novos Episcopatus non erigat, probat ex libello Gallico contra Patres S. J.*
20. *Refellitur hæc provocatio ob antilogiam Febronii.*
21. *Reservationem instituendi Primatias & Metropoles Febronius adscribit Isidori epistolis.*
22. *Initium hujus prætensionis adscribit Joanni IX. sæculi X. & Gregorio VII.*

23. *Ante hos Gregorius II. S. Bonifacium fecit Archiepiscopum, & Vicarium Sedis Apostolicæ.*
24. *Zacharias Papa pro tribus novis Archiepiscopis misit Pallia.*
25. *Colonia authoritate Pontificis ad instantiam Principum fit Metropolis sacra.*
26. *Moguntia fit Metropolis omnium Germanicarum Ecclesiarum.*
27. *Febronii hallucinationes de Joanne IX.*
28. *Pragam Innocentius III. noluit facere Metropolim; fecit Clemens VI.*
29. *In Germaniâ inferiore Metropoles factæ sunt Ultrajectum & Mechlinia & Vienna Austriæ. Novi Episcopatus his subditi.*
30. *Gregorii Zallwein Benedictini & Barthelii prudens judicium de hoc Reservato.*
31. *Variæ possunt esse causæ justæ talis mutationis Ecclesiarum.*
32. *Crisis Febronii de Primatu Lugdunensi instituto à Gregorio VII. refellitur.*
33. *Senonensi suo Metropolitæ suasit Ivo Carnotensis parendum esse Pontifici.*
34. *Pro Senonensi intercessit Ludovicus VI. Rex apud Pontificem, Lugduno nondum ad Coronam pertinente.*
35. *Sub Philippo Pulchro finita est causa pro Lugdunensi.*
36. *Infertur erràsse Febronium, quòd in hac causâ Romani Pontifices innixi fuerint falsæ Decretali.*
37. *Febronii commentum de novo Patriarchatu Gallicano exploditur.*
38. *Dicit, Papæ ùt Patriarchæ Occidentis consensum ad hoc requiri; non tamen, si aliud exigat utilitas communis.*
39. *Dicit in sæculis ignorantiæ fuisse missos Legatos ad præsidendum Synodo Nationali.*
40. *In Galliâ pro lubitu Regis dicit convocari Synodum Nationalem relativè ad statum regni.*
41. *Synodum Turonensem sub Ludovico XII. declaràsse subtractionem ad tempus ab obedientiâ Pontificis.*
42. *Citat Berthier & Duvallium & Thuanum ad probandum, quòd eligi debeat caput Nationale in suâ hypothesi.*
43. *Refellitur Febronii dictum*: Eunt à pari.
44. *Idea conventûs Nationalis Febroniani refellitur.*
45. *Expenditur ejus dictum*: Relativè ad statum regni.
46. *Refellitur, quòd missionem Legatorum Pontificiorum attribuat sæculis ignorantiæ, & probatio ex Opere P. Natalis.*
47. *Refellitur argumentum Febronii ductum à dissidio Julii II. & Ludovici XII.*
48. *Turonensis & Pisani conventûs Acta contra Rom. Pontificem improbavit Synodus generalis Lateranensis, & ipse Ludovicus Rex.*
49. *Refellitur ejus provocatio ad tempora funesti schismatis.*

50. *Cum Carolo VI. se Cardinales ab obedientiâ Petri de Lunâ subtraxerunt.*
51. *Ab obedientiâ Pontifici dubio subtrahendâ Febronius malè facit argumentum.*
52. *Berthieri verba non favent Febronio ad ea provocanti.*
53. *Duvallius rectè sensit de obedientiâ Petro Lunensi negatâ à totâ Galliâ.*
54. *Refellitur falsa Thuani relatio de Carolo V.*

I. Quòd Metropolitanus & particularia Concilia possint novum Episcopatum erigere (utique non petito Rom. Pontificis permissu & assensu) dicit Febronius omni jure scripto esse certum.

II. Hoc ostendere nititur per duos Canones ex Decreto Gratiani. Eorum primus ex Concilio Carthaginensi depromptus statuit, ut *Diœceses, quæ nunquam Episcopos habuerunt, non habeant; & illa Diœcesis, quæ aliquando habuit, habeat proprium.* Posterior Canon ex Africano Concilio sumptus decernit, ut *plebes, quæ Episcopum nunquam habuerunt, nonnisi cum voluntate ejus Episcopi, cui tunc subsunt, proprium Episcopum accipiant.* Thesi Febronianæ alii Canones quærendi erant. Hi duo planè aliud loquuntur, quèm id, quod voluit Febronius. *Caus. 16. q. 1. Can. 50 & 51*

III. Decretalis Gregorii IX. non magis, ac prædicti duo Canones Rom. Pontificis authoritatem excludit. Archiepiscopus Collocensis, cui Gregorius IX. eam Decretalem scripsit, ad Sedem Apostolicam provocaverat contra Archidiaconum Firmiensem, & S. Sedis authoritate non tantùm erectio, sed & exemptio dicti Episcopatûs fuit impetrata, quòd Glossa ordinaria explicat, probátque in voce: *Cathedralem* ibid. Summi Pontificis authoritate novos Episcopatus erigi. *Cum inferior. 16. de Maj. & Obe.*

IV. Summorum Pontificum exempla illud commonstrant. S. Augustino Britannico S. Gregorius M. dedit in mandatis, ut Metropoles duas constituat, Londinensem & Eboracensem, & per loca singula 12. Episcopos ordinet.

V. S. Bonifacius Zachariæ Pontifici scripsit, se tres ordinâsse Episcopos, S. Burchardum Wirzburgi, Vitanum Burisburgi, & S. Adelarium Erfordiæ. *Hæc tria loca,* inquit, *propriâ authoritate Apostolatûs vestri roborari & confirmari diligenter postulamus, ut si Dominus voluerit per authoritatem & præceptum S. Petri jussionibus Apostolicis fundatæ & stabilitæ sint tres in Germaniâ Episcopales Sedes, & ut præsentes vel futuræ generationes non præsumant vel parochias corrumpere, vel violare præceptum Apostolicæ Sedis.*

VI. Rescripsit Zacharias: *Meminisse debes charissime, quod Ss. Canonibus præcipimur observare, ut minimè in villulas vel in modicas civitates Episcopos ordinemus, ne vilescat nomen Episcopi. Quæ tamen proposuisti, absque morâ concedimus & statuimus per authoritatem Apostolicam Episcopales illic esse sedes, id est in oppidis designatis.* Addit: *Dum adjuvante Deo, quæ à Carolomanno Filio nostro permissa sunt, ad effectum perducta fuerint, tuáque fraternitas memo-*

memorato Concilio consederit cum excellentissimo Viro, si quos repererit Episcopos, Presbyteros aut Diaconos in adulteria vel aliis capitalibus vitiis, tua sanctitas nullâ ratione, Apostolicâ authoritate permittat Sacerdotio fungi.

VII. Carolomannus promissa complevit, convocatum est Concilium 6. Episcoporum. Princeps scripsit Pontifici: *Ordinavimus per civitates Episcopos & constituimus super eos Archiepiscopum Bonifacium, qui est Missus Petri. Fraudatas pecunias reddidimus Ecclesiis, falsos Presbyteros abstulimus, & ad pœnitentiam coëgimus... Venationes omnibus servis Dei interdiximus. Statuimus, ut secundùm canonicam cautelam omnes undequaque venientes ignotos Episcopos vel Presbyteros ante probationem synodalem in Ecclesiastico ministerio non admitteremus. Decrevimus quoque, ut secundùm Canones unusquisque Episcopus in sua parochiâ solicitudinem gerat adjuvante Gravione*, id est Comite defensore Ecclesiæ. Multáque alia in hoc Concilio salubriter statuta sunt. Zacharias hæc statuta ex Bonifacii relatione cognovit, & encyclicâ epistolâ ad omnes Episcopos Galliæ confirmavit hortando, ut Bonifacii monitis omnes obtemperent.

VIII. Bonifacius Cuthberto Archiepiscopo Britannico hæc statuta misit, addiditque: *Confessi sumus fidem catholicam & unitatem & subjectionem Rom. Ecclesiæ, fine tenus vitæ nostræ, velle servare S. Petro, & Vicario ejus velle subjici, Synodum per omnes annos congregare, Metropolitanis Pallia ab illâ sede quærere, & per omnia præcepta Petri canonicè sequi, desiderare, ut inter oves sibi commendatas numeremur.* Tum de jure Metropolitani in subjectos Episcopos memorat, additque: *Si quid Episcopus in suâ Diœcesi corrigere nequiverit, insinuet Archiepiscopo in Synodo, sicut Rom. Ecclesia nos cum sacramento constrinxit, ut si sacerdotes, vel plebem deviâsse viderim, & corrigere non potuerim, fideliter semper Sedi Apostolicæ & Vicario Petri indicarem ad emendandum.*

IX. Ecce Febroni constitutam, observatámque in Germaniâ disciplinam ante medium sæculum VIII. cùm phœnomenon Isidori nondum orbi apparuisset. Quid in eodem sæculo Carolus M. ad Ecclesiæ catholicæ propagationem fecerit in Saxoniâ & Westphaliâ, Episcopos Hadriano I. Rom. Pontifice approbante constituendo, quid Ss. Lambertus & Rumoldus in inferiore Germaniâ sub directione S. Sedis Apostolicæ fecerint, testantur monumenta eorum temporum. Ecce Febroni, quæ tunc novorum Episcopatuum initia fuerint in Germaniâ nostrâ.

X. Futile argumentum, quod negativum vocant, hoc addit Febronius: *In Tridentino nihil legitur, quod hac in re Pontificiæ reservationi faveat.* Non latebat, quòd simili nos argumento ferire tentent heterodoxi, quòd nihil in libris N. T. inveniatur, quod faveat religioso cultui Ss. Imaginum & Reliquiarum. Quantum hæc inanis ratiocinatio prodest Iconomachis, tantùm & illud prodest Febronio. Si, quod Tridentini Patres disertè statuerunt de Episco-

coporum depositionibus, aliisque reservatis Pontificiis, æquè expressè de novorum Episcopatuum erectione statuissent, iterum à Febronio dicerentur innocenter delusi per epistolas Isidoricas, at dum de erectione tacuerunt, Febronio videntur sapientes & boni.

XI. Pungit Febronium illa nunc in Ecclesiâ Dei constanter & ubique recepta consuetudo, quòd Antistites cum Ecclesiâ Romanâ communionem habentes se scribant *Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopos.* Hunc morem dicit sæculo XIV. nondum fuisse usitatum.

XII. Duo tamen ex XIV. sæculo exempla à Thomassino p. IV. l. 1. c. 22. dicit exhiberi, nempe primos, qui eâ uterentur, fuisse Archiepiscopos Narbonensem, & Turonensem. Thomassini opus de Discip. Eccl. quatuor partes non habet, & in p. 1. l. 2. c. 60. dicit idem celeberrimus indagator antiquitatis Ecclesiasticæ: *Quos primos memini legisse me hoc titulo singularis in Sedem Romanam vel clientelæ vel observantiæ, vel conjunctionis insignitos, ii fuêre Episcopi latini Insulæ Cypri. Eo usus est Archiepiscopus Nicosiensis ab anno* 1251. *Alius ejusdem Sedis Pontifex eo usus est in Synodo, cui præerat beneficio & favore Apostolicæ Sedis.* Addit Thomassinus ibidem annis 1316. 14. & 17. eo usos esse Archiepiscopos Ravennates tum in epistolis, tum in Conciliis. Imitatos esse Narbonenses & Turonenses.

XIII. Diplomata Archiepiscoporum & Episcoporum Germaniæ ostendunt hujus tituli usum in sæculo XIV. frequentem fuisse. Nunc, etsi S. Sedem Germaniæ præsules reverenti colant obsequio, verba: *Apostolicæ Sedis gratiâ* eorum in titulis omittere solet stylus Curiarum.

XIV. Quod mirum est, Febronius hanc *formulam* dicit *cum sententiâ Gregorii Magni convenire*, qui pro suâ modestiâ vetuit, ne in die anniversariâ suæ ordinationis Papalis conveniant, sicut consueverant, sed ad Natalem S. Petri, *ut ei, ex cujus largitate Pastores sunt, gratiarum actiones solvant*, sive (ùt Benedictini editores Operum S. Gregorii commentantur) *Sedi Apostolicæ, cujus gratiâ sunt Episcopi, se gratos profiteantur.* Mirum est, inquam; quæ enim conventio lucis Gregorianæ ad tenebras Isidori?

XV. Thomassini mentio ne sibi fraudi sit, cavet, ne *crudè Lector accipiat, quòd Metropoliticorum supra Episcopos eminentiam* laudatus Author dixerit *à Primatu Petri dimanâsse*, monet, ut Thomassini assertio ad ea jura, quæ Pontifices *Pallio Archiepiscopali* annexuêre, providè restringatur. Ædepol, subtilis cautela! Quis nexus inter jura *PALLIO* annexa, & tituli formulam?

XVI. Versatilis in omnem partem alium pugionem prensat, quo Sedem Apostolicam adoriatur. Sunt, inquit, qui cum fundamento querantur à Rom. Sede ex politicis rationibus ei Curiæ propriis tot non erigi novos Episcopatus, quot institui postularent populorum ad veram fidem conversiones.

XVII. Adeò longè Febronius abesse vult ab asserendâ ἀναμαρτησία & *inerrantiâ* Rom. Pontificis, ut quocunque Papa se verterit, fatali necessitate peccare

caro

enre cogatur; seu novos Episcopatus quosdam erigat, seu ab erectione abstineat, nunquam evadet Febronii censoriam correctionem; si quos erigit, sequitur ductum impostoris, quòd superbè attentet ea, quæ maligno dictatu præscripsit falsarius, *qui sibi propofuit ex Rom. Pontifice absolutum Monarcham facere.* Hoc Febronius felicissimâ observatione detexit & tam eleganti facundiâ benignè Germanos docuit. In genere absolutæ Monarchiæ libenter assurgens Rom. Pontifex docilem se discipulum præbet impostori, attentat erectionem novorum Episcopatuum, sicut docuit impostor unam hanc esse ex *causis majoribus.* Peccat erigendo vel unicum, peccat erigendo non plures.

XVIII. Quas rationes politicas Febronius significare intendat non communes aliis Curiis sæcularium Monarcharum, sed Rom. Curiæ proprias, non est dignatus distinctè proponere. Si hoc Isidori consilium fuit ex Rom. Pontifice Monarcham absolutum facere, qualis ante ipsum nemo Pontificum fuit. Si voluit Papa juxta ideam Isidoricam principari monarchicè instar Monarcharum sæcularium despoticâ dominatione, cur politica media, quæ aliis Curiis communia sunt, Curiæ Papali accommoda non sunt visa? Cur ad communem terminum supremitatis eundum non erat eâdem viâ, & finem communem per media diversa Curiæ Romanæ propria quæri oportuit? Jam exploretur, quid fundamenti habeant querelæ contra Rom. sedem, quòd pauciores Episcopatus erigat, quàm necesse sit. Probatio non deest Febronio.

XIX. Quæ verò illa? Una hæc, quam suggessit libellus gallicus adversùs Jesuitas: *Questions proposées à l'auteur de l'appel à la raison.* Imputatur eisdem Religiosis, quòd in Missionibus Indiarum impediant erectiones Episcopatuum: *Les Apôtres, & leurs imitateurs en arrivant dans un pays commencoient par y etablir un Evêque, l'Evêque etablissoit des Curés &c. C'est là ce, qu'on appella la Hierarchie, & une Mission executée selon l'esprit de l'Eglise . . . Pourquoi donc les Jesuites ne l'ont y pas suivie? Pourquoi point d'Evêques? Pourquoi point des Curez dans leurs Missions?*

XX. Liceat Febroni curiosiùs ex te sciscitari, quare, si (quod tu arbitraris) Rom. sedes peccat non erigendo novos Episcopatus conversis Nationibus necessarios, Jesuitis imputetur, quòd Indis & Sinensibus & Japonibus non præficiantur Episcopi & Pastores? Si autem, (quòd ille Gallus quæstionum autor arbitratur) Jesuitæ spiritui Ecclesiæ resistunt, & Hierarchiæ constitutionem impediunt, quare Rom. sedi imputatur, quòd illæ gentes careant Episcopis & Pastoribus? Contra Congregationem *de propagandâ fide*, & Rom. Pontificem quinam quiritentur, quodnam justum sit fundamentum querelarum, meliùs probandum, ut calumniæ labem abstergas. Ostende, si potes, quis Metropolitanus, quod Concilium particulare debeat constituere Episcopos & Parochos in Indiâ utrâque, in imperio Sinarum & Japoniâ, dum putas *fore utilius pristinam hâc in parte disciplinam reduci*, quæ

juxta te novorum Episcopatuum erectionem Metropolitanis & Conciliis particularibus fecit propriam. Dic, quare nationibus recenter conversis dandi sunt Episcopi & Pastores à Romano Pontifice in terris Americanis, alibi autem à Metropolitis & Synodis?

XXI. Prætensiones Ultramontanorum de Metropoleon & Ecclesiarum primatialium institutione summo Pontifici reservandâ dicit Febronius esse Epispartum Isidoricæ collectionis; cœpisse Pontifices obmurmurantibus frustra copis hoc jus sibi circa sæculum X. vindicare.

XXII. Ne Lector probationem desideret, ostendit in sæculo illo decimo Joannem IX. tres novos Episcopatus in Slavoniâ instituisse, & his novam Metropolin sacram præfecisse frustrà querentibus Juvaviensi Archiepiscopo, & aliis Episcopis, & in sæculo XI. S. Gregorium VII. primatialem fecisse Lugdunensem. Quid inde argumenti Logica Februniana conficit? Hoc: Joannes IX. vixit in sæculo X. Gregorius VII. in XI. ergo circa sæculum X. cœperunt Pontifices sibi hoc jus vindicare.

XXIII. S. Bonifacio Gregorius II. vicariam potestatem in Germaniâ, vicinisque provinciis Galliæ contulit, & Archiepiscopum Regionarium his verbis: *Non habebis licentiam frater pro incœpti laboris utilitate in uno morari loco. . . Ubi tibi Dominus aperuerit viam salutis, prædicare non desistas, & ubi locum inveneris, secundùm canonicam regulam Episcopos ordina ex nostrâ vice.* in Bavariâ quosdam falso Episcopatûs gradu seducentes populum loco movit, dignósque Sacerdotes ordinatione in Episcopalem gradum sublimavit; his Rom. Pontifici renuntiatis hoc responsum accepit à Gregorio: *Benè & satis prudenter egisti frater; quoniam Apostolicam præceptionem ex nostrâ vice implêsti.*

XXIV. Zacharias Gregorii successor eâdem illum vicariâ potestate honoravit, & cùm in Austrasiæ regno ultra 80. annos nullus Archiepiscopus fuisset, authoritate Apostolicâ per Bonifacium tres constituti sunt, & statim à Pontifice confirmati, pro quibus tria Pallia Bonifacio missa sunt. Depositus est Gervilio Moguntinæ Sedis Antistes. Principum Carolomanni & Pipini placito Sedes Coloniensis destinatur Bonifacio.

XXV. Zacharias de Sede Coloniensi ita scripsit: *De civitate, quæ nuper Agrippina vocabatur, nunc verò Colonia, juxta petitionem Francorum, per nostræ authoritatis præceptum nomini tuo Metropolim confirmavimus, & tuæ sanctitati direximus pro futuris temporibus ejusdem Metropolitanæ Ecclesiæ stabilitatem.* Pagius inquit: *Civitas Coloniensis his verbis Metropolitana declaratur.*

Pagi in Brev. Rom. Pontific. ad an. 745.

XXVI. Mutato Principum consilio Bonifacius sedem fixit Moguntiæ, & legatione factâ à Principe Apostolico impetravêre Principes, ut Ecclesia Moguntacensis, quæ priùs Coloniensi subjecta erat, Metropolis omnium Germanicarum Ecclesiarum fieret teste Othlono Bonifacii Biographo. Dum

hæc

hæc ante medium VIII. sæculum acta sunt, ex historiâ nostræ gentis discat Febronius in Sæculo X. initium hujus juris Pontificii non esse quærendum.

XXVII. Dum Joannes VIII. in sæculo IX. (non Joannes IX. in sæculo X. quod asserit Febronius) tres novos Episcopatus in terrâ Sclavorum seu Moraviâ conderet, iisque novum Archiepiscopum præficeret, non auditis illis, intra quorum limites Diœcesanos loca illa novis Cathedris destinata censebantur, qui erant Pataviensis jure Diœcesano & Salisburgensis jure Metropolitico, hi (inquit Thomassinus) eâ, quâ decet erga primam sedem, reverentiâ, sed eâ, quam debebant suis Ecclesiis, libertate fidentiùs contestati sunt illud Rescriptum æquitati & Ss. Canonibus infestum videri, cúmque ex eo tempore Moravia Metropolitanum proprium non habuerit, credit laudatus Thomassinus Pontificem eorum precibus cessisse, nihil de importunis oppositionibus, obmurmurationibus memorat.

XXVIII. Contrà verò, nequid juris Metropoli Moguntinæ decederet, Ottocaro Bohemiæ Regi elevationem Pragensis civitatis, quòd caput regni esset, ad sacræ Metropoleos dignitatem vehementer desideranti Papa Innocentius III. obstitit. Clemens VI. postea, quod Innocentius negaverat, concessit addito jure ungendi Regem Bohemiæ, quod in id usque tempus ad sedem Moguntinam pertinebat.

XXIX. Diu postea in Germaniâ inferiore constitutæ sunt authoritate Rom. Pontificum sacræ Metropoles Ultrajectina & Mechliniensis & nostrâ ætate Viennensis in Austriâ.

XXX. Verè dixit doctissimus Zallweinius: *Miserrima erit conditio Pontificis, si in distribuendis bonorum titulis, dispensandis dignitatum prærogativis quascunque audire querelas & attendere debeat, ne unum alteri reddat æqualem, aut superiorem faciat. Hâc ratione Pontifici auferetur occasio compensandi singularia Ecclesiarum & Præsulum merita, Præsulibus adimetur stimulus multa & præclara agendi in bonum Ecclesiæ. An Imperator,* inquit, *Proceribus injuriam facit alterum alteri præferendo?* Solam qualemcunque in ordine hierarchico mutationem, dicit non præbere sufficientem causam contradicendi novationibus Pontificiis, laudátque dictum hoc Barthelii: *Quemadmodum summi Principis est politicas dignitates, earúmque insignia tribuere, ita & in Ecclesiâ Christianâ veluti sacrâ Rep. Ecclesiasticos honores, eorúmque tesseras & symbola nemo præter eum, quem Ecclesiæ universæ præposuit Dominus, rectè elargietur.*

Zallw. Princip. Jur. Ec. Tom. 4. 1. 3. c. 4. §. 12.

Barthelius Diss. Canon. de Pallio, c. 2.

XXXI. Aliquando non personarum remuneratio, sed communis utilitas Christiani populi periclitantis præcipuum Rom. Pontificibus ad has novationes est incitamentum, quale erat in Mechliniensis Metropolis erectione; aliquando Principibus de Christianâ Rep. optimè meritis gratum faciendi justa propensio ad id præcipuè movet sedem Apostolicam, quod in Viennensi, Ulyssiponensi novatione apparuit. Apage igitur crisin perversam & Catholico

lico indignam, quâ inter Germanos primus contra non tantùm Episcopos, sed & Principes nationis nostræ & omnium Germaniæ ordinum sapientes hàc in re obstrepere ausus est Febronius.

XXXII. Præteriri hoc loco non debet crisis Febroniana huic disquisitioni intexta de Primatu Lugdunensi instituto per Gregorium VII. *Nequaquam obscurum est*, inquit, *in Decretalem falsam Clementis I. intendisse, dum profitetur se in hâc erectione antiqua SS. Patrum vestigia imitari.* Gregoriani diplomatis hæc verba sunt: *Postulâsti à nobis, quatenus dignitatem ab Antecessoribus nostris concessam Ecclesiæ, cui Deo autore præesse dignosceris, confirmaremus, & ab infestatione hostili eam Apostolicæ Sedis defensione tueremur. Inclinati precibus tuis confirmamus Primatum super provincias* (Lugdun. Rothom. Turon. & Senonensem) *tibi, tuisque Successoribus.*

XXXIII. Senonensis obstitit. Hujus Suffraganeus Ivo Carnotensis scripsit Senonensi: *Si qua habetis privilegia Apostolicâ manu roborata, vel scripta authentica, quæ Primatum Lugdunensis Ecclesiæ removeant ab Ecclesiâ vestrâ, & eidem libertatem defendant, .. transmittatis, quibus innitamur, & libertatem Matris nostræ pro posse tueamur. Quæ si modò ad manum non habeatis, non est consilium meum, ut contra torrentem brachia dirigatis; imò Apostolicis Sanctionibus interim acquiescatis absque præjudicio privilegiorum, si quando reperiri possunt.* Senonensi in suâ pertinaciâ permanente Ivo cum cæteris Episcopis paruit decreto Gregorii VII. per Urbanum II. & Synodum Claromontanam confirmato.

XXXIV. Cùm discordia invalesceret Petri Sedem tenente Calixto II. intercessit Ludovicus VI. pro Senonensi datis ad Calixtum literis. Veterùm Pontificum institutioni, quâ Lugdunensis Primatum acceperat, opposuit Rex libertatis possessionem. Addidit, latenter, nesciente Clero Senonensi, inconsultis Episcopis provinciæ, ignorante etiam Rege, factam fuisse novationem. Tum ait: *Videat dulcissime Pater discretio vestra, ne Civitas Lugdunensis, quæ de alieno est regno* (tunc enim nondum Regi Franciæ Lugdunum parebat) *de nostro floreat detrimento. Rex ergo Franciæ, qui proprius est Rom. Ecclesiæ filius si in facili causâ, in levi petitione contemnitur, nulla spes in majori relinquitur.*

XXXV. Cùm tandem civitas Lugdunensis in Franciæ jura transiret sub Rege Philippo Pulchro, etiam Regis consensus accessit, & Primatus Lugdunensis firmitatem accepit cessante, quod possessionem turbabat, impedimento.

XXXVI. Vide Fabroni ad alia se convertisse Ludovicum Regem, & Præsules Rom. Pontificis decreto resistentes, quàm ut ex solâ apocryphâ Decretalis fictione Papalem constitutionem subvertere conarentur. Ivo sagax & oculatus inprimis, tum & suæ libertatis vindicandæ studiosissimi Senonenses Archipræsules frustra tot argumentis egissent suam causam, si nequaquam obscurum fuisset solâ illâ Decretali Clementis I. decretum Gregorii fuisse subnixum.

nixum. Certè illa Clementi I. adſcripta epiſtola non continebat hanc legem verbis his aut ſimilibus conceptam: *Lugdunenſis Eccleſia primatialis eſto. Præſuli Lugdunenſi obediant Rothom. Turon. Senonenſis.* Ergo neququam Febronio potuit eſſe clarum, quòd Gregorius in Decretalem Iſidoricam Clementis I. intenderit.

XXXVII. Denique in hâc diſcuſſione de novis dignitatibus Febronius memorat aliquoties in Galliâ propoſitum, deliberatúmque de Patriarchatu novo in Galliâ formando; crediditſe aliquos conſenſu Rom. Sedis ad eum ſtabiliendum opus non eſſe. Quo in Concilio? quibus in Comitiis? quo in ſæculo? An aliquo ex luminoſis, an autem aliquo ex tenebroſis? An Auguſtali juſſione, an ſeu Eccleſiæ, ſeu Regni Procerum conſultatione mirabilis illa quæſtio fuerit tractata, Febronio non placuit aperire; myſterium Febronianum eſt & manebit.

XXXVIII. Ipſe hoc ſuæ mentis idolum lepidè formatum lepidè ſtatim adoritur: *Orientales Patriarchatus*, inquit, *ibant à pari cum noſtro Occidentali; at ſi ageretur de novo Patriarchatu excitando intra fines noſtri Patriarchatûs Occidentalis, non poſſet id regulariter fieri Patriarchâ Romano rationabiliter diſſentiente.* Vult tamen hoc intelligi *ſalvis iis, quæ extra ordinem pro re natâ ex Eccleſiæ bono conſtitui* poſſe in Cap. 9. ſe dicit memoraturum. Ne moleſta exſpectatio Lectorem ſuſpendat, è re erit paucis indicare, quæ ſalva eſſe cupiat. Vult, ut Patriarchatus in Patriarchatu (quod *regulariter* negat poſſe fieri) ſtruatur: *Extra ordinem. Pro re nata. Pro Eccleſiæ bono.*

XXXIX. In ſæculis *ignorantiæ* ait miſſos fuiſſe Legatos Pontificum, qui Nationalibus Synodis præſiderent; ceſſaſſe hoc, ex quo compertum eſt, *modum eſſe ponendum molitionibus Italorum.*

XL. Per nationales conventus à Regibus Galliæ pro eorum lubitu convocatos dicit rem eſſe reſtitutam. Præſidente uno ex Epiſcopis regni *ſub Regis auſpiciis* dicit examinanda & ordinanda eſſe in iis conventibus puncta Eccleſiæ convenientia *relativè ad ſtatum regni.*

XLI. Dicit: *In ſæculo XVI. Ludovicus XII. in Synodo Turonenſi judicanda propóſuit gravamina à Julio II. illata Carolo VI. In ſimili conventu* ait, *decreta eſt ſubtractio ab obedientia Papæ. Si Papa ſe tali conventui opponat, & cum regno ſchiſma faciat (quia hoc facto & culpa ejus fit, non autem culpa Regis & Epiſcoporum) extra ordinem ad tempus eligatur CAPUT NATIONALE.*

XLII. Berthierum citat; quo teſte fidem facit illud an. 1408. contigiſſe. *Recurrebatur ad comitia Cleri*, inquit Berthier, *tanquam tribunal Eccleſiaſticum nationis.* Citat Duvailium, qui dicit Benedicto XIII. negatam fuiſſe obedientiam, quòd *ſchiſmaticus eſſet, & contra jus fáſque ſtatueret de beneficiis.* Thuanum dicit teſtari, quòd anno 1524. Carolus V. *nominis Pontificii authoritatem aboleverit per omnem Hiſpaniam ob injuriam ſibi à Clemente VII. illatam.*

 Ob-

Ob intolerabiles inquit, abusus Monarchiæ Romanæ & durissimas despotismi consequentias viri prudentes, docti & pii statuant in Synodo nationali, an non expediat temporaria subtractio. Hæ fibræ sunt, hi nervi damnatæ compaginis, quam suo cerebro formavit Febronius.

XLIII. Benignè concedit *non posse regulariter* novum Patriarchatum contra voluntatem Rom. Pontificis erigi, non quia Rom. Pontifex est, sed quia unus antiquorum Patriarcharum est, qui, ùt eleganter loquitur post Gers. Febronius, *eunt à pari*. Curæ ipsi non est succidi Primatum, quo Pontifex omnes totius mundi Antistites, quocunque titulo præfulgeant, exsuperat. Ut verò extra ordinem id fiat, requirit pro re natâ Ecclesiæ bonum.

XLIV. Per conventum nationalem vult de summâ rerum ad Ecclesiam catholicam spectantium consultandum esse *sub auspiciis Regis relativè ad statum regni*. Papa velit, nolit, consentire debet ex Febronii decreto Conciliis distinctis tot nationum, quot sub sole diversis potestatibus parent, seu Imperatoris, seu Regis titulo, seu communi, qualem Respublicæ liberæ habent, dominatione principatum teneant.

XLV. *Relativè ad statum* seu Imperii, seu Regni, seu Reip. *sub auspiciis* eorum, penes quos ibi summa rerum, & legum arbitrium est, formatis de fide, de communi disciplinâ Decretis Pontificem obedire necesse est. Si nolit, illico debet tanquam schismatis autor tot per diversa studia scissarum inter se nationum placitis damnari, eóque damnato ad *Caput nationale* eligendum eæ nationes procedent, quarum placitis Rom. Pontifex assentiri detrectaverit. Quòd Roma centrum unitatis esse desinat, Rom. Præsuli, non ipsis nationibus imputabitur. Justa esse omnia, quæ sub auspicio Cæsaris aut Regis, aut Reip. constituta sunt *relativè ad statum* provinciæ, adeò certum reputabitur, ut de iniquæ secessionis, per Rom. Pontificem attentatæ improbo & injusto ausu non sit dubitandum. Quanquam illa auspicia tot Principum & Rerump. non facilè possint esse consona, neque consultationes, quas quæque natio *relativè ad statum* sui *regni* aut reip. in cœtibus aut comitiis membrorum ad communia negotia convocandorum fieri decernet, in eundem scopum, attentâ hominum in consultationibus & deliberationibus & suffragiis varietate, collineare possint; tentanda tamen erunt hæc omnia, unicúmque hoc operarum tantarum in plurimis, iisque diversissimis nationibus impendendarum pretium erit principatum Rom. Pontificis pessundari, & libertatem in particulares Ecclesias, imò non in eas tantùm, sed & in privatos quosque Catholicos ex tot fontibus refluere, qui pro aquis turbidis, quas ex infecto per Isidorum fonte Romani hausimus, dent nobis aquam vivam doctrinæ puræ & disciplinæ intaminatæ. Quis crederet ad eam usque insaniam progredi potuisse scriptorem Catholicum, nisi hæc nationis nostræ Jurisconsultus è suâ latebrâ omnium Catholicorum & Acatholicorum oculis præsidenti suâ temeritate obtrusisset? An bonum Ecclesiæ extra ordinem exigens

gens Patriarcham novum, seu novum *caput nationale* reipsâ fit Ecclesiæ bonum; an Rom. Pontificis contradictio, quâ placitis alicujus Synodi sub auspiciis politicæ dominationis, & *relativè ad statum regni* aut reip. sancitis refragatur, justa aut iniqua sit, solius multitudinis arbitrio relinquitur definiendum. Quid auspicia illa postulent, quid relativè ad statum provinciæ expediat statuere, dissitæ gentis Antistitem, seu, ùt Puffendorffius loquitur, *extraneum Sacerdotem* nescire jactabitur. Fides ac disciplina Statui politico fiet accommoda. Tot fides erunt, quot nationes, tot diversa *centra unitatis*, quot erunt in singularum provinciarum cœtibus capita, quæ suam sententiam facient suffragiorum numero prævalere.

XLVI. Examinandum restat, quibus fulcimentis Febronius damnatum systema superstruat. Ita ipse ratiocinatur: *In sæculis ignorantiæ* prævalida potestas Pontificum suos Legatos in Galliâ, Germaniâ, aliisque regnis fecit nationalibus Synodis præsidere. Cessavit hoc, postquam compererunt refrænandos esse Ultramontanos. Refrænârunt nationales conventus Gallici, Regum arbitrio collecti eas molitiones, & præsidente uno ex Episcopis regni restituerunt. *Hoc egregiè probavit Natalis Alexander contra Censores Romanos.* Hæc Febronius. Loco cit. incipit Natalis à Concilio Aurelianensi I. quod congregatum sub Clodoveo, nempe à V. sæculo usque ad IX. medium, & seriem claudit in Suessionensi, quod anno 853. celebratum est sub Carolo Ludovici filio. Atqui hæc sæcula ipso judice Febronio non sunt ignorantiæ, sed luminosa, cùm tota illa periodus antecesserit Isidorum. Quid itaque est, quod pro paradoxo Febroniano egregiè probavit Natalis? *Jure protectionis Ecclesiæ, non jure sacri regiminis* factas fuisse omnes illas convocationes Regias Episcoporum disertè docet eodem in loco P. Natalis, & magis explicatè contra Launoium in totâ dissertatione de Nicæni Concilii convocatione. Ibi ostendit, quid fecerit Constantinus adhuc catechumenus *ex Sacerdotum sententiâ apud Urbem Nicæam.* Ostendit multas ante Constantini imperium convocatas esse Synodos absque ullo Principum interventu. Ex VIII. oecumenicâ probat, quòd *nusquam Ss. Canones convenire sæculares Principes in Conciliis sanxerint, sed solos Antistites.* Ostendit Launoio jam aliàs à me recitatum dictum Hosii ad Constantium: *Ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea à nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit. scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, quæ sunt Dei, Deo.* Ostendit ipsa etiam Catholicorum Principum Capitularia profiteri, quòd *authoritas canonica doceat, non debere absque sententiâ Rom. Pontificis Concilia celebrari, Apostolicâ authoritate legitimam fieri convocationem, jussione Domini & meritis B. Petri singularem Conciliorum congregandorum authoritatem, & potestatem Ss. Canonum ac venerandorum Patrum decretis esse traditam.* Imperatores convocationem fecisse *ex Ecclesiæ consensu, non summo jure; potestate præsidii, non potestate*

 regi-

regiminis; authoritate civili, ut Canones in forensi judicio vim legis habeant, & per imperii provincias executioni tradantur, & hæreticorum contumacia etiam Regia authoritate comprimatur, non autem authoritate Ecclesiasticâ, ut damnentur hæreses, extinguantur schismata, Ss. Canones ad sanciendam disciplinam condantur. Ostendit Synodos ab Imperatoribus indictas, ut *Ecclesiæ laboranti suppetias ferrent, ipsi opitularentur, Canonum se executores & tutores demonstrarent.* Addit verba M. Leonis: *Res humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, & Regia & Sacerdotalis defendat authoritas.* Utile erat Febronio res novas molienti hæc tacere.

XLVII. Quòd Episcoporum sit *sub auspiciis Regis* puncta Ecclesiæ convenientia *relativè ad statum regni* examinare, gemino exemplo historico Febronius probare nititur. Alterum spectat Julii II. Pontificis & Ludovici XII. Galliæ Regis dissidia. Patrum Concilii Turonensis, quod sæculi XVI. anno 10mo convocatum fuit, disquisitioni reliquit Rex gravamina, quæ à Rom. Curiâ sibi inferri querebatur. Imperator Maximilianus & Francorum Rex Ludovicus tunc fœdere conjuncti armorum potentiâ Italiam totam formidine complebant. Ejus Principes quibusdam urbibus amissis, ut funestum exitium averterent, in fœdus coïere. His junxit se Pontifex cum Hispanis & Helvetiis. Vario marte pugnatum. Cæsaris & Galli odia contra Julium Pontificem eorum animos eò movebant, ut magno conatu agerent de convocando adversùs eundem Concilio. Hoc in Galliâ an. 10mo inchoatum, anno sequente Pisis continuatur. Eum conventum, quem non fidei causâ, non Ecclesiæ salus, sed Principum Julio tunc infensorum odia coëgerant, quintum Lateranense generale Concilium improbavit adhuc superstite Julio. Secuta statim magna rerum Gallicarum vicissitudo; Maximilianus confœderatis Italis se adjunxit. Franciæ Rege adversis viribus depresso Veneti suas urbes receperunt, Mediolanum & Italia Hispanis & Helvetiis relicta; sed Pontifex Leo X. Julii Successor Bononiam, Romaniam, Parmam & Placentiam obtinuit. Florentia Medicææ Familiæ se iterum tradidit. Principibus Catholicis exitiali hoc bello collisis, trepidante totâ Italiâ, necesse erat Julium Pontificem alterutri parti se addicere, dubiámque fortunam experiri.

XLVIII. *Relativè ad statum regni sub auspiciis* offensi & irati *Regis* primùm victoris, pòst mutatâ sorte armorum victi Turonis & Pisis Præsules Gallicanos Regis & gentis amor impulit, ut ea contra Julium statuerent, quæ non tantùm generalis V. Synodus Lateranensis damnavit, sed & ipse Ludovicus XII. per Oratores Legatos se reprobare contestatus est, dum *à prætenso Pisano Concilio declarat se penitùs discessisse, illi plenariè renuntiasse, ac purè, liberè & simpliciter sacrosancto Lateranensi Concilio tanquam vero, unico & legitimo adhærere, eósque se pro schismaticis habiturum, manu etiam armata, si opus fuerit, ad mandatum Pontificis processurum.* Aude Febroni, si vis

Nat. Alex. sæc. XV. & XVI. Dissert. 11. a. 4.

ad

ad talem Synodum (quæ *relativè ad statum regni sub Regis auspiciis puncta* Ecclesiæ convenientia examinet, & ordinet) provocare.

XLIX. Alterum est, quòd sub Carolo VI. in simili conventu subtractio ab obedientiâ Papæ aliàs agniti decreta sit. Resilit Febronius ab initio sæculi XVI. ad initium XV. sæculi, & infandum cogit renovare dolorem, quem schisma detestabile S. Matri Ecclesiæ intulit, Gallicana præter quasdam alias florentissimas Ecclesias Avenione sedentem Robertum, qui Clemens VII. appellari voluit, ejúsque Successorem Petrum de Lunâ Aragonium, qui Benedicti XIII. nomen assumpsit, tanquam Ecclesiæ caput legitimâ electione constitutum reverebantur. Italica, Anglica, aliæque Angelo Corario, qui se Gregorium XII. dixit, ejúsque tribus decessoribus parebant. Dubia erant contendentium jura, nec à sapientibus & erga unitatem Catholicam bene affectis, ùt verè ait Natalis, evidenter cognosci poterat, quis verus esset ac legitimus Pontifex, cùm utraque pars momentis gravissimis niteretur. Pro extirpatione schismatis conventus generalis Ecclesiæ Gallicanæ Parisios convocatus est à Rege. Eo pacem & unionem Ecclesiæ catholicæ vehementer desiderante, diligenter consultatum, deliberatúmque, an obedientia Petro Lunensi subtrahenda sit, cùm pro extinctione schismatis & Ecclesiæ pace spontè loco cedere pertinaciter ipse respueret. Placuit hæc via ad concordiam velut magis expediens & commoda. Sæc. XV. Diss. 1.

L. Cardinales Avenionenses 18. pariter ab obedientiâ Lunensis vel Benedicti XIII. fecesserunt, concordi omnium voluntate Regi significatâ. Cessurum se declarabat Angelus de Corario; ut Petrus de Lunâ idem faceret, literis hortabatur. Rex & Præsules Galliæ & natio tota pertinaciam illius, quem antè legitimum Pontificem esse censuerant, ob ingentia schismatis incommoda detestati id concorditer agebant, ut communicato cum aliis Principibus & Ecclesiis consilio uterque in ordinem cogeretur; tandémque pax per Concilium generale toti Ecclesiæ est reddita. Vide Febroni, quid hâc tuâ ad Carolum VI. ad conventum generalem Cleri Gallicani provocatione profeceris. Vide, quomodo Petrus de Lunâ *aliàs agnitus* fuerit, quàm & sapienter & justè subtractionem ab obedientiâ, sub initum non malè præstitâ, conventus ille decreverit.

LI. Ab eâ hypothesi schismatis transit ad assignationem detestabilis illius medii, quo legitimè electum, & à totius universi Fidelibus agnitum Pontificem docet compescendum, si se alicujus nationis Synodo opponere tentaverit. Medium hoc supra indicatum est. *Caput nationale*, *Patriarcham nationis* vult *extra ordinem ad tempus* esse constituendum, & ne de suo tantùm ingenio hoc medium prompsisse videatur, ad jam dicti schismatis historiam revertitur, producítque verba Barthieri: *Interea providendum erat regimini Ecclesiæ Gallicanæ, quoad usque subtractio obedientiæ esset duratura, legitimo capite non constituto; denuo convocatus fuit conventus Cleri, sicut,*

 decen-

decennio antè (1398. quo idem ſchiſma fervebat) *factum fuerat. In hac rerum perturbatione talis conventus tanquam ſupremum tribunal Eccleſiaſticum nationis Gallicæ tunc cenſebatur.* Dic Febroni, quid hic verborum eſt, quod illi tuo paradoxo ſuffragetur? Non tamen te pudendæ hujus citationis puduit, dum hæc ſcribebas. Gloriare tu dicturos de hoc medio poſteros: *Febronius invenit.* Adde illud Horatianum: *Populus me ſibilat, at mihi plaudo ipſe domi.*

LIII. Pergit Febronius: Ipſe, quòd fortè mireris, Duvallius Pontificiæ authoritatis cum exceſſu celebris defenſor tradit Benedicto XIII. meritò denegatam obedientiam, non modò, quòd ſchiſmaticus eſſet, ſed quòd de Beneficiis contra jus fáſque ſtatueret. Quid hic eſt, quod quiſquam jure admiretur, præter inſignem Febronii impudentiam? Nemo Romanorum eſt, qui neget Petro Lunenſi, qui ſe Benedictum XIII. dicebat, juſtiſſimè in Galliâ à Clero, Rege, populo, & Academiis obedientiam fuiſſe denegatam. Illud etiam quiſque bonus Catholicus jure mirabitur, quòd Duvallium in defenſione Pontificiæ authoritatis audacter decernat *exceſſiſſe.* Satiſne eſt ita videri Febronio?

LIV. De Thuano jam aliàs dicendi occaſio fuit, ſuſpectæ fidei eſſe autorem, dum de rebus Eccleſiæ catholicæ diſſerit, cui non favebat. Inter Clementem VII. & Carolum. V. ex mutuis ſuſpicionibus acerba diſſidia fuiſſe ſuſcitata, certum eſt. At Carolus ſchiſma non fecit, Hiſpania ſe obedientiæ non ſubtraxit. Roma bis armis Caroli eſt expugnata, ſed declaravit Carolus, exercitum ſe Carolo tum ignaro, tum invito propriâ cupiditate impulſum fœda illa facinora perpetrâſſe. Priſtinam Sedi Apoſtolicæ dignitatem non in Sacris modò, ſed & profanis reſtitui, ſtatim juſſit, omnéſque vires ad evellendas ex omni memoriâ illas injurias libenter obtulit. Hæc de Patriarchâ Febroniano, ſeu capite nationali ad tempus.

§. ULTIMUS.

Quid Febronius contra Orſum demonſtraverit de jure Monarchico, ejúſque, de negatione aſſenſûs Pontificii, opinio expenditur.

1. *Perſtringitur dictum Febronii:* Luce meridianâ clariùs patet, nullas majores cauſas Pontifici reſervatas eſſe naturaliter ab inſtituto,
2. *Et* quòd illa reſervatio nequidem maneat probabilis.
3. *Affingit Romanis, quòd dicant* Epiſcopos nihil authoritatis habere à Chriſto.
4. *Febronius ſtylum acuit contra doctiſſimum Card. Orſum.*
5. *Calumnia & præſidentia Febronii in criſi de ſcriptis ejus Card.*
6. *Febronius enumerat, quænam Orſus Sedi Apoſtolicæ tribuat.*

Febro-

7. *Febronius promittit se jura Episcoporum ab usurpatione Pontificis vindicaturum ex genuinis fontibus.*
8. *Incipit à jure ferendi leges.*
9. *Iterum citat epistolam S. Gregorii de verbo* Jussionis.
10. *Judicium P. Gerberti de S. Gregorio laudatur.*
11. *Marsilii Patavini, Grotii, Puffendorffii, Boehmeri opinio de potestate legislativâ Ecclesiasticâ.*
12. *In quo ab his differat Febronius.*
13. *Pergit ad alterum punctum de jure puniendi, quod dicit ab Orso probari tantùm exemplis Marciani & Hilarii.*
14. *Perperam negat Marcianum à S. Stephano esse depositum.*
15. *Febronius sibi contradicit, dum concedit S. Hilarium jure Metropolitico privatum fuisse à S. Leone.*
16. *Perperam incusat Baronium.*
17. *Perperam cum Dupinio dicit Gallicanam Ecclesiam tunc judicâsse, quòd S. Leo tanquam judex non competens illegaliter processerit.*
18. *Tres improbæ imputationes Febronii contra Leonem.*
19. *Febronius dicit causam Marciani & Hilarii à Quesnello egregiè esse discussam.*
20. *Laudat Fleurium, quòd dixerit novem primis sæculis Episcopos esse judicatos à Synodis.*
21. *Tertium est de jure appellandi ad Sedem Apostolicam, cujus falsitatem promittit se evidenter demonstraturum.*
22. *Quartum de ordinandis Episcopis, quod ad Papam non spectare dicit ad ad oculum à se esse demonstratum.*
23. *Iterum malè carpit Cardinalem de Luca, quòd contra Scripturam & traditionem dixerit, Episcopalem jurisdictionem expressè vel tacitè concedi à Pontifice.*
24. *Quintò arguit Orsi assertum de jure convocandi Synodos.*
25. *Denique contra Orsum asserit Papam subesse Concilio generali.*
26. *Gloriatur se demonstrâsse, Papam subjectum esse Canonibus vi coactivâ.*
27. *Hoc ùt certum ratúmque agnovisse Pontifices, malè probat verbis Julii I.*
28. *S. Leo Canonem* 28. *Chalced. rejiciendo se probavit superiorem Concilio.*
29. *S. Gelasii verba systemati suo contraria callidè omittit Febronius, sicut Launoius & alii.*
30. *Verum manet verum, sed utile non semper & ubique manet utile.*
31. *Inane ratiocinium Febronii ex Gersonio* tract. de Reform. in Conc. generali.
32. *Illmi Episcopi Macrensis Galli de hoc Gersonii libro censura.*
33. *Variæ propositiones & illationes ex eo tractatu Gersonii collectæ ab Illmo Macrensi.*

Non

34. *Non omnes Gersonii errores amplexus est Febronius, neque omnes damnavit.*
35. *Citat librum:* Gubernaculum Conciliorum, *acri censura Illmi Macrensis perstrictum.*
36. *His probationibus nixus insultat Orso Card. tanquam victo.*
37. *Observationem Bossueti de Gelasio ineptam laudat.*
38. *Febronius dicit Papam non posse nova perficere, sed non consentiendo posse impedire aliqua, ne fiant.*
39. *Ex variis assertionibus Bossueti malæ conclusiones Febronii de negatione consensûs.*
40. *Ex verbis S. Gelasii explicatur, quam vim habeat negatio consensûs Pontificii.*
41. *Ss. Pontifices non consentiendo damnationibus iniquis protexerunt innocentiam oppressam: exercendo judicium.*
42. *Ostenditur novum perficere posse summos Pontifices.*

I. Gloriosè, ùt sæpè aliàs, jactat Febronius *luce meridianâ clariùs patere*, quòd ne vel unum eorum, quæ majorum causarum reservata dicuntur, Primatui universalis Ecclesiæ adhæreat (ùt loquitur) *naturaliter ab instituto.* Eandem credo lucem meridianam oculis Febronii illuxisse, quâ Casaubonus novationem Religionis christianæ ante duo sæcula in Germaniâ tentatam gloriatur omnium oculis esse perspicuam.

II. De his reservatis post suas demonstrationes censuit penitùs esse conclamatum, si tunc, dum universalis Ecclesiæ Primatum instituit Christus, dum eum Primatum exercuit Petrus, illa, quæ inter causas majores recensita sunt, distinctè à Petro exercita fuisse nullâ S. Scripturæ testimonia ostendunt. Pergit: *Quid dicemus de minoribus Ecclesiæ negotiis?*

III. *Quâ*, inquit, *ratione figurare nobis licebit totam rerum summam ex Christi instituto esse penes solum Rom. Pontificem, Episcopis in partem, non authoritatis à Christo, sed solicitudinis à Papa tantùm vocatis?* Cùm nemo sit Romanorum, qui dicat nullam authoritatis partem à Christo Episcopis esse attributam, pergit Febronius temerè sua sibi somnia fingere & Primatum talem impetere, qualem suâ præsensione sibi ipse confinxit. Nullus Romanorum Pontificum dixit solam solicitudinem in tot portiones, quot particularium Ecclesiarum Pastores seu Episcopi sunt, esse divisam. Si Concilii Trid. decreta inspiciantur, si Pontificum constitutiones considerentur, Episcopalem authoritatem constanter agnitam, defensam, vindicatámque, & ad nos usque semper conservatam esse apparebit, neque apud Romano-Catholicos eam esse Ecclesiastici regiminis formam, quam Boehmerus dicit esse in Ecclesiis Protestantium, in quibus Superintendentes sinè ullâ jurisdictione, (quam totam Boehmerus dicit esse penes Principem provinciæ) solam solicitu-

citu-

citudinem dividunt, quâ suis quique cœtibus curæ suæ commissis intendunt. Quæ verò sit illa autoritas, quibus actibus hierarchicis exerceatur, quomodo Episcopi *positi sint regere Ecclesiam*, quomodo *pro Christo legatione fungantur*, *Principi Pastorum pro animabus*, quarum *præpositi* sunt, *rationem reddituri*, satis jam dictum est.

IV. Ecclesiasticam Monarchiam sub Christo præcipuo Monarchâ constitutam non esse, non jam universim contra Ultramontanos, ùt aliàs, sed speciatim contra doctissimum opus Cardinalis Orsi demonstrare nititur. Eam formam sacri Principatûs dicit verbis Bossueti *non ratiocinationibus*, *sed Scripturis & traditione demonstrari oportere*.

V. Orsum Card. hoc monito excitatum se accinxisse ad probandum *ab effectibus* seu juribus Monarchico regimini naturaliter connexis, quòd Principatus Pontificius verè Monarchicus sit; eúmque satis advertisse, quòd si à Scripturà & Traditione sumere vellet argumenta, *ruitura sit moles*. Ne vel umbram Statûs monarchici in Ecclesiâ dicit remansuram, si Cardinalis Orsi ratiocinia suis Febronii argumentis æquus & prudens lector componat.

V. Jura majestatica dicit Orsum alia non reperisse, quæ Rom. Pontifici tribuat, quàm hæc sola: *Jus ferendarum legum. Jus pœnas earum transgressoribus infligendi. Jus judicii supremi. Jus constituendorum Magistratuum. Jus universalium comitiorum, seu Conciliorum. Denique ipsius Rom. Pontificis ab omni humano judicio immunitatem.*

VII. Dicit se hanc sibi sumpsisse operam, ut quidquid potestatis iniquâ usurpatione jam habet Pontifex, legitimis possessoribus vindicetur. Sic autem se hoc acturum, ut, quæ ex genuinis fontibus, antiquis Ecclesiæ moribus proferenda promittit, Orsum confundant, & ne vel unicum ex iisdem attributis Rom. Sedi assertis probâsse videatur.

VIII. Incipit à jure ferendarum legum pro Ecclesiâ universali. Quòd hoc jus nec in materià fidei, nec in causis disciplinæ Rom. Pontifici competat, dicit se probaturum in Cap. 5. Quòd verò jus habeat nomine Ecclesiæ leges quasdam proponendi, sic tamen, ut vigorem non habeant, priusquam eas Ecclesia admiserit, dicit se in Cap. 2. §. 6. demonstrâsse. Id quantum à vero absit, ibi ostensum est.

IX. Iterum ad hanc demonstrationem illustrandam citat epistolam Gregorii M. ad Eulogium de verbo *Jussionis*, quòd ab auditu suo removeri cupiebat Smus Pontifex. Jam satis ostensum est eundem optimum Pontificem (à Febronio laudatum, quòd *nullus majore constantiâ Apostolicam authoritatem exercuerit*) sæpè locutum esse *cum imperio*; scivit & docuit ita *humilitatem esse tenendam in mente, ut ordinis dignitas servetur in honore, ut nec sit humilitas timida, nec erectio superba. Siqua*, inquit, *culpa in Episcopis invenitur, nescio, quis Episcopus Rom. Sedi subjectus non sit.* De Cpolitanâ Sede scripsit: *Quis eam dubitet Apostolicæ Sedi esse subjectam.* S. Greg. M. L. 4 ep. 36.

Ccc X. Ap-

P. Mart. Gerb. de comm pot. Eccl. C. 1. S. Greg. L. 7. ep. 30.

X. Apposite de Gregorio inquit Martinus Gerbertus: Quis Divo Gregorio humilior? ita erga collegas noverat curæ pastoralis officia implere, ut ab omni dominatu videretur alienus. Erga Eulogium Alexandrinum procul *jubentis* authoritatem à se removebat, ut tamen gravissimè, quod secundùm leges Ecclesiæ vellet, imperaret. *Verbum JUSSIONIS*, inquit, *peto, à meo auditu removete*. Et tamen, quæ tunc volebat, cum excommunicationis comminatione urgebat; nimirum ambitionem, non potestatem repudians. Ita Gerbertus. Gregorium ita fratrum jura servâsse, ut sua Pontificalia, dum opus erat, cum severitate defenderet, ea, quæ ex ejus epistolis, & vitâ S. Gregorii suprà produxi, copiosè demonstrant. Virtutes Episcoporum colebat ut frater, vitia eorum plectebat ut judex.

XI. Potestatem condendi leges, & exercendi judicium negârunt Marsilius Patavinus, Hugo Grotius, Puffendorffius. Episcopos Boehmerus dicit *proprio jure nullam jurisdictionem aut absolutum imperium affectâsse, quòd scirent plebem Episcopis fraternitatis jure copulatam, non subjectionis lege constrictam; paulatim verò ministerium in imperium, directorium cum authoritate qualam conjunctum in jurisdictionem esse mutatum; inde metamorphosin stupendam prorupisse, quâ in Ecclesiam forma Reip. transiit*. Communia præcepta, quæ in Ecclesiâ Christi ad fidelium gubernationem data sunt, seu Canones aut regulæ, seu leges vocentur, ad obedientiam certam eos, qui Superiorum imperio subsunt, per adjectas censuras & pœnas & anathemata constringunt.

XII. At verò eas regulas toti Ecclesiæ communes Febronius tribuit solis generalibus Conciliis; restrictam potestatem condendi leges, propriam diœcesin obligantes, nulli Episcopo, Clerum & populum habenti denegat. Communes constitutiones *Urbi & Orbi*, tum & seorsim provinciis non tantùm à generalibus Conciliis, sed & summorum Pontificum nomine dari constat. Decreta Conciliorum solius Pontificis nomine nec concipi, nec emanare nemo negat; sed illæ solæ non sunt regulæ Catholicorum. Non ideo detrectare potuit obedientiam Quesnellus, quòd non Concilium generale, sed Clemens XI. universam Ecclesiam suâ constitutione obligaverit, ut asserta, quæ damnavit, pro damnatis haberet. Nec fideles obedientiæ vinculo solvuntur per hoc, quòd Febronii librum non Concilium generale, sed Clemens XIII. suo nomine, suâ authoritate confixerit. Jam æquus prudénsque Lector judicet, quid demonstrationis produxerit Febronius, ut ostenderet Rom. Pontificem non habere potestatem ferendi leges, sed tantùm proponendi.

XIII. Pergit ad alterum, an jus puniendi eos, qui legibus Pontificiis pertinaciter contradicunt, pertineat ad Rom. Pontificem. Dicit Card. Orsum duo exempla Episcoporum suis honoribus à S. Sede privatorum proponere, Marciani & Hilarii Arelatensium.

XIV. De Marciano, quòd authoritate S. Stephani Pontificis depositus sit, nulla

nulla, inquit Febronius, prostat notitia. Id verò satis in Differt. II. §. 9. ostensum est.

XV. De Hilario dicit observandum, quòd jure Metropolitico à Leone privatus sit. An hoc Febronio pœnæ rationem non habet? Annon ad puniendum valebat illa tanti honoris imminutio?

XVI. Sub- & obreptionibus totum hoc judicium infectum fuisse, Baronius non dixit.

XVII. Hilarium illegaliter, & à judice non competente damnatum, nec Synodus Romana, nec Ecclesia Gallicana illius temporis, nec ipse Hilarius, quem summo Pontifici reconciliatum, gloriosam pœnitentiam, quoad vixit, in Lerinensi Monasterio egisse, fidem facit Benedictus XIV. Febronio prævaluit & semper prævalebit authoritas Dupinii, ex quo hanc de illegali & incompetente judicio Leonis assertionem hausit. *Benedict. XIV. Lib. de Syn. c. 8.*

XVIII. Contra S. Leonem Febronius addit. 1. Quòd disciplinam continuâ serie custoditam prætergressus sit. 2. Quòd suæ sedis amplitudini plùs æquo studuerit. 3. Quòd à Sardicensium Canonum sanctione recesserit. Nempe dum Calidonium, accusationis articulis non probatis, suæ Sedi restituit, & Projectum à sede suâ depositum contra violentiam defendit.

XIX. Dupinio accedit Quesnellus, cujus Dissertatione apologeticâ Febronius causam Marciani & Hilarii egregiè discussam esse prædicat.

XX. Addit observationem Fleurii hanc: *Novem primis sæculis accusationes & depositiones Episcoporum fiebant à Conciliis provincialibus.* Historiæ Ecclesiasticæ ignarum esse necesse est, qui vel asserit à solis Conciliis provincialibus intra novem anteriora sæcula depositiones Episcoporum esse factas, vel è contrario dicit nunquam & nullibi Episcopum esse judicatum, quin Romam mitteretur. Hoc nemo asserit Romanorum, ideo vel falsa est Fleuriana observatio, vel ad Febronianam thesin firmandam omnino est impertinens, si intelligatur, aliquos tùnc Episcopos fuisse in synodis depositos quomodolibet, & non summo jure.

XXI. Tertium est, quòd supremum judicium dicat Cardinalis institutione divinâ attributum esse primæ sedi. Contrarium se evidenter demonstraturum promittit, & genuinam originem appellationum ostensurum, ut ex novâ humanâ concessione omnes intelligant, omnis juris monarchici exclusionem esse concludendam. Ineptissimè judicium supremum Pontificis commiscet cum speciali formâ & modo provocationum, ut probatâ novitate modi, per Concilium Sardicense distinctiùs explicati, demonstratam intelligamus novitatem juris supremum judicium exercendi. Quòmodo Febronius *originem, & ideam juris appellandi* Romanis contrariam *evidenter demonstret*, ostendetur in Differt. V.

XXII. Quartum jus de constituendis Magistratibus, seu ordinandis Episcopis eâdem libertate & præsidentiâ asserit & certum esse, & ad oculum se

 demon-

demonſtrâſſe, quòd *in conſtituendis & confirmandis Epiſcopis Rom. Pontifex de jure nullas partes habeat.* Has demonſtrationes evidentiſſimas dicit ſe propoſuiſſe, dum de electione, poſtulatione, coadjutoriâ, & translatione Epiſcoporum in hoc Cap. tractavit. Quisquis Lectorum eas demonſtrationes non videt, certè Febronio non æquus, nec prudens crites habebitur; cæci ſunt, & duces cæcorum, qui cum Febronio hos Emin. Orſi errores non vident.

XXXIII. Iterum ad Cardinalis de Luca relationem Curiæ Rom. ſe convertit, & ex theſi, quòd Epiſcopalis authoritas immediatè à Deo ſit, quam ipſe Benedictus XIV. in *Lib. de Syn.* non reſpuit, infert Epiſcopum à Rom. Pontifice nullâ ſeu expreſsâ, ſeu tacitâ conceſſione accipere juriſdictionem, idque ex ſcripturâ & traditione apparere. Opinionem, quæ propugnat *juriſdictionem Epiſcoporum immediatè eſſe à Chriſto*, dicit Benedictus *validis fulciri argumentis; rationi & authoritati conformiorem eſſe oppoſitam.*

XXIV. Quintum eſt jus convocandarum ſynodorum Rom. Pontifici ab Orſo aſſertum. Jus convocandi tacito Principum & Eccleſiarum conſenſu poſt octo priora Concilia generalia rationabiles ob cauſas delatum eſſe ſummo Pontifici audacter aſſerit Febronius; & quanquam univerſali Primatui eſſentialiter annexum eſſet, non plus ad monarchica jura concludere, quàm ſi quis Præſidem, qui Senatores congregat, Monarcham vellet aſſerere. Hæc ùt falſiſſima ſunt, ita demonſtrationem admittere non poſſunt. Quæ autem ſit hac in re Principum authoritas, & quantùm à Præſide comitiorum aut ſenatûs differat Rom. Pontifex, jam aliàs indicatum eſt.

de Syn. l. 1. c. 4. n. 2.

XXV. Denique contra Orſum aſſerit, quòd Papam directioni & poteſtati Conciliorum ſubeſſe demonſtraverit, dum de formâ regiminis Eccleſiaſtici in Cap. 1 tractavit.

XXVI. Eam quidem ſubjectionem ſe demonſtrâſſe jactitat, ut *coactiva* etiam obligatio ſit. Utinam didiciſſet Febronius, quid ſit *demonſtratio!* ridiculo ejus vocis abuſu moleſtus non foret.

XXVII. Ipſi, inquit, Rom. Pontifices tanquam *certum ratúmque* agnoverunt, ſe ad ſervanda Conciliorum decreta diſtrictè obligari. Hoc probat ex epiſtolâ Julii I. qui dixit: *Ad ſynodi contumeliam vergeret, ſi, quæ Epiſcopi tanto ſtudio egiſſent, à nobis ùt vana futiliáque abrogarentur*; & Leonis I. qui dixit: *Ad meum tendit reatum, ſi paternarum regulæ ſanctionum, quæ in Synodo Nicænâ ſunt conditæ, me connivente violentur, & major ſit apud me unius fratris voluntas, quàm univerſæ domûs Domini utilitas.* Et Gelaſii I. qui dixit: *Nullum veraciter chriſtianum uniuscujusque Synodi conſtitutum, non aliquam magìs exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam.* Ineptiſſimum certè ratiocinium eſt: Pontifices & Reges ſunt præcipui canonum & legum vindices, & Deo rationem reddere debebunt, ſi ſcandaloſè conniveant exceſſibus, ergo illi Canonibus, hi legibus vi coactivâ ſubjecti ſunt. Quanquam facultas abſolvendi ab hæreſi per decretum Concilii Trid.

Epiſ-

Episcopis concessa deinceps per Bullam Cœnæ summo Pontifici sit reservata, & à quibusdam aliis decretis vel dispensando vel per consuetudinem contrariam à S. Sede non reprobatam recessum sit, non ideo tamen ea S. Concilii decreta sinè contumeliâ dici potuerunt vana & futilia. Verè ergo & rectè dixit Julius, vergere ad synodi contumeliam, si decreta Concilii tanquam vana & futilia abrogarentur.

XXVIII. S. Leo Anatolium Patriarcham literis Marciani & Pulcheriæ commendatum ad modestiam voluit inflectere, dum obstitit, ne se supra Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum extolleret contra Canonem Nicænum, qui ordinem sancivit inter Patriarchas. Ideo Canonem 28. Concilii Chalced. à maximâ parte Episcoporum absentibus Sedis Apostolicæ Legatis additum, quo secundus locus Episcopo novæ Romæ concessus est, solâ suâ Pontificiâ authoritate rejecit, & insigni hoc documento toti Ecclesiæ Orientis & Occidentis monstravit Pontificem Rom. Concilio generali præpollere.

XXIX. S. Gelasii verba ostendunt executionem Canonum & observationem constitutionum Ecclesiasticarum præcipuè ad eam sedem pertinere, *quæ unamquamque Synodum & suâ authoritate confirmat, & continuâ moderatione custodit.* Quæ Gelasii verba systemati Febroniano contraria, exemplum Launoii, Tournelii & Bossueti secutus, libenter omisit Febronius; sicut & illa ejusdem Gelasii: *Conciliorum decreta vim ac robur suum nonnisi à summi Pontificis consensu habent, quo nonnunquam denegato admissa haud fuêre*: & hæc: *Ipsius Rom. Pontificis est judicare de universâ Ecclesiâ, ipse autem à nemine judicari potest.* Non horum trium Pontificum sententiis, à contextu avulsis, non quibuscunque aliis Pontificum declarationibus simili arte decerptis, quantolibet numero collectis, Launoius, Dupinius, & cum his Febronius id conficient, ut intelligamus coactivum imperium in Rom. Pontificem habere Concilia. Semper cum Patribus Tridentinis profitebuntur omnes intaminatæ fidei & obedientiæ sinceræ Catholici, omnia & singula Conciliorum generalium decreta ita vim suam habere, ut *salva semper authoritas Sedis Apostolicæ sit, & esse intelligatur.*

XXX. Non sicut quod verum est, falsum; & quod falsum est, verum fieri non potest; non, inquam, sic quod utile est & expediens prudenti Patrum in Concilio generali congregatorum judicio, illud in omni loco & tempore utile & expediens necesse est permanere. Liquet ex his, quàm inaniter confidat Febronius à se demonstratum esse, quòd *Papa subsit Conciliorum generalium juri, directioni, & potestati etiam coactivæ.* Liquet hoc etiam, quòd falsum sit illud Febronii assertum: *Ipsi Rom. Pontifices tanquam certum ratùmque semper agnovêre & tradidêre, se ad servanda Conciliorum decreta & Patrum statuta districtè obligari.* Urgent & urgere debent eorum decretorum observationem, quibus nec certa necessitas, nec evidens publica privatáve utilitas obstat. Sed hoc non magis eos facit subesse Concilio, quàm

 Pon-

Pontifici Decessori, cujus Decreta justa Successor exequitur, nisi necessitas, aut magna utilitas obstiterit; quod sapienter observavit P. Cartier in erudito *tractatu de author. & infallib. Pontificis.*

XXXI. Ad eandem demonstrandi artem pertinet ratiocinium Febronianum ex Gersonii verbis contextum. Gersonis verba sunt in tract. de Ref. Eccl. in Conc. general. *Papa propter suum malum vivere subjicitur fraternæ correctionis præcepto, secus esset, si bene viveret, bene doceret, ut Papam decet,* infert ex his Febronius: Papa si erret, malè vivat, potest juxta Evangelium corripi, ergo ex instituto Christi subest Ecclesiæ judicio.

XXXII. De hoc libro Gersonii ait Illustrissimus Mathæus Petitdidier Marensis Episcopus Gallus: *Hic Gersonii partus perpetuis tenebris, quàm luce dignior nullam fidem meretur in iis omnibus, quæ adversùs summos Pontifices protulit.* Testatur Ludovicum XIV. summâ prudentiâ vetuisse, ne Authoris adeò perniciosi Opera in suo regno iterum prelo subjicerentur.

XXXIII. Seditiosam hanc ejus propositionem: Si Rex iniquus in populum subditum vellet desævire, non tenerentur subditi juramentum fidelitatis antea præstitum observare; ex quo infert, multò minùs summis Pontificibus parcendum esse. Si propter salvationem, inquit, unius regni deponitur Rex, qui per successionem perpetuam descendit, multò magis unus Papa est deponendus, qui per electionem Cardinalium fuit institutus, cujus pater & avus forsan ventres fabis implere non sufficiebant. Affirmat olim Episcopos æqualis potestatis fuisse cum Papa, nullam aliam potestatem accepisse Petrum, quàm ligandi per pœnitentias, & solvendi culpas. Dicit contra Deum & æquitatem pugnare, quòd summi Pontifices Episcopos potestate spoliaverint, atque eam sibi solis arrogaverint. Quòd jus habeant Cæsar & Principes exercendi jurisdictionem coactivam contra Pontifices Ecclesiam dividere attentantes, etiam eos morte puniendi. Omnia, quæ in toto jure Canonico in illorum gratiam continentur, inserta fuisse fraude & astutiâ, atque effectum esse superbiæ & abusivæ potestatis, quam non à Deo acceperunt, sed sibi arroganter attribuerunt. Eos velut omnium Decalogi præceptorum transgressores traducit, quia homines sunt. Ridiculum est, inquit, dicere, quòd unus homo mortalis dicat se potestatem habere in cœlo & in terrâ ligandi & solvendi. Papam vocat filium perditionis, Simoniacum, avarum, mendacem, pejorem diabolo. Quòd Curia Romana sit facta Curia mundana, diabolica moribúsque quâlibet sæculari pejor. Quòd teneantur fideles Papæ scelesti jugum excutere, & multa alia his similia. Ostendit eum non paucas propositiones erroneas & impias eidem operi *de mediis reformandi Ecclesiam in Concilio generali* inseruisse, præsertim quod certum sit existentem in mortali peccato nec in Ecclesiâ esse, nec de Ecclesiâ. Quòd Ecclesia universalis subsistere possit in uno supposito his verbis: *Ecclesia potest salvari in unâ vetulâ, sicut factum tempore Passionis Christi, quia ei salva facta in* Vir-

Virgine Beatâ. Quòd clavium potestas & authoritas regiminis Ecclesiæ dependeat à probitate Ministrorum, quia Christus interrogavit Petrum, *diligis me?* antequam diceret: *Pasce oves meas*.

XXXIV. Hic ille fons est, ex quo latices suos hausit Febronius; non omnes Gersonii errores amplexus est, at neque omnes damnavit.

XXXV. Addidit alterum tenebris potiùs, quàm luce dignum Opus Andreæ Episcopi Majorensis Hispani, qui Concilio Basileensi interfuit, cujus profundam ignorantiam idem eruditissimus Macrensis productis quibusdam ex ejusdem *Gubernaculo Conciliorum* exemplis monstravit.

XXXVI. His contra Emmum Orsum propositis admirandis demonstrationibus Febronius Cardinali tanquam victo insultat, ei dicit accidisse revera, quod reliquis omnibus Primatûs Romani defensoribus, seu, ùt loquitur, systematis hujus (quod Orsus propugnavit) statoribus, dum generalia proferunt, magnificis verbis incedunt; dum ad speciales effectus Monarchiæ Ecclesiasticæ ex genuino jure & antiquâ disciplinâ demonstrandos urgentur, *mox comparent, nolentes volentes fateri coguntur, observantiam & traditionem Ecclesiæ repugnare eorum sententiæ*. Deliramenta potiùs hæc credas esse, quàm sani cerebri pronuntiata.

XXXVII. Febronius è suis demonstrationibus ad subtilitatem *speciatim notandæ gravis* observationis Bossueticæ stylum vertit: S. Gelasius (inquit Meldensis, *de Acacio rebellante memorat, quòd possit Sedes Apostolica etiam sola in absolvendis damnandisque personis*. *Hæc*, inquit Meld. *pari veneratione suscipimus. Absit enim ut velimus Sedem Apostolicam in omnibus causis Oecumenico Concilio esse subjectam; cùm multa sint, quæ vel sola dissentiendo prohibeat; atque disturbet, cujus consensionem atque sententiam in maximis rebus maximè exquirendam perpetua traditio docet. Hinc illa exempla, quæ nobis Zosimus Pontifex pari magniloquentiâ ac veritate subjungit, Athanasii, Joannis Chrysost. Flaviani, quos Sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit*.

XXXVIII. Subjungit Febronius: *Quamvis Pontifex solâ suâ authoritate non possit nova perficere, valet tamen non consentiendo impedire extra Concilium, quominus ea, quæ ab universalis Ecclesiæ ordinatione pendent, perficiantur*. Egregia profectò subtilitas? Suscipit cum veneratione Bossuetus, quæ de Acacio judicavit Gelasius sinè præcedente Synodo: Negat Sedem Apostolicam in omnibus causis Concilio œcumenico esse subjectam. Dicit, quòd *perpetua traditio doceat consensum atque sententiam Sedis Apostolicæ in maximis rebus maximè exquirendam esse*; eam *etiam*, *dum sola dissentit, multa prohibere atque disturbare*. Dicit Zosimum magnificè non minùs ac verè de Athanasio, Chrysostomo, Flaviano dixisse, quòd *Sedes Apostolica etiam sola eos, quia non consentit, absolverit*.

XXXIX. Concludit hinc Febronius novum hoc paradoxon: Papa non potest suâ authoritate & voluntate *solus novum aliquid perficere, sed negando consen-*

consensum impedire, ne fiant, quæ ab universalis Ecclesiæ ordinatione dependent.

XL. Verbis S. Gelasii in hoc §. adductis negatio consensûs exprimitur sic: *Conciliorum decreta vim ac robur suum, nonnisi à summi Pontificis consensu habent, quo denegato admissa haud fuêre.* Quis neget penes eum, qui non consentiendo solus extra cœtum disturbat negotii definitionem, agere cum authoritate supremâ, eundémque posse negotium sententiâ suâ verbis præcipientibus, aut prohibentibus declaratâ terminare? Illa ipsa exempla, quæ Zosimus produxit, hanc potestatem Sedis Apostolicæ luculenter comprobant. Athanasium Julius I. defendit, sententiam Episcoporum synodalem tanquam injustam damnavit. S. Chrysostomum Innocentius I. suo judicio absolvit, Flavianum Leo. Non sederunt hi Pontifices in Conciliis malignantium, neque damnantibus Episcopis negârunt suâ taciturnitate suffragium, sed factâ provocatione ad Sedem Apostolicam declarârunt judicii contra innocentes exerciti iniquitatem.

XLI. Sic S. Gregorius M. non consentiendo damnationibus iniquis, Episcopos calumnioso judicio depositos suis sedibus restituit, damnatores damnavit, & oppressam innocentiam severâ improbi judicii castigatione vindicavit. Sic Nicolaus I. Rothadum non consentiendo Hincmari decretis absolvit; & quid est aliud *consensionem atque sententiam Sedis Apostolicæ in maximis rebus conformiter perpetuæ traditioni maximè exquirendam esse?*

XLII. Nonne tunc novum aliquid perficitur, dum id, quod & exquirendum est, & exquiritur, reipsâ & novo aliquo facto præstatur? Impedire, ne synodali iniquâ sententiâ, aut Metropolitani judicio depositus Episcopus maneat suâ sede privatus, & ne continuetur exilium, aut Ecclesiasticæ communionis privatio; hæc, inquam, impedire est *novum perficere*. Quo enim remedio subveniretur oppressis, ejectis, depositis, nisi judicium iniquum corrigatur, & sententiæ malæ bona & justa succedat? Romæ retractari judicium aliquod Africanorum aut Asiaticorum non consentiendo est novum aliquid perficere, auditis accusatoribus, & causæ momentis justè libratis. Nec Hilarius, nec Hincmarus soli Romano silentio cessissent, nec, ut omissis aliis ad prima Ecclesiæ tempora transeam, contentiosos Corinthios ad concordiam flexisset Clementis I. silentium. Aliter *non consensit actibus impiorum* Josephus Arimathæus, aliter *non consensit* Petrus errantibus Antiochenis. Obscurum est, & involutum, quod Bossuetus addidit: *Quæ quidem vera sunt, sed aliunde supplenda, quæ cùm ad rem facerent, B. Gelasius prætermisit.* Id se promittit suppleturum Febronius; quomodo fidem liberaverit, sequens dissertatio aperiet.

Quid Durandus Mimatensis Episcopus in suo libello, quem inscripsit *de modo generalis Concilii celebrandi*, obtulerit Clementi V. in Concilio generali?

rali Viennensi; quid horum justè, quid injustè petitum, Orsum non tangit. Hìc suas *adversùs Card. Orsum demonstrationes* Febronius claudit. Finxit Orsum in asserendâ monarchiâ & infallibilitate Rom. Pontificis Scripturam & Traditionem prætermisisse. Dixit, quòd cum reliquis omnibus ejus argumenti tractatoribus *aridus compareat, nolens volens fateri cogatur, ei repugnare traditionem.* Orsus rationes ex Scripturâ, Traditione & Conciliis distinctè proponit in *Lib.7.* doctissimi sui Operis *de irreformabili Rom. Pontificis in definiendis Fidei controversiis judicio* editi Romæ 1739. cui anno 1740. accessit aliud *de R. P. in Synodos œcumenicas & earum Canones potestate.* Suæ criseos iniquitatem horum lectione doceatur Febronius.

DISSERTATIO V.

DE
LEGIBUS ECCLESIASTICIS ET APPELLATIONIBUS AD ROM. PONTIFICEM.

§. I.

Rom. Pontifici asseritur jus condendi Leges in causis Fidei.

1. *Febronius tribuit Episcopis etiam dispersis facultatem condendi nova decreta fidei.*
2. *Secutus Gersonium dixit uni homini totam Ecclesiam non esse committendam.*
3. *Differt ab eo, quòd Gersonius apertè multa vitia imputet Rom. Pontificibus, Febronius per verba*: Ne quid dicam ampliùs.
4. *Dicit S. Petro datam non esse supremam facultatem de fide judicandi, multò minùs concedi posse Rom. Pontifici.*
5. *Semel dictum est*: Visum est Spiritui S. & nobis; *sæpè autem solus Petrus judicavit.*
6. *Scivit Febronius formulam*: Visum est Spiritui S. &c. *non convenire Episcopis extra cœtum Concilii.*
7. *Conciliis generalibus non obstat supremus sacer Principatus Pontificis.*
8. *Febronius tribuit Petro & Successoribus merum jus prætaxandi & proponendi.*
9. *Episcopi in Conciliis judicant, sed Papa eorum judicium confirmat.*
10. *Archiepiscopi Cæsaraugustani judicium de acceptandâ Bullâ* Unigenitus, *& ejus Bullæ examine.*
11. *Cleri Gallicani literæ ad Innocentium X. probant infallibilitatem Pontificis in causis fidei.*
12. *Febronius examini Episcoporum subjicit definitiones Papales de fide.*

13. *Iterum Febronius verba :* Rogavi pro te .. confirma fratres, *tentat suis ideis accommodare.*
14. *De suâ glossâ præfidenter gloriatur tanquam Ss. Patribus consonâ.*
15. *Hæc verba dicit spectare solam personam Petri.*
16. *Quòd falsas citationes Ss. Patrum fecerit, ostenditur citatâ homil. S. Basilii,*
17. *Et S. Chrysostomi.*
18. *Et S Leonis.*
19. *His additur explicatio S. Agathonis in epistolâ Actis Synodi VI. insertâ.*
20. *Beda & Hincmarus secuti S. Gregorium M. verba*: Confirma fratres, *explicant per verba*: Pasce oves meas.
21. *Bossueti de hoc textu sententia expenditur & refellitur.*
22. *Bossuetus verba*: Non deficiet fides, *applicat Ecclesiæ Romanæ & successioni Pontificum, & cathedræ Petri conjunctim; Febronius tantùm Ecclesiæ universali.*
23. *Constanter docuit Ecclesia privilegium inerrantiæ & confirmandi fratres transiisse à Petro ad Successores Pontifices.*
24. *Galanus contra schismaticos Armeniæ cum orthodoxis ejusdem gentis utrumque privilegium Rom. Pontificis agnoscit.*
25. *Interpretatio vocis*: Conversus, *in hoc textu acutè facta à Galano.*
26. *Concluditur, Febronium inaniter de demonstratione gloriari.*
27. *Malè à Febronio laudatur doctrina Gersonis, quòd Papa non propriè possit propositionem declarare hæreticam.*
28. *Item quòd Episcopus possit pro Diœcesi aliquid damnare tanquam hæreticam.*
29. *Dum Papa propositionem declarat hæreticam, dicit esse judicium primarium, non definiens.*
30. *Ostenditur effectus hujus perniciosæ doctrinæ.*
31. *Febronius docet provisoriè obediendum esse Papæ, quamdiu non reclamat Ecclesia.*
32. *Eum secutus est Tournelius & Febronius.*
33. *Quesnellus & omnes Anticonstitutionistæ acquiescunt reclamationi particularium Ecclesiarum.*
34. *Tres propositiones Gersonii spectantes provisoriam obedientiam.*
35. *Contra primam, quæ negat inerrantiam Pontificis, ostenditur infallibilem Doctorem Ecclesiæ esse necessarium.*
36. *Contra alteram ostenditur fidei professionem interno assensui certo debere esse consonam.*
37. *Catholicis accommodari non potest principium Boehmeri de aliter dogmatizando, aliter credendo.*
38. *Gersonius concedit plenam libertatem dogmatizandi, si appareat ratio manifesta contra doctrinam Rom. Pontificis.*

39. *Si rationes manifestæ non facilè invenirentur, fatis est novis Doctoribus graves particulares Ecclesias reclamare accedente distinctione inter Sedem Apostolicam & sedentem in eâ.*
40. *Contra tertiam propositionem opponitur, quòd pessundet Hierarchiam.*
41. *Præter alia huic obstat sana ratio.*
42. *Dictum Gratiani:* Leges firmantur, dum moribus utentium comprobantur, *Gersonius perperam tribuit S. Augustino, sed multò falsiùs à Febronio applicatur legibus in causâ Fidei.*
43. *Discrimen inter Papale & Episcopale judicium in causâ Fidei Febronius explicandum assumit.*
44. *Primò notat, non agi de judicio propriè & juridicè dicto, ad quod spectant* Actor, Judex, & Reus.
45. *Ostenditur in causis fidei personalibus semper esse hæc tria.*
46. *Febronius malè exemplum dat in Bullis Leonis contra Lutherum.*
47. *Ostenditur à Leone X. processum juris juxta Decretales fuisse observatum.*
48. *Febronius hoc judicium Leonis negat esse certam regulam.*
49. *Contrarium visum est Imperatori & nationi Germanicæ, Clero & populo, etiam nationi Gallicæ.*
50. *Placuisset Luthero simile judicium de Bullis Papalibus.*
51. *Febronius se benigniorem exhibet Episcopis, dum concedit eorum decretà vim legis obtinere intra Diœcesin absque Diœcesanorum consensu.*
52. *Fœda consectaria hujus doctrinæ ostenduntur in historiâ Lutheri.*
53. *Aliter sensit de causis fidei tractandis S. Bonifacius Germaniæ Apostolus, & alii Antistites Germaniæ.*
54. *Aliter docuit & fecit Athanasius & Dionysius Alexandrinus.*
55. *Aliud docuit S. Augustinus in causâ Cæciliani.*
56. *Repetitur testimonium S. Basilii de restituto Eustathio ob solas Liberii Papæ literas. Et alia.*
57. *Imprudenter dixit Febronius:* Paucos prudentes sibi assentientes inveniret certè non Gersonem hæc thesis: *Papa potest in toto mundo, quod Episcopus in Diœcesi.*
58. *Bertrandus Episcopus Gallicus & Card. Gerson, De Alliaco, Almainus, & alii Galli citantur pro eâ thesi à Thomassino.*
59. *Gersonii rationes & aliorum recitantur.*
60. *Et verba S. Bernardi, & Thomæ Aquinatis Galliæ luminum.*

I. Quod in fine cap. anterioris scripsit Febronius, qualemcunque suam tractatiunculam totam quantam in eo occupari, ut legitimis possessoribus attributa summæ potestatis vindicentur, jam ita exequi conatur, ut ad Episcopos etiam per provincias & diœceses dispersos, quantùm in ipso est,

est, facultatem nova fidei decreta condendi pro universali Ecclesiâ transferat.

II. Eâdem pene phrasi utitur, quâ usum fuisse Gersonium suprà indicavi. *Ridiculum est*, ajebat Gersonius, *dicere, quòd unus homo mortalis dicat se potestatem habere in cœlo & in terrâ ligandi & solvendi peccata.* Febronius dicit: *Quis non videt, quàm invidiosa res sit summam Ecclesiæ ac fidei uni homini, summo quamvis, sed mortali tamen, ne quid dicam ampliùs, permittendam?*

III. Eò differunt, quòd Gersonius apertè fœda vitia, fœda crimina Rom. Pontificibus adscribat; Febronius autem illo suo: *Ne quid dicam ampliùs*, Lectori libertatem relinquat, quæ maluerit, suâ cogitatione determinandi.

IV. Censuit ferendum non esse, quòd desertis suis Ecclesiis ad generales synodos coëant Episcopi, *ut unus Legislator audiatur.* Omnes hucusque pro dubio habuisse, quòd suprema de rebus fidei judicandi authoritas sit penes Rom. Pontificem, ideòque incredibile esse, quòd pro certo Ecclesiæ fundamento collocari possit illud, per quod formula: *Visum est Spiritui S. & nobis*, evertitur. Dicit fuisse ipsi Petro negatam à Christo facultatem, Petri autem Successoribus attribui jus definiendi sine Concilio.

Act. 5. V. Scivit Febronius eam formulam à S. Petro semel tantùm fuisse adhibi-
Act. 8. tam tunc, dum cum aliis quibusdam Apostolis duobus aut tribus & quibus-
Act. 3. dam Discipulis Domini de Antiochenorum controversiis disceptabatur, sæpè
Act. 9. autem cum imperio & potestate verba fecisse sine illâ formulâ, ùt dum Ananiam punivit, Simonem damnavit, claudum ambulare, mortuum surgere jubebat.

VI. Scivit etiam Episcopis per provincias & diœceses dispersis, quibus ipse potestatem nova fidei decreta condendi concessit, ejus formulæ usum tunc non convenire; non ideo tamen eam ab Episcopis everti, dum seorsim nova decreta conficiunt.

VII. Scivit Patres Concilii Trid. non paucorum annorum decursu desertis suis quodammodo Ecclesiis & Vicariorum administrationi commissis convenisse Tridenti, & fecisse Ss. œcumenicam & generalem Synodum, in Spiritu S. legitimè congregatam, nihilominus cum constantissimâ ab initio usque ad finem reverentiâ audivisse illum, qui tunc toti Ecclesiæ supremâ cum authoritate præsidebat, illúmque tanquam Pastorem unum & Legislatorem unum reverenter secutos esse. Præsidentibus Apostolicæ Sedis Legatis eadem Ss. Synodus de fide statuebat non tantùm, sed & ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam se fortiter accingebat, *confidens per Domini ac Dei*
Conc. Trid. Sess. 6. de Ref. c. 1. *nostri misericordiam, providámque ipsius Dei in terris Vicarii solertiam omnino futurum*, ut Ecclesiarum regimen bonis Pastoribus committatur, mali Rom. Pontifici denuntientur, qui *suæ supremæ sedis authoritate* in eos animadvertat.

VIII.

VIII. Quid Petro negatum, quid Petri Successoribus tribuatur, si quis ex Febronio sciscitetur, hoc respondet: *Rom. Præsuli tantùm convenit jus prætaxandi Leges & proponendi, nec Petrus plus habuit*, *Romani* autem suum *summum Pontificem* dicunt *Legislatorem.* Febronio satis est asserere, quòd Romani hoc dent Successoribus Petri, quod Petro negavit Christus. Probatio frustra exspectabitur, quòd plus non potuerit Petrus, quàm proponere toti Ecclesiæ, & quid ab eâ definiendum sit, prætaxare. Ananiam igitur & Simonem magum injustè damnavit, limites à Christo concessæ potestatis prætergressus est, dum judicium exercuit, & prætaxationi ac propositioni non acquievit.

IX. Decernunt, statuunt, ordinant Episcopi tanquam judices in Synodis generalibus, sed solius Rom. Pontificis est, decreta Concilii confirmare, & confirmando illam eis tribuere firmitatem, quæ subscriptionibus Patrum necessariò debet accedere.

X. Decreta summi Pontificis, qui solus extra Synodum generalem de fide pronuntiat, Episcoporum examini & judicio quomodo relinquantur, præclarè ostendit Archiepiscopus Cæsar-Augustanus, dum de Bullâ *Unigenitus*, aliisque definitionibus ei similibus ita loquitur: *Neque idcirco Rom. Pontificis definitiones negligimus, aut non curamus inspicere, ruminari & examinare, ùt Novatores blaterant, quin potiùs; quia infallibilem credimus, sedulò studemus introspicere, ut ab eo certiùs & tutiùs edoceamur, ut corrigamus, si quid hactenus contra sensimus, ut caveamus, ne quid dissonans inposterum sentiamus, aut doceamus.*

XI. Cùm Innocentius X. Jansenii propositiones damnâsset; eidem Pontifici scripserunt Galliæ Episcopi Parisiis congregati: *In hoc negotio illud observatione dignum accidit, ut quemadmodum ad Episcoporum Africæ relationem Innocentius I. hæresin Pelagianam damnavit; sic ad Episcoporum Gallicanorum consultationem hæresin ex adverso Pelagiano oppositam Innocentius X. autoritate suâ proscripserit.* Declarant vetustæ illius ætatis *Ecclesiam solâ Cathedræ Petri communione & autoritate fultam Pelagianæ hæresis damnationi absque cunctatione subscripsisse. Perspectum enim*, inquiunt, *habebat non solùm ex pollicitatione Christi Petro factâ, sed etiam ex Actis priorum Pontificum, & ex anathematismis adversùs Apollinarem & Macedonium nondum ab ullâ Synodo œcumenicâ damnatos, à Damaso paulò antè jactis judicia pro sanciendâ regulâ fidei à summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione, sive suam in Actis relationis sententiam ponant, sive omittant, divinâ æquè ac summâ per universam Ecclesiam autoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur.* Declarant se eâ *quoque sententiâ ac fide imbutos Rom. Ecclesiæ præsentem, quam in summo Pontifice Innocentio X. tunc vigere profitebantur, autoritatem revereri.*

XII. Discat ex hoc Febronius, quàm à vero aliena sit censura, quâ sen-

 ten-

tentiam de non subjiciendis Episcoporum examini Pontificiis definitionibus extra Concilium generale factis vocare ausus est prætensionem novam, omni antiquitati repugnantem, definitionibus Conciliorum & universalis Ecclesiæ usui contrariam. Constitutiones Pontificias de dubiis fidei quæstionibus absque novo examine (an verbo Dei tum scripto, tum tradito congruant, vel hæresin foveant) ab Episcopis aut particularibus synodis instituendo filiali cum reverentiâ acceptandas esse concorditer profitentur, qui agnoscunt, quod agnovit veneranda antiquitas & communis fidelium utilitas postulat, quæ ab unitate Ecclesiæ Catholicæ exspectatur.

XIII. Iterum Febronius verba Domini: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, tentat obliquâ interpretatione suo systemati accommodare. Audiamus iterum Jurisconsultum verbi divini commentatorem: *Promittit*, inquit, *Christus Petro, & quòd alios nullum errorem docturus sit, & quòd personalis ejus fides non sit defectura. Negabit quidem Magistrum suum, sed resurgens à lapsu confirmabit fratres in fide, futurus in eâ stabilis. Prædictio & promissio in Petri personâ impleta est. Ast hæc nihil ad Petri Successores: hi non ceciderunt cum ipso, neque resurrexerunt cum ipso, neque eandem, neque similem promissionem acceperunt.*

XIV. Adeò sui securus & præfidens est Febronius, ut audacter dicat: *Hujus promissionis efficaciam ad Petri Successores transituram nemo sustinebit. Hic genuinus & naturalis sensus est sacrorum verborum. Sic ea communiter accipiunt & interpretantur Patres & Doctores*; citátque *Tertullian. Cypriam. Hilar. Basil. Chrysost. August. Cyrillum, Leonem, Prosperum, Bedam*, quibus addit *Bossuetum*.

XV. Commentarii Februniani hæc summa est: Verba Christi tantùm spectant Petri personam, neque ullatenus ad Petri Successores extendenda sunt. Impudentiâ planè incredibili tot veneranda nomina Ss. Patrum ad errorem illum in Ecclesiâ Catholicâ detestabilem fuco veritatis oblinendum proferuntur, etsi nullus eorum dixerit hanc promissionem in solâ Petri personâ concludi.

XVI. Exemplo sit Homilia S. Basilii, quam citavit Febronius. Ut S. Doctor superbiam incesseret, & humilitatem commendaret, dicit *Petrum ob arrogantius dictum: Etsi omnes scandalum patiantur in te, ego tamen nunquam scandalum patiar, humanæ traditum pusillanimitati, prolapsum in negationem, lapsu institutum ad pietatem, edoctúmque parcere aliis infirmis cognitâ suâ imbecillitate.* Dicit eum *adeptum esse opem Domini, ut rejiceret arrogantiam, & parceret infirmis*.

XVII. Sic S. Chrysost. non quidem homil. 63. quam citavit Febronius, sed 83. Petri lapsum tribus Petri peccatis attribuit, quòd restiterit Christo; quòd se ipsum cæteris præposuerit, quòd suis viribus præfidenter perseve-

ran-

rantiam & firmitatem suam attribuerit. Inquirit S. Doctor, quarè, cùm Satanas etiam cæteros expetiverit, dixerit Dominus: *Rogavi pro te?* Respondet, quòd ostenderit Christus lapsum Petri multò pejorem fore, quàm aliorum, quia super confessionem ejus Ecclesiam ita fundavit, ut mille pericula, mille mortes eum superare non possent, & quia Discipuli nondùm decentem omnino de Petro existimationem habebant. Pergit S. Doctor: *Quomodo igitur negavit? Non dixit Christus, ùt non neges, sed ut non deficiat fides tua.*

XVIII. S. Leo quid de his Christi verbis senserit, ita expressit: *Si quid rectè per nos agitur, illius gubernaculis est deputandum, cui dictum est: Et tu conversus confirma fratres tuos.*

XIX. S. Agatho in epistolâ Actis Synodi VI. insertâ (ab ejusdem Patribus his verbis laudatâ: *Petrus per Agathonem locutus est*) ita loquitur: *Hæc est veræ fidei regula, quam & in prosperis & in adversis vivaciter tenuit ac defendit hæc spiritualis mater ... in Apostolicâ Christi Ecclesiâ, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errâsse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, sed ùt ab exordio fidei christianæ percepit ab authoribus suis Apostolorum Christi Principibus illibata fine tenus permanet secundùm ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum discipulorum Principi in sacris Evangeliis fatus est: Petre,* inquiens, *ecce Satanas expetivit vos, sicut qui cribrat triticum, ego autem pro te rogavi &c. Dominus & Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum suos fratres admonuit, quod Apostolicos Pontifices, meæ exiguitatis Prædecessores confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum, quorum & pusillanimitas mea licèt impar & minima, pro suscepto tamen divinâ dignatione ministerio pedissequa cupit existere.*

XX. Sicut S. Gregorius M. Petro totius Ecclesiæ curam commissam esse non tantùm verbis: *Pasce oves meas*, sed & his: *Ego pro te rogavi &c.* ostendit; ita Beda hæc ambo Christi oracula eodem modo conjungit, quòd (Christus) *dicit Petro: Pasce oves meas, hoc est utique, quod ei ante Passionem apertiùs dixerat: Ego autem rogavi pro te.* Hincmarus Remensis verba Domini: *Confirma fratres tuos*, exponit per ista: *Pasce oves meas.* Hæc & alia Charlasius contra Dupinum, Cartier contra Tournelium. Iterum te hic moneo Febroni, si Doctorum suffragia vis ad paradoxon tuum roborandum congerere, à Sanctis abstine; Launoios, Dupinios, Bossuetos conquire; authoritate Sanctorum nunquam probabitur, quòd verba Christi ad solam Petri personam, nequaquam autem ad Petri Successores pertineant. Certè si hæc verba ad solam Petri personam pertinerent, æquè ad illam solam restricta essent cætera: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; &: *Pasce oves meas;* atque ita nihil maneret, cui Rom. Pontificis Primatus superstruatur, cúmque à Christo institutum esse convincatur.

XXI.

Cartier de auth. & Infal. lib. Rom. Pont. cap. 2.

XXI. Fidelior videri poterat citatio Bossueti. At verò & illam sinceram non esse, ipsiusmet Bossueti verbis facilè ostenditur. Distinguit Bossuetus in hâc Christi sententiâ id, quod ad officium Petri & Successorum pertinet, ab eo, quod Christi promissionem spectat. Rom. Pontifices, ait Bossuetus, jubentur confirmare fratres, non eâ tamen ratione, ut ei officio nunquam defuturi sint. Censet significationem his Christi verbis esse tribuendam hoc sensu: *Quantùm in te est, enitere, ut firmi sint.* Promissionem fidei non defuturæ dicit eo sensu, quo Febronius loquitur, solum Petrum spectare; *Successores in fide confirmatos nemo* (inquit) *nisi insipientissimus dixerit.* Febronius hoc ita expressit: *Hujus promissionis efficaciam ad Petri Successores transituram nemo sustinebit.* Ita Meldensis partem textûs: *Confirma fratres*, etiam Petri Successoribus, omnibúsque Episcopis applicat; Febronius textum totum ad Petri personam restringit.

XXII. Etiam Bossuetus dicit Petrum considerari, ut suos in Primatu Successores repræsentat, atque fidem Petri non esse defecturam hoc sensu, ut Petri Successores, eorúmque universa successio, sedésque & Ecclesia, quam docendam & regendam susceperint, à verâ fide avellantur. Febronius Meldensem deserit, Launoium, Dupin. Tournelium sequitur, & *ut non deficiet fides* toti Ecclesiæ, non autem Ecclesiæ Romanæ, & Cathedræ Petri attribuit.

XXIII. Privilegium utrumque & fidei nunquam defuturæ, & confirmandi fratres Petro & ejus Successoribus à Christo his verbis esse concessum, constanter docuit Ecclesia ob communem totius Ecclesiæ utilitatem, imò necessitatem, ut contra hostem perpetuum, cujus impugnatio ad finem sæculi durabit, perpetuum sit remedium. *Secundùm hanc promissionem*, inquit Cyrillus, *Ecclesia Apostolica S. Petri ab omni circumductione & hæreticâ circumventione manet immaculata.* S. Theodorus studites ait: *Audi Apostolicum Caput, Pastor ovium Christi à Deo electe, Claviger regni cœlorum, petra fidei, super quam ædificata est Ecclesia Catholica. Hunc a les ab Occidente; tibi namque dixit Christus Deus noster: Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

S. Theod. Stud. ep. ad Pasch. Pontif.

XXIV. Galanus ad Alexandrum VII. contra schismaticos Armeniæ dicit: Verbis iis non modò Petrum est allocutus, sed in ipso ejus etiam Successores, quorum fratres Episcopos, alios in fide hæsitaturos, alios omnino defecturos præviderat.

Gal. ad Alex. VII conciliat. Eccles. Armen. cum Rom. Tom. 3. p. 1. §. 11

XXV. Acutè observat, non satis probabile videri, quòd, cùm Christus hæc verba dixerit, antequam prædixisset lapsum negationis, iis verbis significaverit conversionem post lapsum futuram; ideo rectiùs eam vocem *conversus* in eo significatu accipiendam, sicut in psalmo legimus: *Deus tu conversus vivificabis nos*, ac si dixisset Dominus: Tu, cujus fides nunquam deficiet, cùm videris alios vacillantes, ad eos conversus confirma illos.

XXVI.

XXVI. Non itaque aliquam demonstrationis rationem habet ille Febronii discursus: *Petri Successores non ceciderunt, neque surrexerunt cum Petro, ergo similem cum eo promissionem non acceperunt.* Sicut ob hoc, quòd Petrus propter fidei confessionem beatus prædicetur à Christo, ejúsque nomen ore Domini mutatum sit, & ob eminentem Petri charitatem hæretici non rectè concludunt, claves regni cœlorum soli Petro datas, & officium pascendi oves ei soli esse commissum, & cum Petri personâ potestatem totam clavibus & pastione gregis indicatam, desiisse, quod placuit Calvino.

XXVII. Iterum Febronius ad Gersonium se convertit, ejus hæc verba recitat: *In causis fidei nullus particularis homo potest de propositione non hæreticâ facere hæreticam; nec Papa, nec Episcopus propriè & verè loquendo, possunt tamen hæreticam declarare propositionem, quæ videtur aliquibus non hæretica. Hoc*, inquit, *appellatur facere articulum.* Diversimodè dicit hoc facere Papam & Episcopum, *quia Papæ determinatio pœnalis extendit se ad omnes fideles, sed Episcopalis tantummodo ad subditos;* subjungit Febronius: *Rectè hæc ita.*

XXVIII. Si rectè, erit in hac diœcesi hæreticus, qui non foret in aliâ; erit hic hæresis, quod in aliis diœcesibus censetur inter opiniones. Nec hoc rectè, quòd novus articulus fidei condatur, dum aliqua propositio declaratur hæretica. Neque hoc rectè, quòd Papa *non possit propriè & verè propositionem* (ùt Gerson scitè loquitur) *hæreticare.* Notum est illud B. Vincentii Lerinensis pronuntiatum: *Mira conversio! Absolvuntur magistri, damnantur discipuli.*

XXIX. Declarationem Papalem, quâ quædam propositiones tanquam hæreticæ damnantur, dicit Febronius ante consensum Ecclesiæ propriè non esse legem universalem, sed judicium in Ecclesiâ primarium per se non deficiens.

XXX. Quotquot sunt Anticonstitutionistæ in Belgio & quibusdam Galliæ ac forsan etiam Germaniæ latebris, grato præconio hanc de Papalibus definitionibus crisin Febronianam libenter extollent. Quòd quibuslibet verbis Papa se dicat definire, omnibus fidelibus mandare, ut, quod definivit, filiali obsequio suscipiant, pro definito, damnato haberi non debeat; benignè patientur judicium Papale vocari *primarium*, si suæ libertati nullum frænum injectum esse intelligant. Pergent, utcunque multiplicatis Romæ judiciis primariis & confirmantibus damnationem & obedientiam fidelem urgentibus, tranquillè totius Ecclesiæ consensum exspectare. Quomodo ex Gersonii sententiâ ad omnes fideles determinatio pœnalis facta à Rom. Pontifice se extendat, quomodo illa extensio à Febronio restringatur; dicit Febronius ex his lumen accipere, quæ Cap. 2. §. 9. & Cap. 3. § 4. tradidit (hæc suis locis discussa sunt) & quæ in hujus Cap. 5. §. 4. proponentur, hæc ibi lumen accipient.

XXXI. His addit : *Etsi Papa infallibilis non sit, provisoriè ipsius decretis obsequendum esse, saltem ad non dogmatizandum contrarium, quamdiu Ecclesia non reclamat.* Ita Tournelius docet teneri fideles omnes acquiescere constitutionibus Papalibus de fide in regno promulgatis, quamvis dubium sit, an erroneæ sint, nec ne; sed Ecclesiam nationalem *statim absque morâ reclamaturam*; quem doctè refutat P. Cartier l. c. Huic asserto adstipulatur Febronius, si tamen pro verbis : *Quamdiu Ecclesia non reclamat*, dicatur: *Nisi plures & graves particulares Ecclesiæ reclamaverint*, cùm per hanc reclamationem satìs manifestetur, quòd Ecclesia universalis nondum consenserit.

XXXII. Plus certè Paschasius Quesnellus non volebat; particulares quasdam Ecclesias Galliæ suis partibus addictas habebat, quæ perinde, ùt ipse ad futurum liberum generale Concilium appellando monstrabant seriam contra Clementem XI. reclamationem. Nec provisoriè quidem eam Constitutionem Papalem suscipiendam esse Quesnellianarum partium Theologi arbitrabantur, dum universalis Ecclesia per illas particulares abunde ostendebat, se negare consensum. Sciebant quidem eas Ecclesias numero ab aliis Gallicanis Bullam Pontificiam prono voluntatis obsequio amplexis longè superari; at verò has iniquis Aulæ Romanæ artibus delusas deceptásque jactabant, & solo numero, minimè autem auhoritate & justis rationibus prævalere. Et quanquam apud omnes bonos maximi ponderis Pontificia decreta esse debeant, nullius tamen momenti esse hanc Constitutionem, cùm à genuinâ Ecclesiæ traditione & Patrum doctrinâ nimis manifestè deviet, neque sapientes aut boni dici mereantur, qui cæcorum instar se illuc duci patiantur, quò non veritas, non Scriptura & Traditio, sed Rom. Curia eundum esse decreverit.

XXXIV. Iterum Febronii dictator Gersonius auscultandus est, ut illa subtilis & implicata obsequii provisorii explicatio intelligatur. Tres ejus propositiones affert Febronius. Una est : *In causis fidei non habetur in terrâ de lege communi Judex infallibilis præter Ecclesiam universalem, vel Concilium generale sufficienter eam repræsentans.* Altera : *In causis fidei nulla determinatio Papæ solius præcisè ùt Papæ ligat fideles ad credendum, quòd ita sit, sicut prætendit; obligat tamen subditos sub pænâ excommunicationis, quòd non dogmatizent oppositum, nisi appareat manifesta ratio.* His duas addit: *Ecclesia potest condere leges obligantes Papam tam quoad personam, quàm respectu usûs potestatis, non econtra Papa potest judicare totam Ecclesiam, vel usum potestatis limitare.* Et: *Si Papa condat leges, videtur observandum, quod dicit Augustinus : Leges firmantur, cùm moribus utentium comprobantur.*

XXXV. Primæ oppono illa, quæ de infallibilitate Rom. Pontificis in primâ Dissertatione dicta sunt. His addo hæc sæpè laudati Charlasii : *Quâ ratio-*

ne

ne alios possent confirmare, qui ipsi titubarent, vel potiùs quomodò possent labentes sustinere, aut lapsos erigere, si ipsi alios per propositionem hæretici dogmatis publicè toti Ecclesiæ factam ad casum impellere possent? Necesse est, ut firmiter stent, quorum officium est aliorum impedire casum, aut ruinam reparare. Debebat Petrus inter *sanam doctrinam* & *interpretationem scripturas depravantem* certâ discretione posse discernere, debet eâdem ratione quilibet cujuscunque sæculi Rom. Pontifex remedium dare certum contra *astutiam* & *circumventionem erroris*, dum Ecclesiam universalem adire & ex totâ societate Christianorum sciscitari non possunt hi, qui de aliquâ fidei quæstione dubitant. Concilio generali Episcoporum Orientis & Occidentis congregando quot quantáque se impedimenta objiciant, historia Concilii Trid. ac præsertim longa mora triennalis, quæ inter indictionem & primam sessionem intercessit, tum & interruptio non una demonstrant. Accedunt illa, quæ contra sufficientem Patrum, qui Tridentum venerunt, libertatem, contra præsensiones, politicis studiis nutritas, objecerunt hæretici pressi per synodales definitiones, quanquam vehementissimè Concilii generalis convocationem ursissent; per ejus Concilii anathemata se victos damnatósque experti, quibuscunque calumniis sanctum illum & venerabilem cœtum perstringere maluerunt, quàm se justè judicatos agnoscere.

XXXVI. Altera mirabili nexu hæc pugnantia conjungit: Fideles ad credendum, quòd ita sit de veritate fidei, sicut prætendit Papa & definivit, non obligantur; obligantur tamen ad non dogmatizandum oppositum, nisi repugnandi ratio appareat manifesta.

XXXVII. Böhmerus Protestantium celebratissimus Ictus libertatem credendi cum contrariâ doctione ita conjunxit, ut parendum voluerit voluntati Principum certa dogmata præscribentium; liberum tamen docentibus maneat aliud credere, atque hoc medio dicit simul gratum fieri Principibus communem regni aut provinciæ tranquillitatem intendentibus, simul etiam tyrannidem conscientiarum papisticam evitari, quam patiuntur Catholici, qui quidquid à Papâ jubentur dogmatizare, aut palàm docere, etiam eum internâ credulitate & interiore assensu profiteri tenentur. Nesciebat Böhmerus, cùm hæc scriberet, surrexisse in medio populi nostri Doctorem novum, qui post definitionem Papalem dicat hoc dogmatizandum, quod jussit Papa aut Episcopus, salvâ integrâ libertate credendi, quod maluerit, seu quod (judicio contrariis rationibus determinato) persuasum habeat Papali aut Episcopali definitioni anteferri oportere. Gersonius solus non est hujus libertatis assertor, nec Febronius solus est ejus in hac doctrinâ discipulus. Tournelius dicit, teneri fideles omnes acquiescere Rom. Pontificum constitutionibus in unoquoque regno promulgatis, quamvis nondum constet, ac proinde dubium sit, an erroneæ sint, nec ne.

XXXVIII. Libertatem dogmatizandi tunc Gersonius concedit omni vinculo provisorii expeditam, *si appareat manifesta ratio repugnandi*. Dubitantibus solis ea lex est scripta, non verò his, quorum oculi vident rationem repugnandi manifestam. Talis erat Innocentii X. ætate Aurelius, ætate Clementis XI. Quesnellus, Erkelius, alisque Batavi Anticonstitutionistæ. Quomodo possit post suas innumeras meridionali sole clariores demonstrationes Febronio non apparere ratio manifesta Clementi XIII. provisoriam obedientiam heroicè denegandi, mente ac stylo repugnandi? S. Scripturæ & genuinæ Traditionis lumine illustratus dicere cogitur, quòd quondam Asiaticus Policrates Victori I. respondebat: *Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus*.

XXXIX. Si aliquantum difficile videretur his, quæ novem postremis sæculis Rom. Pontifices, Concilia generalia, & Academiæ Catholicorum crediderunt & approbârunt, rationes manifestas opponere; tunc ad retinendam non credendi tantùm, sed & dogmatizandi libertatem satis est, non unam, sed *plures*, etsi paucas, certè tamen *graves particulares Ecclesias reclamâsse* contra Sedem Apostolicam, aut potiùs (ne illa S. Cathedra irreligiosè despiciatur) contra sedentem in eâ hominem mortalem, erroribus obnoxium, perversorum Curialium catervâ circumseptum.

XL. Tertia propositio (quæ gregem, imò gregis partem ita facit Pastoris sui judicem & directorem, ut quomodo regi velit, eum regendo præscribat) ordinem hierarchicum pessundat. Quid ab eo exercitu exspectari possit, qui leges condere potest obligantes & regulantes Ducem supremum tam quoad personam, quàm respectu usûs potestatis?

XLI. Præter Conciliorum decreta huic infelicissimæ imaginationi natura & sana ratio contradicit. Repeto, quæ jam suprà exhibui, S. Gelasii verba: *Conciliorum decreta vim ac robur suum à Pontificis consensu habere, eo negato admissa non fuisse; ipsius esse judicare de universâ Ecclesiâ, ipsum autem à nemine judicari posse*. Repeto, quæ dixi de impio ausu Dioscori, qui cum Episcopis Ephesi congregatis *ausus est*, ùt Patres Chalced. loquuntur, *contra ipsum sanctissimum Leonem extendere suam insaniam*; quem Photius pari impietate imitatus est judicando & damnando Rom. Pontificem. Repeto declarationem Præsulum Africanorum ad Innocentium I. in causâ Pelagii. Carthaginensium epistola synodica hæc habet: *Sanctæ charitati tuæ hoc intimandum duximus, statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur authoritas pro tuendâ salute multorum, & quorumdam etiam perversitate corrigendâ*. Milevitanorum hæc verba sunt: *Arbitramur adjuvante misericordiâ Domini Dei nostri J. C. quæ te & regere consulentem, & orantem exaudire dignatur, authoritati sanctitatis tuæ de claro Scripturarum lumine depromptæ faciliùs eos, qui tam perversa & perniciosa sentiunt, esse cessuros, ut de eorum potiùs resurrectione gratulemur, quàm contristemur interitu*. Repeto, quæ

de

de Constantino, Justiniano Augg. & Theodorico Rege dicta sunt, quòd judicium Sedis Apostolicæ in causis fidei & Ecclesiæ supremum agnoverint, & ejus *Sedis Antistitem non subjacere minorum judicio*, etsi aliquando humanitus per obliqua consilia fuerint aliorsum inflexi. Sicut Symmachum I. judicare ausi non sunt Episcopi, ita Leonem III. Synodus judicare non voluit: *Nos*, inquiunt, *Sedem Apostolicam, quæ est Caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus. Nam ab ipsâ nos omnes & Vicario suo judicamur, ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit; sed sicut ipse summus Pontifex consuevit, jubeat; canonicè obediemus.*

XLII. Dum Febronius iterum producit verba: *Leges firmantur, cùm moribus utentium comprobantur*, iterum dicendum est hæc verba non S. Augustini esse, sed Gratiani. Sed hic Gersonis est error minoris momenti; gravior ille Febronii est, quòd dum de jure condendi leges in causis fidei universam Ecclesiam obligantes tractat, *à moribus utentium* aliquid firmitatis credat posse accedere.

XLIII. Inter declarationem Papalem & Episcopalem cùm Gerson aliud discrimen non explicet, quàm quòd Papa pro toto mundo, Episcopus pro suâ tantùm Diœcesi illud judicium exerceat; necessarium censuit Febronius utriusque judicii naturam distinctiùs evolvere: *Ne quis*, inquit, *error subrepat.*

XLIV. 1. Notat observandum esse, hic non agi de judicio propriè & juridicè dicto, cui intervenire debeat *actor*, *judex* & *reus*.

XLV. Sed rectiùs Papa Innocentius in Concilio generali Lateranensi docuit, qualiter & quando ad inquirendum & puniendum subditorum excessus procedi debeat. Ostendit, quòd si per clamorem & famam ad aures Superioris pervenerit non quidem à malevolis & maledicis, sed à providis & honestis, nec semel tantùm, sed sæpè, quod clamor innuit, & diffamatio manifestat, debet coram Ecclesiæ superioribus diligentiùs perscrutari Prælatus, ut, si rei poposcerit qualitas, canonica districtio culpam feriat delinquentis; non tanquam idem sit accusator & judex, sed quasi denuntiante famâ vel deferente clamore officii sui debitum exequatur. Cùm super excessibus suis quisquam fuerit infamatus, ut jam clamor ascendat, qui diutiùs sinè scandalo dissimulari non possit, vel sinè periculo tolerari, absque dubitationis scrupulo ad puniendum non ex odii fomite, sed ex charitatis procedatur affectu. Ad corrigendos subditorum excessus tantò diligentiùs debet Prælatus assurgere, quantò damnabiliùs eorum offensas deseréret incorrectas. Etiam Gregorius IX. suis Decretalibus inseruit hanc S. Augustini sententiam: *Evidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris.* Ex his intelligitur judicium propriè & juridicè dictum non ideo Papalibus declarationibus rectè negari, quòd aliquid ex requisitis, ùt vocant, essentialibus deficiat, dum fama & notoria criminis evidentia reum accusat.

Cap. Qualiter & quando de Accus.

Cap. Evidentia de Accusat.

XXXVIII. Libertatem dogmatizandi tunc Gersonius concedit omni vinculo provisorii expeditam, *si appareat manifesta ratio repugnandi.* Dubitantibus solis ea lex est scripta, non verò his, quorum oculi vident rationem repugnandi manifestam. Talis erat Innocentii X. ætate Aurelius, ætate Clementis XI. Quesnellus, Erkelius, aliique Batavi Anticonstitutionistæ. Quomodo possit post suas innumeras meridionali sole clariores demonstrationes Febronio non apparere ratio manifesta Clementi XIII. provisoriam obedientiam heroicè denegandi, mente, ac stylo repugnandi? S. Scripturæ & genuinæ Traditionis lumine illustratus dicere cogitur, quòd quondam Asiaticus Policrates Victori I. respondebat: *Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.*

XXXIX. Si aliquantum difficile videretur his, quæ novem postremis sæculis Rom. Pontifices, Concilia generalia, & Academiæ Catholicorum crediderunt & approbârunt, rationes manifestas opponere; tunc ad retinendam non credendi tantùm, sed & dogmatizandi libertatem satis est, non unam, sed *plures*, etsi paucas, certè tamen *graves, particulares Ecclesias reclamâsse* contra Sedem Apostolicam, aut potiùs (ne illa S. Cathedra irreligiosè despiciatur) contra sedentem in eâ hominem mortalem, erroribus obnoxium, perversorum Curialium catervâ circumseptum.

XL. Tertia propositio (quæ gregem, imò gregis partem ita facit Pastoris sui judicem & directorem, ut quomodo regi velit, eum regendo præscribat) ordinem hierarchicum pessundat. Quid ab eo exercitu exspectari possit, qui leges condere potest obligantes & regulantes Ducem supremum tam quoad personam, quàm respectu usûs potestatis?

XLI. Præter Conciliorum decreta huic infelicissimæ imaginationi natura & sana ratio contradicit. Repeto, quæ jam suprà exhibui, S. Gelasii verba: *Conciliorum decreta vim ac robur suum à Pontificis consensu habere, eo negato admissa non fuisse; ipsius esse judicare de universâ Ecclesiâ, ipsum autem à nemine judicari posse.* Repeto, quæ dixi de impio ausu Dioscori, qui cum Episcopis Ephesi congregatis *ausus est*, ùt Patres Chalced. loquuntur, *contra ipsum sanctissimum Leonem extendere suam insaniam*; quem Photius pari impietate imitatus est judicando & damnando Rom. Pontificem. Repeto declarationem Præsulum Africanorum ad Innocentium I. in causâ Pelagii. Carthaginensium epistola synodica hæc habet: *Sanctæ charitati tuæ hoc intimandum duximus, statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur authoritas pro tuendâ salute multorum, & quorumdam etiam perversitate corrigendâ.* Milevitanorum hæc verba sunt: *Arbitramur adjuvante misericordiâ Domini Dei nostri J. C. quæ te & regere consulentem, & orantem exaudire dignatur, authoritati sanctitatis tuæ de claro Scripturarum lumine depromptæ faciliùs eos, qui tam perversa & perniciosa sentiunt, esse cessuros, ut de eorum potiùs resurrectione gratulemur, quàm contristemur interitu.* Repeto, quæ

de

de Constantino, Justiniano Augg. & Theodorico Rege dicta sunt, quòd judicium Sedis Apostolicæ in causis fidei & Ecclesiæ supremum agnoverint, & ejus *Sedis Antistitem non subjacere minorum judicio*, etsi aliquando humanitus per obliqua consilia fuerunt aliorsum inflexi. Sicut Symmachum I. judicare ausi non sunt Episcopi, ita Leonem III. Synodus judicare non voluit: *Nos*, inquiunt, *Sedem Apostolicam, quæ est Caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus. Nam ab ipsâ nos omnes & Vicario suo judicamur, ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit; sed sicut ipse summus Pontifex consuevit, jubeat; canonicè obediemus.*

XLII. Dum Febronius iterum producit verba: *Leges firmantur, cùm moribus utentium comprobantur*, iterum dicendum est hæc verba non S. Augustini esse, sed Gratiani. Sed hic Gersonis est error minoris momenti; gravior ille Febronii est, quòd dum de jure condendi leges in causis fidei universam Ecclesiam obligantes tractat, *à moribus utentium* aliquid firmitatis credat posse accedere.

XLIII. Inter declarationem Papalem & Episcopalem cùm Gerson aliud discrimen non explicet, quàm quòd Papa pro toto mundo, Episcopus pro suâ tantùm Diœcesi illud judicium exerceat; necessarium censuit Febronius utriusque judicii naturam distinctiùs evolvere: *Ne quis*, inquit, *error subrepat.*

XLIV. 1. Notat observandum esse, hîc non agi de judicio propriè & juridicè dicto, cui intervenire debeat *actor*, *judex* & *reus*.

XLV. Sed rectiùs Papa Innocentius in Concilio generali Lateranensi docuit, qualiter & quando ad inquirendum & puniendum subditorum excessus procedi debeat. Ostendit, quòd si per clamorem & famam ad aures Superioris pervenerit non quidem à malevolis & maledicis, sed à providis & honestis, nec semel tantùm, sed sæpè, quod clamor innuit, & diffamatio manifestat, debet coram Ecclesiæ superioribus diligentiùs perscrutari Prælatus, ut, si rei poposcerit qualitas, canonica districtio culpam feriat delinquentis; non tanquam idem sit accusator & judex, sed quasi denuntiante famâ vel deferente clamore officii sui debitum exequatur. Cùm super excessibus suis quisquam fuerit infamatus, ut jam clamor ascendat, qui diutiùs sinè scandalo dissimulari non possit, vel sinè periculo tolerari, absque dubitationis scrupulo ad puniendum non ex odii fomite, sed ex charitatis procedatur affectu. Ad corrigendos subditorum excessus tantò diligentiùs debet Prælatus assurgere, quantò damnabiliùs eorum offensas desereret incorrectas. Etiam Gregorius IX. suis Decretalibus inseruit hanc S. Augustini sententiam: *Evidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris.* Ex his intelligitur judicium propriè & juridicè dictum non ideo Papalibus declarationibus rectè negari, quòd aliquid ex requisitis, ùt vocant, essentialibus deficiat, dum fama & notoria criminis evidentia reum accusat.

Cap. Qualiter & quando de Accus.

Cap. Evidentia de Accusat.

XLVI.

XLVI. *Pro exemplo damus*, inquit Febronius, *Bullàs Leonis X. de 15. Junii 1520. & 5. Jan. 1521. adversùs errores Lutheri.* Atqui priusquam hæ publicarentur, forma judicii accuratè omnino fuit observata.

XLVII. Innocentius III. sancivit, & sacri approbatione Concilii confirmavit, qualiter processus ad punienda crimina institui debeat; præter jam dicta voluit: Debet esse præsens is, contra quem facienda sit inquisitio, nisi se per contumaciam absentaverit. Summum Pontificem Leonem X. per literas ex Comitiis Augustanis monuit Imperator Maximilianus, quanta pericula Germanis à Lutheri machinatione impenderent, hortatúsque est, ut nascenti malo pro authoritate suâ medicinam accuret, promisitque se curaturum, ut, quæ Papa decreverit, per omnes Imperii provincias rata habeantur. Passim in Germaniâ lectitabatur Lutheri responsio ad libellum Silvestri Prieratis Dominicani, in quâ Romam perditam & blasphemam & Babylonem vocat, & Curiam Rom. Synagogam Satanæ, aliáque infanda his similia ei scripto infarsit. Ex quibus evidenter constabat & Cæsari & nationi, de criminibus Luthero imputatis dubitari non posse. Testimonio Cæsaris alia multa Germanorum accesserant. 7. Aug. 1518. exaratæ sunt literæ citationis constituto termino LX. dierum, non multò post Wittenbergam delatæ. 25. Sept. per Academiam Wittenbergensem ad declinandum Pontificis mandatum se fecit eidem splendidis præconiis commendari. Ideetiam diligenter egit Fridericus Elector Saxoniæ, ut causa hæc non Romæ, sed in Germaniâ primùm cognosceretur. Quo impetrato id negotii datum est Card. Cajetano & Miltitio, quorum conatus delusit Lutherus. Etiam impias criminationes Academiis Colon. & Lovan. opposuit, Rom. Pontificem Antichristum declaravit, & librum *de Captiv. Babyl.* scripsit. Quibus omnibus per Eckium Romam profectum demonstratis tandem Leo Papa Lutheri 14. Junii 1520. solenni decreto damnavit, & comburi jussit; autorem verò ad pœnitentiam paternè invitavit. Novo decreto alia ex Lutheri scriptis collecta dogmata sub initium anni proximè secuti damnavit.

Ulenb. de vit. & reb. gest. Luth. c. 4.

XLVIII. Hoc Papale judicium de fide Lutheri negat Febronius certam esse regulam seu normam, cùm solius universalis Ecclesiæ ea sit authoritas condendi legem fidei infallibilem: *Norma*, inquit, *omnes fideles quasi judicium Dei obligatura, debet esse certa & ultimata, talis autem esse non potest, nisi authoritate & sigillo universalis Ecclesiæ munita sit.*

XLIX. Non id visum est Imperatori & his, qui & veritatem & pacem amabant in Germaniâ, neque Gallis, qui academico decreto damnationem novarum hæreseon summo consensu Parisiis declarârunt esse justissimam 15. Apr. anno eodem.

L. Nihil certè Luthero gratius scribi aut judicari poterat, quàm quòd in ejus favorem contra Papale judicium judicavit & scripsit Febronius.

LI.

LI. Benignior est Episcopis; horum jussa toti diœcesi, cui quisque præfuerit, præscripta concedit absque diœcesanorum consensu vim legis obtinere.

LII. Ex quo illud rectè concluditur, quòd si Wittenbergensium Episcopus illius temporis absque ullo diœcesanorum consensu totidem Lutheri propositiones, quot Leo Papa Romæ damnavit, Brandenburgi aut Wittenbergæ (quod oppidum ad Brandenburgensem diœcesin pertinebat) damnâsset, Lutherus pro hæretico habendus fuisset; non autem, dum Leo Papa jure sui Primatus à Deo accepti sententiam quidem formavit, sed sigillo universalis Ecclesiæ muniri non fecit. Vim eandem in causis fidei per universum orbem judicio Papali, quam judicium Episcopale in quâvis particulari diœcesi obtinet, negat Febronius concedi posse.

LIII. Meliore dogmate Germanos imbuebat S. Bonifacius Moguntinus, qui, quid contra impios sui temporis hæreticos decernendum esset, à Sede Apostolicâ exspectavit. Judicio Gregorii II. & postea Zachariæ Rom. Pontificum comperto eos damnabat, quos antè S. Sedes damnaverat. Præsules Germaniæ in Synodo Triburiensi declarant: *Honoremus Rom. & Apostolicam Sedem, ut, quæ nobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra Ecclesiasticæ rationis.*

LIV. S. Athanasius contra Eusebium ac Petrum aliósque Arianos Episcopos fidem suam Romæ defendit coram S. Julio, sicut suam orthodoxiam Dionysius Alexandrinus coram S. Dionysio Rom. propugnavit contra iniquas inimicorum criminationes.

LV. Cæciliani accusatorem S. Augustinus ita objurgat: *Si innocentem te reddit Sedes Bagagitana, quantò potiùs illum Sedes Apostolica?* Nempe accusator nitebatur authoritate particularis Episcopi Africani, *Cæcilianum Antistes Rom. Ecclesiæ, in quâ semper Apostolicæ cathedræ viguit Principatus*, ùt idem S. Augustinus loquitur, *contra Majoranum Episcopum Donatistam defendebat.* Cùm Sedes Apostolica seu Romana sit radix seu vinculum communionis omnium Episcoporum Ecclesiæ Dei, unde in omnes venerandæ communionis jura dimanant, necessarium semper censuerunt boni Catholici providè inquirere, quæ sit sententia Rom Pontificis.

LVI. Ideo cùm Eustathium in communionem suam recepisset Liberius, quanquam eundem suâ communione antea interdixissent Patres Thyanenses, teste S. Basilio statim in suum locum restitutus est, quod jam suprà pluribus indicavi. Ut Marcianus loco moveretur ob hæresin, S. Cyprianus rogatus ab Episcopis Galliæ petivit à Papâ Cornelio. Hæc aliáque suprà uberiùs pluribus Orientalium & Occidentalium exemplis monstrata repetere supervacaneum est. Ex his concludo ita Primatum Apostolicæ Sedis hâc suâ novitate depressisse & Episcopalem dignitatem exaltâsse Febronium, ut monstrosæ Ecclesiæ ideam sinè authoritate, sinè ratione, imò contra omnem autoritatem & rationem effinxerit.

LVII

LVII. Addit: *si quis poneret hanc thesin: Papa potest in toto mundo, quæ quisque Episcopus in suâ diœcesi, is paucos prudentes inveniret sibi assentientes, certè non Gersonem.*

LVIII. Bertrandus Augustodunensis Episcopus & postea Cardinalis, quem Thomassinus Illustrissimum Ecclesiæ Gallicanæ Præsulem vocat, dicit *jurisdictionem habere Papam sinè limitatione loci & personarum : Ideo*, inquit, *omnes Christiani, ubicunque sint, debent ei obedire; cæteris verò Prælatis, Episcopis in diœcesibus sibi commissis tenentur obedire omnes Christiani manentes in eis.* Eandem sententiam Thomassinus dicit amplexatos esse Gersonium, Alliacensem, Almainum, Majorem, & cætera Scholæ Parisiensis lumina, quos incusare potest nemo amplificandæ Rom. Pontificum potestati plus æquo studuisse.

Thomass. p. 1. L. 1. c. 6.

LIX. Hæc autem (inquit) Gersonius ponit fundamenta: *Ad omnes prorsus fideles extendi jurisdictionem Ecclesiasticam. Si extra juris metas erumperet, intra orbitam revocari debere Ecclesiæ in Concilium coactæ authoritate. Hanc in Rom. Pontifice potestatem residere, unde monarchicum certissimè est Ecclesiæ regimen; non quòd Pontificis sit Episcoporum munia invadere, sed quòd hanc tunc demum exerat potestatem, dum, quod sui muneris est, implere negligunt, aut vel invitat utilitas, aut urget necessitas, quæ Episcopos cogeret Parochorum vices subire. Plenitudo potestatis Ecclesiasticæ* (dicit) *complectitur in se plenitudinem duplicis potestatis, scilicet ordinis & jurisdictionis tam in foro interiori, quàm exteriori, quæ circa quemlibet de Ecclesiâ potest immediatè & absque limitatione exerceri clave non errante. Plenitudo illa sic propriè sumpta potestatis non potest esse de lege ordinatâ, nisi in unico summo Pontifice, alioquin Ecclesiasticum regimen non esset monarchicum.* Monet iterum vitandum esse abusum in exercitio, & necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ attendendam esse, sicut in Episcopis respectu Parochorum. Dicit *nullam aliam politiam immutabiliter monarchicam à Christo institutam esse. Sentientes oppositum, quòd quilibet Episcopus in suâ diœcesi sit Papa vel Pastor supremus æqualis Papæ Rom. errant in fide & unitate Ecclesiæ contra articulum: Et in unam sanctam &c.* Addit similia aliorum Theologorum Parisiensium.

LX. Addit his Thomassinus verba S. Bernardi: *Plenitudo potestatis super universas orbis Ecclesias singulari prærogativâ Apostolicæ Sedi donata est. Qui huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Potest, si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus; potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare. Potest à finibus terræ sublimes quascunque personas Ecclesiasticas evocare ad suam præsentiam non semel aut bis, sed quoties expedire videbit* &c. Laudat S. Thomæ Aquinatis commentarium in hæc verba 1. Cor. 1. *In omni loco ipsorum & nostro*; quæ S. Doctor sic explicat: *Ipsorum, id est, eorum jurisdictioni subjecto. Et nostro, quia per hoc, quòd subjiciantur Episcopo civitatis,*

vitatis, non eximebantur à potestate Apostoli, quinimo magis erant Apostolo subjecti, quàm his, quibus eos subjecerat. Hæc Febronius cum suâ assertione componat, aut dum hoc non potest, doceatur potestatem Rom. Pontificis non esse certo loco circumscriptam; Episcopis autem esse certos fines constitutos; potestatem & rectum potestatis usum secerni oportere.

§. II.

Ad Rom. Pontificem pertinere jus statuendi in materiâ disciplinæ & totam Ecclesiam obligandi defenditur.

1. *In causis disciplinæ æquè ac fidei negat Febronius Pontifici potestatem legislativam.*
2. *Quæ sint causæ disciplinæ.*
3. *Quid per* ejus partes essentiales *Febronius intelligat, non explicat.*
4. *Ad partes ejus essentiales pertinet:* Pasce oves. Qui vos spernit, me spernit &c.
5. *Non verò pertinet, quòd, ut obedire teneantur subditi, Pastores debeant simul & conjunctim præcipere.*
6. *Apostoli auxerunt præcepta disciplinæ; aliqua deaerunt ad tempus.*
7. *Jejunio certos dies non præscripserunt Apostoli in suis epistolis. Varia per mundum ejus fuit observantia.*
8. *Pœnitentiæ publicæ disciplina est mutata. Quid de hac Benedictus XIV. moneat Episcopos.*
9. *Ostendit, quid Episcopi judicare debeant de receptis consuetudinibus.*
10. *Quid ipsemet rescripserit Regi Hispaniæ de abstinentiâ.*
11. *Febronius mentionem facit de corpore disciplinari Ecclesiastico, non indicat, ubi hoc sit.*
12. *Disciplinam pro suâ Ecclesiâ ordinat Episcopus vel solus, vel cum Synodo.*
13. *Puncta disciplinæ ad causas majores spectantia Rom. Pontifici reservantur, ùt depositiones Episcoporum.*
14. *Regula disciplinæ:* Non debent absque Rom. Episcopi sententiâ Synodi haberi, aut Ecclesiis decreta sanciri, *laudatur à Sozomeno & Socrate.*
15. *Vindicatur ab Altimura contra schismaticos Græcos.*
16. *Altimura & Natalis probant confirmationem Canonum Trullanorum Justinianum Aug. ursisse apud Sergium I.*
17. *Sergium, duósque Successores constanter Imperatori restitisse.*
18. *Anastasii Bibliothecarii de his Canonibus judicium.*
19. *Febronii paradoxon, Papam non posse abrogare consuetudines particulares, constitutionibus essentialibus non repugnantes, refellitur.*

LVII. Addit: *si quis poneret hanc thesin: Papa potest in toto mundo, quæ quisque Episcopus in suâ diœcesi, is paucos prudentes inveniret sibi assentientes, certè non Gersonem.*

LVIII. Bertrandus Augustodunensis Episcopus & postea Cardinalis, quem Thomassinus Illustrissimum Ecclesiæ Gallicanæ Præsulem vocat, dicit *jurisdictionem habere Papam sine limitatione loci & personarum: Ideo*, inquit, *omnes Christiani, ubicunque sint, debent ei obedire; cæteris verò Prælatis, Episcopis in diœcesibus sibi commissis tenentur obedire omnes Christiani manentes in eis.* Eandem sententiam Thomassinus dicit amplexatos esse Gersonium, Alliacensem, Almainum, Majorem, & cætera Scholæ Parisiensis lumina, quos incusare potest nemo amplificandæ Rom. Pontificum potestati plus æquo studuisse.

Thomass. p. 1. L. 1. c. 6.

LIX. Hæc autem (inquit) Gersonius ponit fundamenta: *Ad omnes prorsus fideles extendi jurisdictionem Ecclesiasticam. Si extra juris metas erumperet, intra orbitam revocari debere Ecclesiæ in Concilium coactæ authoritate. Hanc in Rom. Pontifice potestatem residere, unde monarchicum certissimè est Ecclesiæ regimen; non quòd Pontificis sit Episcoporum munia invadere, sed quòd hanc tunc demum exerat potestatem, dum, quod sui muneris est, implere negligunt, aut vel invitat utilitas, aut urget necessitas, quæ Episcopos cogeret Parochorum vices subire. Plenitudo potestatis Ecclesiasticæ* (dicit) *complectitur in se plenitudinem duplicis potestatis, scilicet ordinis & jurisdictionis tam in foro interiori, quàm exteriori, quæ circa quemlibet de Ecclesiâ potest immediatè & absque limitatione exerceri clave non errante. Plenitudo illa sic propriè sumpta potestatis non potest esse de lege ordinatâ, nisi in unico summo Pontifice, alioquin Ecclesiasticum regimen non esset monarchicum.* Monet iterum vitandum esse abusum in exercitio, & necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ attendendam esse, sicut in Episcopis respectu Parochorum. Dicit *nullam aliam politiam immutabiliter monarchicam à Christo institutam esse. Sentientes oppositum, quòd quilibet Episcopus in suâ diœcesi sit Papa vel Pastor supremus æqualis Papæ Rom. errant in fide & unitate Ecclesiæ contra articulum: Et in unam sanctam &c.* Addit similia aliorum Theologorum Parisiensium.

LX. Addit his Thomassinus verba S. Bernardi: *Plenitudo potestatis super universas orbis Ecclesias singulari prærogativâ Apostolicæ Sedi donata est. Qui huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Potest, si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus; potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare. Potest à finibus terræ sublimes quascunque personas Ecclesiasticas evocare ad suam præsentiam non semel aut bis, sed quoties expedire videbit* &c. Laudat S. Thomæ Aquinatis commentarium in hæc verba 1. Cor. 1. *In omni loco ipsorum & nostro*; quæ S. Doctor sic explicat: *Ipsorum, id est, eorum jurisdictioni subjecto. Et nostro, quia per hoc, quòd subjiciantur Episcopo civitatis,*

vitatis, non eximebantur à potestate Apostoli, quinimo magis erant Apostolo subjecti, quàm his, quibus eos subjecerat. Hæc Febronius cum suâ assertione componat, aut dum hoc non potest, doceatur potestatem Rom. Pontificis non esse certo loco circumscriptam; Episcopis autem esse certos fines constitutos; potestatem & rectum potestatis usum secerni oportere.

§. II.

Ad Rom. Pontificem pertinere jus statuendi in materiâ disciplinæ & totam Ecclesiam obligandi defenditur.

1. *In causis disciplinæ æquè ac fidei negat Febronius Pontifici potestatem legislativam.*
2. *Quæ sint causæ disciplinæ.*
3. *Quid per* ejus partes essentiales *Febronius intelligat, non explicat.*
4. *Ad partes ejus essentiales pertinet:* Pasce oves. Qui vos spernit, me spernit &c.
5. *Non verò pertinet, quòd, ut obedire teneantur subditi, Pastores debeant simul & conjunctim præcipere.*
6. *Apostoli auxerunt præcepta disciplinæ; aliqua deaerunt ad tempus.*
7. *Jejunio certos dies non præscripserunt Apostoli in suis epistolis. Varia per mundum ejus fuit observantia.*
8. *Pœnitentiæ publicæ disciplina est mutata. Quid de hac Benedictus XIV. moneat Episcopos.*
9. *Ostendit, quid Episcopi judicare debeant de receptis consuetudinibus.*
10. *Quid ipsemet rescripserit Regi Hispaniæ de abstinentiâ.*
11. *Febronius mentionem facit de corpore disciplinari Ecclesiastico, non indicat, ubi hoc fit.*
12. *Disciplinam pro suâ Ecclesiâ ordinat Episcopus vel solus, vel cum Synodo.*
13. *Puncta disciplinæ ad causas majores spectantia Rom. Pontifici reservantur, ut depositiones Episcoporum.*
14. *Regula disciplinæ:* Non debent absque Rom. Episcopi sententiâ Synodi haberi, aut Ecclesiis decreta sanciri, *laudatur à Sozomeno & Socrate.*
15. *Vindicatur ab Altimura contra schismaticos Græcos.*
16. *Altimura & Natalis probant confirmationem Canonum Trullanorum Justinianum Aug. ursisse apud Sergium I.*
17. *Sergium, duosque Successores constanter Imperatori restitisse.*
18. *Anastasii Bibliothecarii de his Canonibus judicium.*
19. *Febronii paradoxon, Papam non posse abrogare consuetudines particulares, constitutionibus essentialibus non repugnantes, refellitur.*

20. *S. Bonifacius multas consuetudines fecit per summum Pontificem abrogari, quæ Germanis videbantur inviolabiles.*
21. *Verba S. Leonis IX. de varietate consuetudinum innoxiâ admittuntur ab omnibus.*
22. *Usus particularium Ecclesiarum mutari non posse, probat Febronius per varietatem Rituum.*
23. *Febronius citat epistolam S. Basilii, nihil memorantem de liturgiâ.*
24. *S. Basilius dixit:* Ritus nostri omnibus Ecclesiis sunt consoni.
25. *In quo hæc consonantia consistat, & quæ fuerit varietas, ostenditur.*
26. *De Liturgiâ græcâ Ernesti Grabii à Pfaffio editâ, & Gallicanâ antiquâ à Flacco Illyrico editâ judicium Catholicorum.*
27. *Mabillonius distinguit triplicem statum Liturgiæ Romanæ.*
28. *S. Augustino Anglico quid responderit S. Gregorius de diversitate Rituum.*
29. *Quid S. Gregorius M. de suo Sacramentario Græcis responderit.*
30. *Ordo Rom. receptus in Galliâ & Germaniâ sub Pipino & Carolo M.*
31. *Vigilius Papa Ordinem liturgicum misit in Hispaniam.*
32. *Malachias in Hiberniam induxit Ritum Rom. teste S. Bernardo.*
33. *Waleramum instruit S. Anselmus Cantuar. quæ causa sit varietatis Rituum.*
34. *P. Pouget judicium de Rituum diversitate.*
35. *Quid de Ritibus disposuerit S. Synodus Trident.*
36. *Quid præceperit Pius V. de particularium Ecclesiarum Breviariis.*
37. *Concluditur Febronium temerè ordinationes Rituales Pontificum pro attentatis habere.*
38. *Temerè Innocentium I. carpit.*
39. *Impudenter dicit Innocentii I. discursum de origine Ecclesiarum Occidentis laborare fundamento.*
40. *Ex varietate Missæ Ambrosianæ & Gallicanæ malè concludit S. Innocentii intentionem effectu caruisse.*
41. *S. Carolus Borromæus Ritum Ambrosianum conservando non fuit inten. tionem Patrum Concilii Trident. effectu carere.*
42. *Febronius frivolam historiolam recitat ex Chronico Urspergensis.*
43. *Reflexiones ad eam historiolam.*
44. *Quamvis diversitas Rituum sit innoxia, Archiepiscopi quidam Colonienses intenderunt illam diversitatem tollere propter uniformitatem.*
45. *Leges Pontificias non propter proponentis authoritatem, sed intrinsecam æquitatem ab Episcopis acceptari,* docet Febronius.
46. *Improbam hanc thesin audet probare verbis S. Leonis I.*
47. *Hoc textu abusus est Hincmarus, & Dupinius.*
48. *Hoc ostendit Charlasius ex contextu verborum S. Leonis.*
49. *Febronius Dupinium secutus omisit verba sibi non placentia.*

50. *S. Carolo Borrom. mores corruptos reformare volenti continuò objiciebatur defectus æquitatis.*
51. *Communis hæc est querela nolentium obedire Rom. Pontifici.*
52. *Iterum ineptè provocat ad Barthelium, cujus verba impertinentia sunt ad probandam thesin Febronii.*
53. *Etiam citationes Decretalium ad eam probandam impertinentes sunt.*
54. *Si lex sit uni provinciæ damnosa, exponendæ sunt causæ apud Legislatorem.*
55. *Definitiones Conciliorum etiam Generalium Febr. dicit pendere ab acceptatione.*
56. *Malè id probat ex Conc. Trident.*
57. *Malè divortium pro casu adulterii accenset aliis, quæ græcis sunt licita.*
58. *De receptione S. Conc. Trident. in Galliâ.*
59. *Receptio, & publicatio Concilii in Germaniâ, Hispaniâ non obstat legitimæ consuetudini contrariæ.*
60. *Illationes authoris historiæ de recept. Conc. Trident. expenduntur.*
61. *P. Natalis mens de authoritate Conc. Trid.*
62. *Didacus Payva Lusitanus tres Canonum classes discernit.*
63. *Stephani Pasquier Advocati Parisiensis dictum non verum à Febronio malè laudatum.*
64. *Malè iterum provocat Febronius ad S. Ivonem in negotio Coronationis Regiæ.*
65. *Ab Ivone denuo transit ad Hincmarum.*
66. *Febronius mirabili nexu laudat Nicolaum I. sapienter jubentem, & Hincmarum perfectè obedientem.*
67. *Humiliter exponenda est Rom. Pontificis ratio obstans paritioni.*
68. *Febronius dicit tantam in Galliâ esse Rom. Pontificis authoritatem, ut nullibi major.*
69. *Iterum dicit Febronius, quod Rom. PP. fateantur, se subesse Conciliaribus legibus.*
70. *Malè iterum probat verbis S. Zosimi.*
71. *Expenditur Contextus verborum S. Zosimi fideliter non relatorum à Febronio.*
72. *Febronius probat verbis juratæ à Ss. Pontificibus Professionis fidei eos nec legem abrogare, nec dispensare posse.*
73. *Contrarium probatur.*
74. *Febronius pro remedio Ss. Pontifices coërcendi & Ss. Canones contra eos vindicandi proponit potestatem Principum.*
75. *Verbis Petri de Marca extollit ad eum effectum potestatem Regiam, quod judicium idem Archiep. retractavit. Profert exempla Imperatorum.*
76. *Eos Supremos Principes summâ potestate abusos esse, probant historici.*
77. *Febronius malâ fide provocat ad exemplum S. Ludovici IX.*

78. *Ostenditur pragmaticam Sanctionem ejusdem Regis esse supposititiam.*
79. *In quo S. Ludovicus observantiam Ss. Canonum promoverit.*
80. *Abnorme theorema Febronii de differentiâ legum dogmaticarum & disciplinarium.*
81. *Refellitur.*
82. *Manent iidem articuli fidei, sed extenditur materia credendorum.*
83. *Doctrina diu potest esse falsa, antequam sit hæretica.*
84. *Dum Papa propositiones damnavit tanquam erroneas, desinunt esse probabiles.*

I. Quâ præfidentiâ jus condendi leges in caufis fidei univerfam Ecclefiam obligantes Febronius negavit Rom. Pontifici, eâdem negat Papam habere poteftatem obligandi totam Ecclefiam in materiâ difciplinæ.

II. Ad difciplinam conftat ea pertinere, quibus dictatur, quid faciendum, fugiendúmve fit Chriftianis tam his, qui conftituti funt regere Ecclefiam tanquam Paftores & Præpofiti animarum, quàm illis, qui eos audire, & eorum præceptis obedire jubentur.

III. Partes effentiales difciplinæ dicit Febronius à Chrifto effe inftitutas; quæ autem fint partes difciplinæ effentiales, Febronius non definiit.

IV. Si quid verò effentiale dicendum eft, certè illud hoc nomine intelligi debet, quod Chriftus fignificavit per verba: *Pafce oves. Qui vos fpernit, me fpernit. Qui vos audit, me audit.* Dum uni committitur pafcendi officium, his, qui pafcuntur, eodem præcepto mandatur, ut paftioni fpirituali non obfiftant, fed tanquam oves audiant vocem Paftoris.

V. Certè hoc effentialis pars difciplinæ ex Chrifti ordinatione non eft, quòd, ut ad audiendum obligentur, & culpam, quæ fpernendo contrahitur, à fe demoveant fideles, debeant hi, quorum vox paftoralis audienda eft, conjunctim præcipere, nec aliàs cum culpâ non excufabili fperni poffint, nifi dum Paftores conjunctim loquuntur. Petrus & cum aliis & fine aliis fidem docuit: *Elegit Dominus*, inquit, *per os meum audire gentes Evangelium & credere.* Etiam ad difciplinam Ecclefiafticam fpectantia feorfim docuit, quod Acta Apoftolorum & ejus epiftolæ oftendunt.

VI. Per Apoftolos aucta funt præcepta difciplinæ; quædam data funt in morem tempori accommodum, & illi *populo acquifitionis* ex Judæis & gentibus collecto congruum, fæculis fecuturis authoritate legitimâ variandum. Agapas Apoftoli induxerunt, & ipfi fuftulerunt. Quædam judaicæ legis præcepta fuo tempore toleranda cenfuerunt, quæ non diu poft cœperunt effe, ut Theologi loquuntur, mortifera. A fanguine & fuffocato abftinere debebant fideles primorum temporum, quia legitima authoritas hoc cibo illis interdixerat. Nos jam his vefcimur finè piaculo

VII.

VII. Quanquam jejunium nobis per Evangelium commendetur, certis tamen diebus & communi formæ alligata non est hujus particularis præcepti observantia. Testatur Socrates sæculi V. scriptor Alexandrinos & Romanos vetustam quandam traditionem secutos id facere detrectare, quod omnes ubique terrarum Ecclesiæ per singulas hebdomadas die Sabbathi faciebant. Jejunabatur Romæ & Alexandriæ, cúmque morem jam suâ ætate fuisse Romæ observatum Hieronymus & Augustinus testati sunt.

VIII. Pœnitentiæ publicæ antiquam disciplinam canones pœnitentiales ostendunt; sed de his inquit Benedictus XIV. *Si Episcopus in suâ Synodo antiquos Canones illos suis constitutionibus innecteret animo inducendi confessarios ad pœnitentias imponendas, quæ in illis præscriptæ sunt, rem planè impossibilem tentaret hâc nostrâ lutulentâ ætate, quâ fideles à pristino morum nitore & sanctitate defecerunt.* Docet prudenter agere Episcopum, ut pristina disciplina, quam præfocavit abusus, reviviscat; sed imprudenter agere eum, qui mores tentat ex rationabili causâ obsoletos inducere, præcipuè si mutatio fieri potuit sinè dispendio Ecclesiæ & purioris ethices jacturâ. Bened. X de Syn. L. 11. c. 11.

IX. Docet consuetudines justis de causis approbatas aut toleratas non esse facilè mutandas, nec præpropero decreto præcidendas. Ostendit in toto eo libro doctissimus Pontifex Episcopos Sedem Apostolicam consuluisse, & judicio Rom. Pontificis fuisse dijudicatum, an consuetudo sit, vel non sit abroganda, ne abusus & corruptelæ pro judicandi & agendi normâ accipiantur.

X. Se ipsum dicit à Rege Hispaniæ Philippo V. super consuetudine Hispanorum de jejunio Sabbathino fuisse consultum, & literis in formâ Brevis 22. Jan. anno. 1745. expeditis Apostolicâ authoritate indulsisse, ut in regnis Castellæ, Legionis atque Indiarum per dies Sabbathi, exceptâ Quadragesimâ & diebus, quibus aliud jejunium præcipitur, fideles carnibus vescantur.

XI. Quale, & ubi sit illud *corpus disciplinare Ecclesiasticum, in quod redacta sint, quæ in Conciliis tum generalibus, tum particularibus de disciplinâ Ecclesiæ constituta sunt*, Febronius non indicat. Si quidquid pro normâ disciplinæ & regulâ agendorum præscriptum est per Concilia generalia & particularia, per constitutiones Pontificias, & libros pastorales diœcesanos, per Ritualia & Statuta de moribus reformandis, abusibus corrigendis, in unum corpus congesta sunt ex Collectionibus Conciliorum, Bullariis & Agendis, non parvæ molis hoc esse necesse est. Sed erit (opinor) inter ideas Febronianas.

Ea, quæ ad particularis Diœcesis gubernationem spectant (ait Benedictus XIV.) prudentiæ Episcopi relinquuntur, seu solus ordinet, ut potest, seu cum Synodo.

XII. *Cùm hodie* (inquit Benedictus XIV.) *in Synodis causæ fidei particulares non tractentur, sed solùm condantur decreta disciplinam respicientia, sta-* L. 13. C. 3.

tim possunt constitutiones ab Episcopis publicari, quæ in diœcesanis Synodis editæ sunt, quin ullâ obstringantur obligatione illas ad S. Congregationem Concilii transmittendi, ejusque judicium exspectandi: siquidem si jus commune spectemus, liberam habet Episcopus facultatem ferendi & promulgandi leges, quas opportunas duxerit ad rectam suæ diœcesis administrationem independenter ab ullâ superioris confirmatione; falli Cardinalem de Luca & Espen asserentes robore & efficaciâ carere Synodos diœcesanas, nisi à prædictâ S. Congregatione approbentur; de provincialibus autem Synodis statuisse Sixtum V. quòd ad dictam S. Congregationem transmitti debeant, & hoc, si de fidei causis tractetur, necessarium esse ostendit, *ut infallibilem authoritatem Apostolicâ confirmatione accipiant.*

XIII. Quæcunque autem ad eam disciplinæ Ecclesiasticæ partem referuntur, quæ causis majoribus accensetur, Rom. Pontificis judicio reservantur. Talis erat causa Flaviani, quæ dum judicanda erat *per authoritatem Leonis æternæ urbis Episcopi*, ùt Marcianus & Valentinus Augg. loquuntur, iniquè judicata fuit per prædatoriam Synodum Ephesinam. Ideo Synodus Antiochena, in quâ S. Athanasius & Paulus depositi sunt, à Julio Pontifice est meritò reprobata.

XIV. Antiqua est regula disciplinæ Ecclesiasticæ à Socrate & Sozomeno laudata: *Non debent absque Rom. Episcopi sententiâ Synodi haberi, aut Ecclesiis decreta sanciri.*

Mich. Le Quien. panop. contr. criminat. Nectarii Patriarchæ. XV. Ostendit doctissimus Stephanus de Altimura, seu P. Le Quien Dominicanus perperam à schismaticis Græcis opponi, canonem à dictis historicis allegatum esse fictitium, cùm Theodoretus idem ante eos testatus sit, *Julium Ecclesiæ legem secutum Romam evocâsse divinum Athanasium*, & Episcopos eidem adversos, & quòd ipse Julius ad Orientales Athanasii hostes scripserit: *An ignoratis consuetudinem hanc fuisse, ut nobis priùs scriberetur?*

Nat. Alex. sæc. VII. & Diss. 3. XVI. Ostendunt laudatus Altimura & Natalis Alexander, quantis studiis Justinianus Imperator egerit apud Sergium I. ut Canones Trullanos suâ autoritate Apostolicâ confirmaret, sed ita restitisse Sergium, ut eos tanquam invalidos abjecerit, eligens *ante mori, quàm novitatum erroribus consentire*, indignum reputans *R*omanæ, totiúsque Ecclesiæ Occidentalis mores, vererémque disciplinam novis statutis convelli.

XVII. Idem postea Justinianum à Joanne VII. qui Sergio successit, rogâsse, ac deinde à Constantino Joannis Successore, sed à nemine eorum seu prece, seu minis & carceris terrore subscriptionem obtinuisse.

Anast. Bibliot. in præf. ad Syn. VIII. XVIII. De his Canonibus inquit Anastasius Bibliothecarius: *Quemadmodum Canonibus, qui Apostolici dicuntur, 50. priores Ecclesia Rom. recipit, nec alias Conciliorum constitutiones admittit, nisi quæ nec rectæ fidei nec probis moribus obsistunt, nec Sedis Romanæ decretis resultant; sic regulas, quas Græci à Synodo VI. perhibent editas, principalis Sedes admittit, ut nullatenus*

ex

ex his illæ recipiantur, quæ prioribus canonibus, vel decretis Sanctorum hujus Sedis Pontificum, vel certè bonis moribus inveniuntur adversæ. Aliud certè consilium Febronius cum Nectario Patriarchâ Justiniano Aug. suggessisset.

XIX. De singularibus particularium Ecclesiarum usibus ita statuit Febronius, eos *laudabiles utique, & inviolabiles, dummodo communibus & Ecclesiarum constitutionibus essentialibus non repugnent, abrogare non creditur esse in potestate summi Pontificis.* Cùm sic ferat humana conditio, ut id, cui assuevimus, facilè credamus esse laudabile, præsertim si commodum afferat, aut libertati faveat; & difficile sit imperitæ multitudini ostendere, quòd *essentialibus constitutionibus* aliqua particularis consuetudo superstitiosa penitùs repugnet, quis Catholicorum judicare audeat Episcopum de eâ consuetudine corrigendâ minimè solicitum, authoritate summi Pontificis adstringi posse, ut consuetudinem à S. Sede damnatam aboleat, & populum arguendo, monendo ad saniora compellat?

XX. Multas pravas consuetudines in Germaniâ & vicinis Galliæ provinciis vigere observabat S. Bonifacius Moguntinus. Ipse eas censebat non *laudabiles*, non *inviolabiles*, *essentialibus* etiam *constitutionibus repugnantes*, obstabant Episcopi nationum, & Clerici & Laici suis moribus assuefacti zelo Bonifacii renitebantur. Ut certiùs ac securiùs, quid mutandum, abrogandúmve sit, cognosceret, ipse morem antiquum secutus Gregorium II. consuluit, acceptóque super singulis responso audacter opus Domini aggressus est; & dum ipse summo Pontifici obedivit docendo, abrogatis abusibus fecit Episcopos, subditósque populos inflectere ad sanctam docilitatem, & Ecclesias Germaniæ ac Franciæ ad melioris disciplinæ formam composuit. Si verò supponatur manifestum esse Viris sanctis & doctis, quòd usus sit *utique laudabilis & inviolabilis & communibus ac essentialibus Ecclesiæ constitutionibus omnino conveniat*, etiam Romæ non violabitur; ipsemet Rom. Pontifex credet, huic usui derogandum non esse.

XXI. Verba Leonis IX. verissima sunt à tempore Apostolorum usque ad consummationem sæculi. Quis enim dicat saluti credentium obstare illam varietatem Rituum, quam in monasticis Ordinibus, in provinciis diversis ejusdem nationis nostræ observamus in ritualibus, seu libris pastoralibus, ut nihil dicam de varietate illa, quam inter Græcos & Latinos esse constat, & quam unioni Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ non obstare, S. Synodus Florentina sapientissimè declaravit. Prout cuique particulari Ecclesiæ post diligens, accuratúmque examen visum est in Domino expedire, privatis constitutionibus diversi constituti sunt quidam ritus ad Sacramentorum administrationem spectantes, intaminatâ Religionis unitate & concordiâ Ministrorum eandem fidem profitentium, & eidem supremo capiti in terris constituto fideliter obedientium.

XXII. Thesin, quâ Febronius asserit *Papam ne singularibus quidem usibus Ecclesiarum particularium derogare posse, & quidquid aliquando Sedes Apostolica statuerit in materiâ disciplinæ*, id non ad novam obligationem fidelibus imponendam, sed ad urgendam *observantiam legum communiter receptarum tantùm pertinere*, adeò ut contra Canones disciplinares universali observantiâ receptos, usúque stabilitos *nunquam aliquid directè attentaverint Rom. Pontifices*, dicit *rem certam & omnibus notam*; hanc existimatam asserti hujus evidentiam ostendere nititur in solâ varietate disciplinæ liturgicæ. Neocæsareensibus in Ponto liturgiam fuisse propriam, diversam ab eâ, quam S. Joannes Chrysost. Ecclesiæ suæ Cpolitanæ præfixit, Ambrosianam à Romanâ differre, neque Romanis in re liturgicâ se conformâsse Africanos.

XXIII. Clericos Neocæsareenses acri epistolâ à Febronio citatâ perstringit Basilius, quòd sophismata & paralogismos contexere ausi sint, quæ ne ad verisimilem quidem probationem deduci valeant. *Si causa*, inquit, *illius belli, quod concordi contra nos odio suscitârunt, rogetur, psalmos causantur, & modum melodiæ, quod vetus canendi consuetudo mutata sit. Contra hoc habeo, quod dicam, quòd ritus nostri omnibus Ecclesiis Dei sint concordes & consoni. Ideo si nos*, inquit, *fugitis, fugietis simul Ægyptios, fugietis Lybiam utramque, Thebæos, Palæstinos, Arabes, Phœnicios, Syros, & qui ad Euphratem habitant, & omnino omnes, apud quos vigiliæ ac preces, psalmodiæque in pretio sunt. Dicitis: temporè Magni Gregorii* (Neocæsareensis) *hæc non erant. Quibus testimoniis hoc evincere poteritis?* Objectis variis eorum Clericorum criminibus inquit: *Videte ne culicem excoletis, dum in psalmodiis de sonitu vocis disceptantes, quæ maxima sunt præceptorum Dei, dissolvitis. Ad hæc me verba defensionis adegit necessitas, ut discatis primùm trabem ex oculis ejicere, & tum demum stipulas evellere alienas. Veruntamen omnia condonamus, licèt nihil sit extra divinam examinationem. Duntaxat, quæ principalia sunt, salva sint; novationes circa fidem compescatis. Gregorii voces sinistrè non interpretemini. Si secus egeritis, donec spirandi, loquendique facultas erit, silere non poterimus.* Ex his Febroni intelliges in eâ epistolâ 63. S. Basilium de Liturgiâ non loqui.

XXIV. Si autem curiosiùs inquiratur, quæ fuerit illa varietas liturgiæ, quam in missâ S. Basilii & missâ Chrysostomi editores Operum utriusque S. Patris nobis exhibent, facilè intelligimus verè dixisse Basilium: *Ritus nostri omnibus Ecclesiis Dei sunt concordes & consoni.*

XXV. Verba Christi operatoria iisdem verbis uterque recitat; uterque præmittit trisagion, uterque subjungit usitatam Græcis ἐπίκλησιν, seu invocationem Spiritûs S. de quâ in Concilio Florent. fuit disputatum, & quam Græcis permittendam esse cum majori Patrum Latinorum parte judicavit Eugenius. Ritus accessorios ùt Oriens, ita Occidens varios habuit, sed, ùt doctissimus Mabillonius observavit, hæc omnibus communia erant: *Lectiones*

Mabill. Liturg. Gall. L. 1. C. 2.

nes Ss. Scripturarum, Psalmorum, aliorumque canticorum recitatio, oblatio panis & vini aquâ mixti, consecratio verbis Christi Domini cum benedictione ac signo crucis, oratio dominica, sacra communio cum gratiarum actione. Designatio certarum ex Scripturâ lectionum, Psalmorum, aliarúmque precum numerus & definitio, ministrorum actiones distinctæ ab his, quæ ex institutione divinâ sunt, dicit, *pro locis ac temporibus varia fuerunt, atque hoc sensu, non obstante illâ varietate, dixerunt antiqui Ecclesiæ Doctores, ordinem Missæ à S. Petro esse constitutum, ejúsque celebrationem uno eodémque modo universum orbem peragere; quanquam si orationes attendantur, multum discriminis in Liturgiis græcis & latinis observetur.* At verò & hoc ipsis etiam orationibus commune est, quòd ex iisdem fidelium consensionem de invocatione Sanctorum, de curâ pro mortuis agendâ, de offerendis precibus pro salute Principum & omni populo, de pace Ecclesiæ in omni loco & tempore constantissimam fuisse intelligamus.

XXVI. Quæ omnia in ipsâ etiam Liturgiâ græcâ Ernesti Grabii à Christop. Mat. Pfaffio editâ, & Hagæ-Comitum an. 1715. cum ejusdem observationibus impressâ exhibentur. Idem de Missâ antiquâ Gallicanâ (quam M. Flaccus Illyricus edidit, ut Missam Catholicorum quasi novam eâ editione criminaretur) non Catholici tantùm, sed & Lutherani observârunt.

XXVII. Mabillonius triplicem Rom. Liturgiæ statum distinguit. Unum primigenium ab Ecclesiæ nascentis exordio ad Gelasium usque, alterum Gelasianum, tertium Gregorii M. quem dicit usu communi apud omnes ferè Ecclesias receptum, & hunc nomine Liturgiæ Rom. jam intelligi. Ostendit, in quo Mediolanensis seu Ambrosiana, & Hispanica (quam Mozarabicam vocant ob Arabum & Hispanorum permistionem) & Gallicana discrepent à Romanâ.

XXVIII. Ad S. Gregorium M. scribebat Augustinus Britannicus: *Cur cùm una sit fides, Ecclesiarum consuetudines sunt tam diversæ? Et altera consuetudo Missarum est in Rom. Ecclesiâ, atque altera in Galliarum Ecclesiis tenetur?* Respondit Gregorius: *Mihi placet, ut sive in Romanâ sive in Galliarum, sive in qualibet Ecclesiâ aliquid invenisti, quod plùs omnipotenti Deo possit placere, solicitè eligas, & in Anglorum Ecclesiâ, quæ adhuc in fide nova est, infundas. Ex singulis ergo quibúsque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige, & hæc apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.*

XXIX. Cùm Græci se Sacramentario Gregorii opponerent, respondit Gregorius, se consuetudines incongruas amputâsse, eas autem conservare, quibus antiqua consuetudo Ecclesiæ Rom. non resistit. Si quid tamen vel ipsa Ecclesia Cpolitana vel altera Ecclesia boni habet, dicit se imitari paratum.

XXX. Ordinem Romanum in Galliâ, sicut & in Germaniâ tempore Caroli M. recipi fecit Principum religio. Pipinus delectos juvenes Romam misit, ut cantum Romanum addiscerent. Carolus M. librum Liturgiæ Gre- *Menil. ad. an. 490.*

 goria-

gorianæ ab Adriano Pontifice petiit, & impetravit, ac edicto sancivit, *ut quisque Presbyter Missam ordine Romano celebraret.*

XXXI. Rom. Ritum à Vigilio Pontifice ad provinciam Bracarensem fuisse missum, ostendit Mabillonius ex Concilio II. Bracarensi, quod Gregorii M. ætatem antecessit: *Ipsius canonicæ precis textum*, inquit Vigilius, *direximus, quem Deo propitio ex Apostolicâ traditione accepimus.*

XXXII. S. Malachiam in Hiberniâ *barbaras consuetudines Romanis mutâsse, & canonicum divinæ laudis officium in Britannicas Ecclesias invexisse*, testis est S. Bernardus. Ejus verba cap. 3. hæc sunt: *Quidquid incompositum, quidquid indecorum, quidquid distortum obvium habuisset, non parcebat oculus ejus; nitebatur totum pro viribus conturbare ac delere de populo suo. Apostolicas sanctiones ac decreta Ss. Patrum, præcipuè quæ consuetudinis S. Rom. Ecclesiæ, cunctis Ecclesiis statuebat. Hinc est, quòd hodieque in illis ad horas canonicas cantatur & psallitur juxta morem universæ terræ; nam minimè id antè fiebat.* Et cap. 8. *Fiunt de medio barbaricæ leges, Romanæ introducuntur, recipiuntur ubique Ecclesiasticæ consuetudines, contrariæ rejiciuntur.*

S. Bern. de vit. Mal. c. 3. & 8.

XXXIII. Walerannus Episcopus Neuburgensis S. Anselmo Cantuariensi conqueritur de varietate rituum in Ecclesiâ his verbis: *Diu non potest stare, quod partium in se grassatur dissensione. De Sacramentis Ecclesiæ aliud sentit Palæstina, aliud Armenia, aliud nostra Germania, & aliud tripartita Gallia. Dominici corporis mysterium aliter Romana, aliter Gallicana Ecclesia, ac diversissimè tractat nostra Germania. Ex antiquis Patribus ordinem habemus sacrificandi; valde admiror, unde hæc novitas surrepserit in domo Domini.* Respondit Anselmus: *Utique si per universam Ecclesiam uno modo & concorditer Sacramenta Ecclesiæ celebrarentur, bonum esset & laudabile; quoniam tamen multæ sunt diversitates, quæ non in substantiâ Sacramenti, neque in virtute ejus, aut fide discordant, neque omnes in unam consuetudinem colligi possunt, æstimo eas potiùs in pace concorditer tolerandas, quàm discorditer cum scandalo damnandas. Habemus à Ss. Patribus, quod si unitas servatur charitatis in fide Catholicâ, nihil officit consuetudo diversa.* Illam varietatem dicit *humanorum sensuum diversitate natam esse; quod unus*, inquit, *aptius judicat, sæpè alius minùs aptum æstimat, neque in his non consonare puto à veritate exorbitare.* S. Irenæus jam olim idem de hâc varietate sensit. *Etsi*, inquit, *in mundo loquelæ dissimiles sint, sed tamen virtus traditionis una eadem est; & neque hæ, quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ, aliter credunt, aliter tradunt; neque hæ, quæ in Iberis sunt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente.*

S. Ansel. p. 1. de Sacr. divers. ad Waler.

XXXIV. Doctissimus Author Institut. Cathol. P. Pouget Presbyter Oratorii & Doctor Parisiensis Ss. Patrum & Doctorum authoritate ostendit rituum diversitatem ex diversis populorum moribus, ex diversis eorum, qui Ecclesias fundarunt, placitis ortam propter bonum pacis, imò etiam propter

Pouget Part. 3. sect. 2. c. 6. §. 5.

Eccle-

Ecclesiam, quæ hâc varietate magis decoratur, ferendam esse, sine delectu pro antiquis ritibus semper esse pugnandum, neque semper mutationes esse inducendas; alicubi prudenter quædam retineri, quæ alibi prudenter abolentur.

XXXV. Cùm Patres S. Concilii Tridentini observâssent, divini officii formam, piè olim ac sapienter à Gelasio & Gregorio I. constitutam, diuturnitate temporis ab antiquâ institutione deflexisse, totam rem instante conclusione Concilii ad authoritatem judiciúmque Rom. Pontificis retulerunt.

XXXVI. Quæ autem cura à S. Sede adhibita fuerit, Pii V. constitutio copiosè memorat. Ecclesiis illis, quæ à ducentis annis alia Breviaria propria habuerant, *inveteratum jus dicendi & psallendi suum officium*, inquit, *non adimimus, omnes verò alias quascunque Apostolicas permissiones ac consuetudines & statuta, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel aliâ firmitate munita, & licentias omnino revocamus; volumúsque illa omnia vim & effectum de cætero non habere.* Solicitè provisum fuit à Clemente VIII. & Urbano VIII. eorúmque in S. Sede Apostolicâ Successoribus, ut ubicunque terrarum Missalia & Breviaria juxta Ritum S. Rom. Ecclesiæ imprimerentur, exemplo in typographiâ Vaticanâ impresso accuratissimè conformarentur.

XXXVII. Ex his Febronius intelligat, hanc disciplinæ Ecclesiasticæ partem ita ad Rom. Pontificis cognitionem pertinere, ut, quæ hâc in re toti Ecclesiæ præscripserunt, nefas sit attentatis adscribere. Patribus Trident. & Pontificibus postremorum sæculorum Febronius iterum opponet, quòd Isidoricis decretalibus delusi hanc Sedi Apostolicæ authoritatem imprudenter arrogaverint.

XXXVIII. At verò his cur Innocentium I. adnumerat? Quòd prætenderit Occidentales Ecclesias Rom. ritui subjicere. Eadem ipsa ad Decentium Eugubinum Episcopum epistola ostendit, justâ indignatione S. Pontificem contra multorum Episcoporum audaciam commotum fuisse. *Si*, inquit, *instituta Ecclesiastica, ut sunt ab Apostolis tradita, integra vellent servare Domini Sacerdotes, nulla diversitas in ipsis ordinibus & consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque, non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc æstimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel Ecclesiis teneri aut celebrari videntur, ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas, humanâ præsumptione putant sibi aut Ecclesias non convenire, aut ab Apostolis vel Apostolicis viris contrarietatem inductam. Quis enim nesciat, aut non advertat id, quod à Principe Apostolorum Petro Rom. Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod aut authoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? Præsertim cùm sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulásque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus*

Successores constituerunt Sacerdotes. Aut legant, si in iis provinciis alius Apostolorum invenitur, aut legitur docuisse. Quòd si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Rom. custodit, à quâ eos principium accepisse non est dubium; ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. Innocentius I. scribit Episcopo Eugubino, scandalum fieri populis, dum unusquisque, quod, sibi visum fuerit hoc æstimat esse tenendum. Dicit esse manifestum, quòd in Italiâ, aliisque partibus Occidentis nullus instituerit Ecclesias, nisi ii, quos Petrus Apostolus, aut ejus Successores constituerunt Sacerdotes, & nusquam inveniri aliquem alium posse, qui Ecclesias instituerit in Occidente.

XXXIX. Febronius hæc verba omittit, & audacter pronuntiat: *Hic discursus Innocentii I. laborat fundamento*, cùm verosimile non sit, alium Apostolum, præter Petrum, toto Occidente Evangelium non prædicâsse, aut instituisse Ecclesias. Cur huic Innocentii postulato non satisfacit monstrando alios Ecclesiarum fundatores in Galliâ, Germaniâ, Angliâ, Hispaniâ, quàm eos, qui Missi S. Petri vocati sunt, & ab Ecclesiâ Romanâ ablegati earum gentium Apostoli meruerunt appellari? Non dixit Innocentius, Petrum omnes Ecclesias totius Occidentis instituisse, sed primos earum Ecclesiarum authores seu fundatores à venerabili Petro Apostolo, aut ab ejus Successoribus Sacerdotes fuisse constitutos. Noti sunt singulis harum nationum Ecclesiis primi præcones Evangelii, imò ipse Febronius Ecclesiam Rom. dixit matrem & magistram Ecclesiarum Occidentis ideo olim appellatam, ideo Rom. Pontificem totius Occidentis dictum esse Patriarcham. Religionis fontem & originem manâsse in Gallias ab Ecclesiâ Rom. profitentur Episcopi Gallicani in Epistolâ ad Leonem I. Germania sibi fidem primo annuntiatam à Missis Apostolicæ Sedis, postea in sæculo VII. restitutam ac propagatam profitetur. Romam tanquam ad fontem Belgæ conversionis initia referunt. Superfluum est de aliis memorare, cùm id, quod Innocentius postulavit, (dum jussit assignari alios Ecclesiarum institutores) sufficiat, ut ostendatur ejus discursum non laborare fundamento, & falsum, suspectumve non esse, quod de Occidentalibus Ecclesiis asseruit.

XL. Illud etiam ratiocinium Febronii ferendum non est, quod ita instaurat: Irrefragabiliter evincunt Missa Ambrosiana, Mozorabica & Gallicana, quòd effectu caruerit intentio Papæ Innocentii. Innocentii eò ferebatur intentio, ut scandala, quæ tunc, dum Ecclesiæ præerat, per nimiam quoslibet ritus inducendi audaciam causabantur, aboleret. At verò nec scandalum induxit Ambrosius, nec Ss. Leander, Isidorus, & pòst Ildefonsus ac Julianus Mozorabicæ Liturgiæ concinnatores. Neque sancti Galliarum Episcopi Hilarius Pictavorum, Gregorius Turonensis, quibus Liturgiæ Gallicanæ forma tribuitur. Nihil in his deprehenditur simile iis, quæ S. Cyprianus *lib. de unitate* reprehendebat, dum de schismaticis inquit: *contemptis Episcopis*

copis, & Dei Sacerdotibus derelictis constituere audent aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, & dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia profanare."

XLI. Sanctissimus Mediolanensium Antistes Card. Borromæus, unitatis Ecclesiasticæ studiosissimus, ritum Ambrosianum post Concilium Trid. constantissimè conservavit, non refragante S. Sede Apostolicâ; uniformem in totâ provinciâ ritum esse voluit, neque sustinuit pro arbitrio ritus Romanos & Ambrosianos commisceri. Solicitè autem cavit, ne quid indecori à quopiam in sacris functionibus liturgicis committeretur, quod præcipuè Patres Tridentini cavendum decreverant. *Conc. Trid. de. cr. de celeb. Miss.*

XLII. Disquisitionem de re liturgicâ claudit Febronius quâdam historiolâ, quam ex Chronico Conradi Urspergensis, *tanquam*, ùt inquit, *memoratu dignam* produxit. Narrat Urspergensis quemdam Hunibertum Archiepiscopi Moguntini Luitboldi Diaconum in solenni Officio, quod coram S. Leone IX. Wormatiæ tunc Præsul Mogunt. peragebat, petulanter obstitisse Pontifici, cùm eundem decantatione Lectionis, quòd Romano more non ageretur, interdixisset, spreto jussu cantum ad finem usque produxisse, finitâque lectione accersitum à gradu sui ordinis à Pontifice esse dejectum; patienter tacendo sustinuisse Luitboldum: perlecto autem Evangelio repentè irâ commotum dixisse Pontifici, nec à se, nec ab alio complendum eâ die officium, nisi ministrum reciperet. Papam cessisse Archiepiscopo, statimque Præsulem divina perfecisse.

XIII. Quid hîc dignum memoratu, nisi quod plurimis insignium virtutum exemplis etiam hanc humilitatem addiderit non dignitate tantùm, sed & vitâ verè sanctissimus Pontifex, dum, ut Ecclesiam petulanti audaciâ Huniberti inter Missarum solennia turbatam tranquillitati redderet, animùmque Præsulis repentinâ mentis turbatione abreptum ad Liturgiam perficiendam flecteret, eum imitabatur, qui in terris se fecit mansuetudinis exemplum, se ipsum tanquam hostiam pacificam à Sacerdotibus offerri docuit. Placuit utique Febronio, quòd Urspergensis Pontificis Moguntini authoritatem laudaverit, & hoc de S. Leone judicium tulerit, perpendisse Leonem, quòd, quanquam majoris dignitatis esset, cedere debeat Metropolitano in suâ Diœcesi. Certè non Romæ tantùm, sed & in Germaniâ, & Galliâ aliud de Leonis IX. autoritate judicium fecerunt Præsules & Principes, quod luculenter Acta Concilii Remensis, & contra Simoniacos Episcopos, aliósque declaratæ pœnæ ostenderunt. Quin & ipsemet Archiepiscopus Mogunt. Huniberti absolutionem urgendo jurisdictionem Papalem à S. Leone in Wormatiensi Ecclesiâ exercitam effectu canonico non carere agnoscebat, ùt rectè observavit Thomassinus: *Non dissimulabat*, inquit, *potuisse præsente se & spectatore in suâ propriâ Ecclesiâ Diaconum suum à Papâ exautorari, nec posse vel ita exautoratum restitui, nisi ab ipso Papâ.* *Thomass. p. 1. l. 2. c. 6.*

XLIV. Hæc de ritibus liturgicis certa sunt, nullâ Ecclesiasticâ lege seu Concilii generalis, seu Romani Pontificis damnari illam varietatem, quæ nunc in Ecclesiis Germaniæ obtinet; sæpè tamen pios Præsules earum etiam Ecclesiarum, in quibus juxta Pii V. constitutionem supra propositam peculiaris ritus licitè conservatur, non optâsse tantùm communem totius Ecclesiæ uniformitatem, sed & seriò de Ritu Romano, qualis nunc est, in hanc provinciam inducendo cogitâsse, quod de Archiepiscopis nostris Ferdinando & Maximiliano Henrico Coloniensibus notum est. Ratio illa est, quam expressit Concilium Agathense: *Quia convenit ordinem Ecclesiæ ab omnibus æqualiter custodiri.*

Conc. Agat. de 506. can. 30.

XLV. Iterum Febronius suo jam aliàs explicato temperamento restrictam potestatem leges condendi proponit. Ad Primatum Pontificium dicit pertinere facultatem proponendi universali Ecclesiæ eas leges, quas postulat communis necessitas aut utilitas. Has non propter proponentis authoritatem, sed propter intrinsecam earum, quas proposuerit, æquitatem dicit ab Episcopis tunc acceptari, quando ipsimet eas judicaverint aptas ad promovendam Religionem & disciplinam, simul etiam statui politico regni vel imperii esse congruas.

XLVI. Hoc ipsum aliâ jam probatione non fulcitur, quàm authoritate S. Leonis I. qui dixit: *Manet Petri privilegium, ubi ex ipsius æquitate fertur judicium.* Hæc verba ut eo sensu, quem Febronius voluit, intelligantur, ad Archiepiscopi Petri de Marca explicationem provocat, quem inquit, latiùs & egregiè de his disserere. Proponit is verba, quæ scripsit Carolus Calvus Hadriano II. Pontifici: *Jubete & judicate privilegio Magni Petri juxta æquitatis ejus judicium, quæ judicanda & jubenda sunt, ne, ut dicit ejus Coapostolus, vituperetur ministerium vestrum; quia nos secundùm regium ministerium nostrum cupimus servare, quod scriptum est:* Filii obedite parentibus vestris in Domino, *videlicet quòd fuerit justum vel judicatum à Domino.*

Pet. de Mar. de S. & J. l. 4. c. 6. n. 3.

XLVII. Ex his verbis inferebat Hincmarus Remensis, non recipiendum esse judicium, quod non ex æquitate Petri fuerit prolatum, ac per hoc ipsius privilegio fuerit destitutum. Thomassinus dicit, Carolum Regem significâsse, quòd Apostolicæ Sedis judicia, quæ per obreptionem Canones infringunt, servanda non sint. Eidem S. Leonis sententiæ innititur Dupinius ad suam de Primatu Pontificio ideam fulciendam, cui ita respondet Charlasius: *Egregium est illud S. Leonis dictum sed eo mirum in modum abutuntur hi, qui specie æquitatis S. Petri se arbitros Pontificiæ potestatis constituunt, ejus jura, decreta & præcepta sibi minùs placentia tanquam B. Petri æquitati contraria respuunt. Quamvis*, inquit, *verum sit Petri, ejusque Successorum, atque omnium Prælatorum sententias æquitate niti debere, idque pro certo habuerit summus Pontifex; non hunc tamen* dicit *fuisse scopum S. Leonis in toto illo sermone, sed hunc, ut Petri authoritas commendetur, & tota potestas Ec-*

clesia-

clesiastica in solo Petro conclusa intelligatur. In populo Dei, *inquit S. Leo*, multi Sacerdotes sunt, multique pastores, omnes tamen propriè regit Petrus, quos principaliter regit & Christus. Magnum & mirabile dilectissimi huic viro consortium potentiæ suæ tribuit divina dignatio, & si quid cum eo commune cæteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit. Transivit quidem etiam in alios Apostolos jus potestatis illius, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti hujus constitutio commeavit. *Paucis interjectis concludit S. Leo:* Manet ergo Petri Privilegium &c.

XLIX. Dupini, Febronii œconomia exigebat, ut resectis aliis hæc sola Leonis verba exhiberentur, ex quibus talis de Primatu idea formaretur, quæ liberrimum & à Rom. Pontifice penitùs independens judicium Episcopis singulis relinquat. Quicunque immorigeri & cervicosi sanctis etiam & justis Episcoporum decretis obluctantur, his hoc solenne est, ut mandatorum disciplinam severiorem præcipientium regulis defectum æquitatis opponant.

L. Ex innumeris historiæ Ecclesiasticæ documentis sufficiat oppositio tumultuaria, quâ S. Carolo Borromæo, dum reformationi disciplinæ intendebat, se opposuère non hi tantùm, qui tunc Mediolani pro Rege Hispaniarum rem politicam moderabantur, sed & Ecclesiastici ac Regulares, quorum omnium concors erat ea vox, contra æquitatem & prudentiam ab Antistite omnia innovari, turbari pacem publicam, bonum Religionis non promoveri, sed pace turbatâ pessundari, etiam juri regio, ejusque authoritati manifesta præjudicia inferri. *Godeau la vie de S. Charles Borr. liv. 1.*

LI. Ita Episcopos non paucos pertinaciter sanctissimis decretis Rom. Pontificum accuratioris disciplinæ præcepta præscribentium obstitisse, & æquitatis defectum incusâsse ostendunt historici. Quædam ejus exempla ex S. Gregorii M. Biographo, ejusdémque S. Pontificis epistolis jam adducta sunt, & ostensa est intrepida tum ejusdem S. Gregorii, tum Julii I. & Leonis magnanimitas, & constantissima horum imitatio, quâ in Ecclesiâ Dei S. Gregorius VII. inclaruit.

LII. Ad Barthelium Academiæ Wirceburgensis Procancellarium denuo incongruè provocat Febronius. Constitutiones Pontificias illas, quarum fidei vel morum materia objectum est, dicit Barthelius suam authoritatem habere, utique illam, quæ Primatum jurisdictionis indicat; si verò, inquit, earum objectum sit *ærarium, fiscus, camera*, tolerari potiùs, quàm approbari. *Sicut*, inquit, *& in sæcularibus Principibus multa tolerantur, quin propterea majestas & vis potestativa destruenda sit.* Febronio nulla jurisdictionis authoritas Pontificia etiam de fide & moribus, sed ordinationes eò spectantes vim totam accipiunt ab intrinsecâ æquitate & Episcoporum judicio *relativo ad statum regni*, & acceptatione. Quæ ad regulas Cancellariæ, ad emolumenta

menta Cameræ Pontificiæ aut Fabricæ S. Petri, ad politicam Curiæ gubernationem ſpectant, certè talia non ſunt, ut partem faciant corporis diſciplinaris Eccleſiaſtici ex decretis Conciliorum generalium & particularium compaginati, neque talia ſunt, ut juſto ratiocinio concludatur pro theſi Febroniana: *In materiis diſciplinæ Papa non habet poteſtatem obligandi totam Eccleſiam.*

LIII. Similem rerum ſeu impertinentium commixtionem oſtendunt citationes ſubjunctæ ex Decretalibus Gregorii IX. aliorúmque Pontificum de prærogativis eminentioribus Sedis Pontificiæ. Præter ea, quæ jam dicta ſunt, ea reflexio hic non eſt prætereunda, quòd Extravaganti: *Unam ſanctam*, jungenda fuerit Extravagans: *De privileg. inter com.* ſed ne jungeret, malevolentia obſtitit.

LIV. Pergit Febronius: Si ſupponeretur præter veritatem regimen Eccleſiæ arbitrarium eſſe, & ab unius voluntate pendere, in tantâ regionum, morum &c. varietate maximopere pertineret diſpicere, an leges Romanæ populis expedirent, aut tumultus gignerentur, quo caſu, inquit, finis non obtineretur. Satis refutata ſit calumnioſa imputatio nunc in formâ hypotheſeos repetita de regimine arbitrario Eccleſiæ. Oſtenſum eſt verbis Benedicti XIV. Epiſcopos *non poſſe tantùm, ſed etiam debere* Rom. Pontifici exponere cauſas, quare judicent legem Eccleſiaſticam populis, quibus præſunt, eſſe noxiam. Lex Viennæ condita poteſt aut Hungaris aut Bohemis aut Brabantinis aut Flandris aut Tyrolenſibus eſſe damnoſa; non ideo tamen Præfectis provinciarum fas eſt pro arbitrio decernere, quòd finis legis nullatenus obtineatur; ſed ſignificandum erit ſupremo Principi, quæ cauſæ obſtent paritioni: ita congruentibus remediis ſciet S. Sedes opportunè incommodis ex legis obſervatione naſcituris providere, ut ſit æquitatis judicium, & non tyrannicæ dominationis imperium, ſi cauſas compererit.

LV. Generalium Conciliorum definita dicit ob variam populorum indolem & differentiam nationum vim & effectum legis per acceptationem obtinere. Obſtat huic novo aſſerto, quòd legiſlatoris authoritas obliget præcipiendo, ut acceptetur præceptum, ne aliàs plus poteſtatis tribuatur his, qui ſunt ſubditi, quàm Principi legiſlatori. Si per Deum legum conditores, quæ ſunt juſta, decernunt, obligandi authoritas non eſt ad ſubditos devolvenda; ſed eorum, quæ præcipiuntur, *executio & obſervantia* dici debet *neceſſaria ſequela authoritatis*, à qua leges emanârunt. Etſi conſuetudo rationabilis poſſit prævalere contra legem, non tamen ad eos, penes quos eſt acceptatio legis, transferenda eſt facultas decernendi, an injuſta ſint, quæ per legem præcipiuntur.

LVI. Quod de Synodo Trident. dicit Febronius, non firmat id, quod de acceptatione aſſeruit. Si enim S. Synodus Orientales obligare non voluit, eorum acceptatio non exſpectabatur. Divortium ob cauſam adulterii

non

non rectè inter ea numeratur, quæ tum Concilia generalia Florentinum & Tridentinum, tum totius Ecclesiæ Latinæ cum Græcâ consensus pro licitis habent. Quanquam juxta petitionem Oratorum Reip. Venetæ propter subditas eidem Reip. provincias græci ritûs non definiverit verbis expresse conceptis indissolubile manere vinculum matrimonii post adulterium, definivit tamen: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm docuit & docet juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, anathema sit.* Quo satis significavit Evangelio & Apostolorum doctrinæ conformem esse hanc doctrinam de matrimonio. Non itaque potest divortium, quale Græci faciunt, quæstionibus de usu linguæ græcæ & ritibus sacramentorum, de aliis ab Ecclesiâ catholicâ non reprobatis immisceri.

LVII. Quid solenni receptioni Concilii Trid. post concordem Gallorum Præsulum cum cæterarum nationum Episcopis subscriptionem Tridenti factam, in Galliâ intercesserit per Senatûs Regii, seu Parlamenti impedimenta, frustra in Germaniâ seu à Jurisconsultis, seu à Theologis inquiritur. In Cleri generalibus comitiis an. 1615. Regi declarârunt Præsules Galliæ unanimi sententiâ, quòd *& munere suo, & conscientiâ se obligatos agnoscant ad recipiendum Concilium*, & se illud, *quantùm possint, suis functionibus & pastorali authoritate observaturos* promiserunt. Pragmaticorum suæ nationis objectionibus doctè, sed cautè respondet, P. Natalis; laudat synodos Rothomagensem an. 1581. ac Burdigalensem 1583; probat, Gallicanæ Ecclesiæ Antistites palàm per synodalia earum decreta jurisdictionem Ecclesiasticam defendisse, cui Senatus regius ita obstitit, ut propterea publicatio Synodi Tridentinæ fuerit hucusque impedita. Utraque synodus etiam sub pœnâ excommunicationis omnibus Ecclesiasticis præcipit, ne coram judicibus laicis litigetur in casibus ad judicium Ecclesiasticum pertinentibus. Dudum in ipsâ Galliâ est animadversum, quòd sub specie libertatis, quæ succisâ Rom. Pontificis jurisdictione Clero promittitur, inducatur servitus sub laicâ dominatione, turbatisque sæcularis & Ecclesiasticæ jurisdictionis finibus, cum jurisdictione Papali simul etiam Episcoporum sacra potestas pessundetur. Libertates Ecclesiæ Gallicanæ conservari posse concessâ & reverenti obsequio admissâ summi Pontificis in fidei & communis disciplinæ quæstionibus infallibilitate, & minimè imminutâ dignitate Apostolicæ Sedis censuerunt doctissimi Galli, Archipræsul Petrus de Marca & Episcopus Macrensis, & Thomassinus, & alii.

Nat. Alex. hist. Eccles. Sæc. XVI. dissert. 12.

De Marca L. 3. c. 7. Petitudier Differt. num infallibilitas R. P. Eccl. Gal. libertates destruat.

Testatur P. Natalis, quòd Episcopus Bellovacensis an. 1614. Parisiis in conventu trium regni Ordinum, ut communi nationis consensu publicationem Concilii Trid. promoveret, Cleri nomine perorârit, ea Tridentina Decreta, quæ quoquo modo pugnare videntur contra regiam jurisdictionem & libertates Ecclesiæ, pro Gallis statuta non esse, cùm credendum sit

S. Sy-

S. Synodum his derogare non voluisse, sicut Ephesina Synodus voluit Ecclesiarum Cypri, aliarúmque provinciarum jura inviolata servari juxta veterem consuetudinem.

LVIII. Accedit, quòd, etsi in Germaniâ, Belgio. Hispaniâ, aliisque provinciis publicatum sit Concilium Trid. non ideo tamen omnia & singula decreta Concilii ab eo tempore usque nunc in iis provinciis observentur, sed permissu Sedis Apostolicæ quasdam decretis Tridentinis contrarias consuetudines retinere pergant.

LIX. Author Historiæ de Receptione Concilii Trident. dicit verbis à Febronio relatis, Clero solennem receptionem rogitanti oppositum fuisse, quòd si Rom. Pontifex rogaretur, ut jura & libertates, non obsistentibus decretis Trident., salvas & inviolatas relinquat, timendum sit, ne, quod Corona Galliæ suo jure possidet, *precariò possidere videatur.* Ad hæc de nullâ anteriorum Conciliorum etiam generalium promulgatione intra Galliæ regnum factâ in chartophylaciis regiis, alibíve exemplum extare. Veram publicationem Conciliorum potiùs consistere in executione & observantiâ Canonum synodalium, sicut jam nunc Gallia in multis Trident. Synodum pro normâ & regulâ habet. Obstare etiam conditionem temporum; nihilominus Clerum Galliæ se Concilio conformare posse eos abusus emendando, quos Patres Tridentini abrogârunt.

LX. P. Natalis de his animi sui sensum ita enuntiat, ea non impedire, *quin idem Concilium tum quoad decreta fidei, tum quoad reliqua disciplinam Ecclesiasticam ac morum emendationem spectantia ab eâdem Gallicanâ Ecclesiâ recipiatur ac observetur, veréque œcumenicum & sacrosanctum ab omnibus Catholicis habeatur. Lutheranis*, inquit, *& Calvinistis, aut aliis cujusvis generis hominibus, qui Christianorum nomine gloriantur, ea ad examen revocare non licet, nec dubitare, utrum verbo Dei prorsus consona sint Dogmata, quæ ab eâ Spiritu S. authore definita sunt.*

LXI. Cum Didaco Payvâ Lusitano, qui primùm Concilio inter Theologos, postea inter Patres Episcopus interfuit, triplex genus Canonum distinguit Natalis: Unum eorum, qui christianæ Reip. adeò sunt necessarii, ut sine ipsis optimus illius status neque collocari, neque retineri possit. In his judicium Concilii non minùs esse certum, quàm in fidei dogmatibus, cùm ad sempiternam felicitatem non minùs sanctæ & castæ leges, quàm vera & integra fides, sint necessariæ. Alterum genus in levioribus versari, quæ Ecclesiæ venustati & gubernationi utilia videntur. In his dicit, cùm Ecclesiæ saluti necessarii non sint, errare posse Concilia, non quidem aliquid, quod divinæ legis æquitati repugnet, statuendo, sed à moderatione forsan deflectendo ad nimiam vel severitatem vel indulgentiam. Tertium genus eorum esse præceptorum, quæ particularibus quibusdam Ecclesiis aut personis accommodantur, in quibus Concilium errare posse probatur exemplo

Ca-

Canonis Chalced. in favorem Anatolii. Subjungit P. Natalis mirum non esse, quòd Trident. synodus quoad leges aliquas secundi & tertii generis à Gallis recepta non fuerit.

LXII. Hoc sapientum Gallorum de negatâ in Galliis promulgatione Concilii Trid. judicio considerato apparebit, quàm imprudenter Febronius dixerit: *Locum hic sanè merentur verba Stephani Pasquier celebris in Parlemento Parisiensi Advocati: Admissis omnibus decretis Concilii non ordo, sed confusio inferretur, & monarchia nunquam visa videbitur in medio monarchiæ nostræ, ideo sapienter noluimus in Galliâ admittere Concilium, quanquam, quoties fert occasio negotiorum, Curiales Romani publicationem urgeant Concilii. Id si faceremus unico calami ductu, Papa plus authoritatis acquireret, quàm acquirere potuit à primâ Christianæ Religionis fundatione usque nunc.*

LXIII. His de Concilio Trident. pro suo more & genio tractatis Febronius divertit ad Ivonem Carnotensem. Cùm Carnotensis Ecclesia ad Senonensem provinciam pertineret, partium suarum inprimis esse duxit, ut Metropoliticum suum, quoties opportunum erat, pro viribus tueretur; quod sicut in causâ Primatûs Lugdunensis diligenter præstitit, ita cum Ludovicus Rex à Daimberto Senonensi coronatus esset præsentibus Ivone, aliisque Suffraganeis, & statim Remensis per Legatos apud Regem quereretur, jus Ecclesiæ suæ à Clodoveo concessum Apostolicæ authoritatis interventu, hoc Daimberti facto læsum esse, Ivo præ cæteris obstitit; privilegium dixit esse incognitum, aut illi longâ consuetudine derogatum, cùm extra Remensem Ecclesiam multi Reges ab aliis Episcopis consecrati & coronati sint. Legis nunquam cognitæ vel auditæ negabat Senonensem, ejúsque suffraganeos prævaricatores dici posse. Addit quidem: *Si audita esset, nihil nobis obesse posset, quòd justum non videretur, & loco & tempori congruum, tali vinculo libertatem Regum constringi, ut omnino deberent à Remensi, quæcunque temporum iniqua conditio obstaret, ungi & coronari*; sed non ideo malè censuit Ivo justè se tueri causam sui Metropolitæ post declaratam facto Regis voluntatem sic de asserto, at non probato Remensis Præsulis privilegio sentiendum erat. Cæterùm Ivonis erga Pontificia mandata voluntatem clariùs ex ejusdem epist. 57. discimus, dum ad Rom. Pontificem ita scribit: *Non est meum adversùm Vos intrare in judicium. Malo enim Episcopatui renuntiare, quàm iram vestram justè vel injustè sustinere. Hæc satisfactio si placuerit Paternitati vestræ; placet & meæ parvitati. Hanc, si placet, accipite; si plus placet, plus addite. Si desisto vester esse servus, non desistam vester esse Filius.* *Arg. C. cum persona de Priv. 6.*

LXIV. Ab Ivone iterum transit ad Hincmarum, de quo frequens jam fuit mentio, ostensúmque, eum variè admodum decretis Pontificiis jam obstitisse, jam obtemperâsse, jam à Sede Apostolicâ laudatum, jam reprehensum, jam discretè paruisse, jam indiscretè obedientiam detrectâsse, multa in eo laudem, aliqua reprehensionem meruisse.

LXV. Duo scitè componit Febronius. Hincmarum proponit tanquam perfectum obedientiæ exemplum, dum dixit, *se discretè sequi decretalia Pontificum, prout sunt sequenda.* Nicolaum I. sub cujus Pontificatu vixit Hincmarus, proponit tanquam exemplum boni Rectoris, dum *mandata Sedis Apostolicæ* dixit *in quibuslibet opportunitatibus reverenter assumenda esse discretione magistrâ. Ne ipsis quidem Romanis*, inquit, *hæc displicere possunt, siquidem amant cum ratione agere.* Indiscretè sequi nec ratio jubet, nec Pontificum authoritas.

LXVI. Sed Ecclesia & ratio postulat, ut, si quando justa ratio obstiterit paritioni, humiliter hoc Pontifici exponatur, sicut jam non semel ex Alexandri III. decretali indicatum est, paternè monuisse Benedictum XIV. Indiscretum imperium Pontificii Primatûs non dignitas, non sanctitas permittit. At non debet statim jussio Pontificia tanquam indiscretionis vitio infecta damnari, cùm per alienam culpam accusatoris aut suggestoris possit in particularibus negotiis Papale judicium ad obliqua deflecti.

LXVII. Sed quid hoc Febroni, quòd, cùm legislatoriam potestatem, quam de jure penes Rom. Pontificem credis residere, intra terminos *meræ propositionis* constringas, jam pronunties tantam esse eam legislatoriam Pontificis potestatem in Galliâ, ut nullibi in orbis catholici partibus aliis major sit? Ergóne tibi jam par videtur authoritas in Galliâ, sicut in Italiâ? Dic, quem nexum habeant, aut quam huic asserto probationem afferant verba illius ICti Galliæ, qui tibi est *quidam egregius?* nempe hæc, quæ eum *verè* dixisse asseris: *Tot habemus libertates, quot novas habent, aut formare possunt Romani prætensiones ab antiquo & genuino jure communi alienas.* Si *discretione magistrâ* præcipiunt *pro opportunitatibus*, quomodo formant *prætensiones à genuino jure communi alienas?* Datâ hypothesi jussionum penitùs exorbitantium & nos Germani libertate nostrâ fruimur. Gloriamur, Germaniam esse *terram obedientiæ*, at non servilis, sed filialis.

LXVIII. Febronius iterum de restringendâ Pontificiâ potestate solicitus, negat Pontifici potestatem abolendi leges usu receptas, eísve derogandi, saltem absque præsumpto synodi consensu. Hoc iterum probare nititur thesi non semel refutatâ de superioritate Concilii supra Pontificem. Neque satis est hæc iterum atque iterum occinuisse, sed & illud censuit repetendum, quòd Rom. Pontifices ipsi, & sæpè quidem agnoverint, se universalibus Conciliorum legibus teneri.

LXIX. Verba Zosimi Papæ à Gratiano relata: *Contra statuta Patrum condere aliquid vel mutare nec Apostolicæ quidem Sedis potest authoritas; apud illam enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxère reverentiam.* Hæc, inquam, dicit Febronius vera & firma semper esse mansura; sicut itaque apud Sedem Apostolicam tempore Zosimi inconvulsis radicibus

dicibus vivebat antiquitas, ita vivit tempore Clementis XIII. & vivet imposterum. Quod poterat Zosimus, poterit & Clemens XIII.

LXX. Zosimus in eâ ipsâ epistolâ ad Episcopos provinciæ Vien.& Narb. contra Canonem VI. Concilii Nicæni, & Can.III. Concilii Cpolitani statuebat, ut Episcopus Arelatensis in his provinciis haberet facultatem ordinandi Episcopos, & dum Patres Synodi Taurinensis decreverant jus ordinandi Episcopos provinciæ Narbonensis secundæ, concedendum esse Proculo Episcopo Massiliensi, hunc eorum canonem irritum esse declaravit ob S. Trophimi Arelatensis Ecclesiæ fundatoris reverentiam, & Patrum, id est, Rom. Pontificum, qui hanc facultatem Arelatensi concesserant, authoritatem; Proculum & Hilarium Narbonensem ordinationes absque Episcopi Arelatensis assensu sibi vindicantes compressit. Postea verò concessit, ut uterque Episcopus, Vien. & Arelat. viciniores sibi intra provinciam civitates vindicaret, donec causâ pleniùs ab Apostolicâ Sede discussa fuisset. Idem hìc Febronio dici potest, quod P. Gallus Cartier Tournelio objecit: *Testimonium ex Zosimo petitum fideliter non retulit*; sic enim habet: *Contra statuta Patrum & S. Trophimi reverentiam, qui primus Metropolitanus ex hac sede directus est, concedere aliquid &c.* Censebat Zosimus Apostolicæ Sedi injuriam inferri, si privilegium olim Arelatensi Ecclesiæ ab eâ concessum per provinciale Concilium Taurinense tolleretur. Ecce Feproni. Zosimus contra Canones duorum Conciliorum generalium tuetur privilegium à S. Sede concessum. Deceptus es à Gratiano, dum verba tuis ideis favere tibi videbantur. Quæ sit classis Canonum, contra quos nihil possit Sedes Apostolica, jam suprà ex Nat. Alexandro indicatum est; de his S. Leo ad Anatolium ita inquit: *Quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nullâ commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa.*

Nat. Alex. sæc. V. c. 2. a. 1

S. Leo citat. à Grat. Caus. 25. q. 1. can. 3

LXXI. Eò etiam audaciæ processit Febronius, ut ex ipsâ formâ Professionis fidei, quam olim Rom. Pontifices post electionem pro more faciebant, argumentum extundat, quo ideam suam suffulciat. Hæc verba recitat ex Diurno Rom. PP. *Nihil à traditione, quod à probatissimis Decessoribus meis servatum reperi, diminuere volo vel mutare; si qua verò emerserint contra canonicam disciplinam, emendare, sacrósque Canones & constituta Pontificum, ut divina & cœlestia mandata custodire, tibi B. Petre redditurum me sciens de omnibus, quæ profiteor, districtam in divino judicio rationem, cujus locum divinâ dignatione perago.* Infert Febronius, *in his tanquam Spiritu Dei conditis & totius mundi reverentiâ consecratis Papam pro libitu dispensare non posse, aut quidquam eorum abrogare.* Addit quidem: *Pro libitu*, quâ voce si forsan intelligat merè arbitrarium: *Sic volo, sic jubeo sine prudentiâ, sine ratione*; certè tunc hostem sibi fingit, quem levi manu prosternat.

LXXII. Quis dubitet Canonem Apostolicum *de sanguine & suffocato Spi-*

 ritu

ritu Dei fuisse *conditum* & *totius mundi reverentiâ consecratum*? Nunc tamen, quod verbis S. Augustini suprà dictum est, ridiculum se faceret, qui religionis ergò à leporibus aut turdis abstineret. Etsi hoc decretum Ecclesia Occidentalis usque ad tempora S. Leonis IX. observaverit, quod verba Humberti ejusdem Legati probant contra Michaëlem Cærularium, quibus testatur, quòd Rom. Ecclesia hanc Majorum traditionem diligenter retinens pœnitentiam gravem imponat iis, qui sanguine vel morticinio præfocato absque extremo vitæ periculo vescuntur; quamvis etiam Græci hunc morem in ea usque tempora propter Apostolicam legem & traditionem continuârint, certum tamen est sequentibus sæculis nec Romanos, nec Græcos se magis, quàm olim Africanos hâc lege obligatos credidisse & credere. Abrogatus est igitur. Neque interdictum Apostoli, quo bigamos à sacris ordinationibus exclusit, potuit non sanctum dici, non tamen dispensatio Pontificia, bigamos aliquando admittens, irrita censetur.

Postquam vagis & ambiguis ratiociniis Febronius operosè conatus est ostendere, quòd Pontifex Ecclesiam totam obligare non possit communi præcepto, neque à communi obligatione fideles vel omnes, vel aliquam eorum partem liberare dispensando suâpte authoritate Pontificiâ, postquam etiam observavit Rom. Pontificem post tot luculenta œcumenici Concilii Tridentini decreta, quibus firmatur potestas Pontificia toti Ecclesiæ præcipiendi, prohibendi, & ab observatione decretorum Ecclesiasticorum fideles pro suâ prudentiâ & paternâ solicitudine per dispensationem eximendi, & propter Prædecessorum, qui sanctitate & doctrinâ claruerunt, exempla non destiturum ab illo exercitio supremæ suæ potestatis, incipit Febronius de mediis Pontificem coërcendi cogitare.

LXXIII. Adversùm hæc, inquit, si Rom. Curia attentare præsumat, non Episcoporum tantùm erit efficax ponere remedium servando suo genuinis Canonibus vigori, sed & Principum sæcularium.

LXXIV. Verbis Petri de Marca extollit authoritatem regiam ad eam usque sublimitatem, ut ex sententiâ consilii sui, ad augendum & minuendum, prout lubet, vires habentis Rex possit decernere Canonum observationem & modum ad faciliorem executionem eorum præscribere, eos explicare, eos accommodare ad utilitatem regni. Hæc si vera essent, nihil certi in Ss. Canonibus haberetur, cùm penes Principem foret supremum arbitrium augendi, minuendi, explicandi, & ad politici status utilitatem accommodandi. Eam sententiam idem Petrus de Marcâ, cùm in morbum Barcinone incidisset, publico instrumento retractavit, & professus est, se in omnibus sequi & amplecti eam doctrinam de jurisdictione ac immunitate Ecclesiasticâ, cæterisque rebus & causis Ecclesiasticis, quam docet Rom. Ecclesia, eique firmiter adhærere. *Quæcunque verò*, inquit, *huic doctrinæ contraria scripsi in libro de Conc. S. & J. quæ postea S. Congregationis Indicis decretis damnata sunt,*

ea

ea quoque & nunc damno, & in alterâ illius libri editione, me emendaturum spondeo, eandémque Rom. Ecclesiæ doctrinam etiam in reliquâ operis parte à me edendâ me secuturum promitto, profiteórque singularia illa jura, quibus in negotiis Ecclesiasticis Rex Christianissimus utitur, non nisi ex privilegio Apostolico posse exerceri; alioqui legitimè non usurparentur. Petrus de Marca. 14. Aug. 1647.

LXXV. Probatio ab exemplis Imperatorum Christianorum assumpta exhibet Constantinum, Valentinianum, utrumque Theodosium, Arcadium, Marcianum, Leonem, Justinianum, Heraclium, Leonem Philosophum & Basilium. Certè sunt multa, quæ illi Principes ad defendendam Ecclesiam, extirpandas hæreses, ad corruptos mores exterminandos seu Rom. Pontificum, seu aliorum Episcoporum rogatu, etiam charitatis ac religionis impulsu fecerunt.

LXXVI. At verò & multa sunt, quæ supremæ potestatis illicito abusu contra publicam Ecclesiæ utilitatem, imò nonnunquam contra fidei dogmata & ad schismatum incrementa promovenda sanciverunt. Constantinum constat Arium & Arianos ita voluisse orthodoxis Episcopis conciliare, ut libera utrimque permaneret de dogmatibus disputatis opinandi facultas. Alexandro Episcopo (qui Arium damnaverat) & Ario scripsit quæstiones suscitatas esse, quas nulla legis necessitas præscribit, sed inutilis otii altercatio proponit; ortam non esse inter eos contentionem de præcipuo & summo legis mandato, neque ullum novum de Dei cultu introductum esse dogma, sed de re aliquâ minimi momenti eos dissentire, & ad communionis societatem ambos coire facilè posse. Hæc optimi Principis per Eusebium Nicomediensem decepti de Ariano dogmate sententia in spem erexit Arianos, potenti ejus protectione se voto potituros. Arianis, Semiarianis II aliquamdiu favisse Constantini M. filios, Nestorio Theodosium juniorem Acta Conciliorum testantur. De Arcadio & Honorio, de Marciano, de Justiniano, Mauritio & aliis historica monumenta non desunt, quibus ostenditur sanctissimis Ecclesiæ legibus non semel obstacula fuisse interjecta hæreseon & schismatum celeri extirpationi. Sicut certum habent orthodoxi, efficacissimam esse Principum protectionem, ut Canones faciliùs ad executionem desideratam promoveantur, ita & hoc certum habent, ad Principum potestatem non pertinere liberam facultatem augendi, minuendi, prout lubet, & qualicunque judicio sacratissimas Ecclesiæ leges ad imperii aut regni utilitatem accommodandi.

Du Mof. nil L. 9. in fine.

LXXVII. Ut invisum & execrabilem Primatum talem, qualis nunc Romæ defenditur, faciat Febronius, maximè opportunum censuit exemplum Ludovici S. cujus laudat Edictum solâ authoritate regiâ conditum an. 1258. seu Pragmaticam sanctionem, quâ pessundantur novitates ab Ecclesiâ Rom. per illas tempestates introductæ, & Ecclesia Gallicana ad observationem Canonum revocatur, ùt Febronius loquitur.

LXXVIII.

Thomass. p. 2. l. 2. c 33. & p. 3. l. 1. c. 44. Roncag. apud Nat Alex. sæc 13. c. 10

LXXVIII. Quid de hac Pragmaticâ sentiant eruditi, satis ostendunt Thomassinus & Roncaglia. Nullitatem ejusdem sanctionis probant ex hoc, quòd, cùm res gestæ S. Ludovici diligenter à pluribus historicis scriptæ sint, nihil omnino de hac Pragmaticâ memorent; & dum maximè opportunum erat in dissidio Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri, & dum durante schismate Avenionensi Carolus VI. exactiones Curiæ Rom. abolevit, neque tunc, neque aliàs in duobus sæculis Ludovico proximis ad hanc sanctionem in Galliâ fuerit provocatum. Obstare visa est Clementis IV. qui tunc Ecclesiæ præsidebat, à Genebrardo & Platinâ egregiè laudata sanctitas, à studio bona Ecclesiastica congerendi & in cognatos devolvendi constans aversio; etiam summa S. Regis erga Sedem Apostolicam reverentia his, quæ filio supremis tabulis dedit, monitis confirmata: *Sis obediens & devotus Matri nostræ Rom Ecclesiæ & summo Pontifici tanquam Patri spirituali*; &: *Ama ô fili personas Ecclesiasticas, & serva pacem eorum, quantùm poteris.* Accedit, quòd eo ipso anno 1268. suadente Pontifice S. Rex alteram expeditionem in terram sanctam paraverit, & quòd, dum à Sede Apostolicâ Rex idem Cleri sui subsidium ad militiam sacram impetrârat, & Clerus Gallicanus enormium exactionum gravamina, ac pressuras querulis lamentis ad remedium à S. Sede impetrandum exposuerat, credi non possit exoticas exactiones domesticis importunè tunc additas fuisse.

Chronol. P. Gordoni S. J. ad an. 1268 Gaguin. Chronol. Fr. L. 7.

LXXIX. At non omnino falsum confictúmque, quòd sublatâ novitate, cujus tunc author erat Ecclesia Romana, S. Rex Ecclesiam Gallicanam ad observantiam Ss. Canonum revocaverit: Facultatem Beneficia Ecclesiastica conferendi à Clemente IV. sibi Apostolico *Motu proprio* concessam respuit; jus ad sacerdotia nominandi Ordinariis, ad quos jure Ss. Canonum pertinebat, integrum esse voluit, *satis sibi* esse dictitans, *quòd de temporalibus sibi à Deo commissis rationes Deo pendere debeat.* Etiam Ecclesiam ad observationem Canonum revocavit, dum fortiter obstitit injuriis laicorum, quas Beneficia conferendo, reditus Ecclesiasticos rapiendo inferebant Ecclesiæ Gallicanæ, ejúsque Episcopis, & Clericis.

LXXX. Denique abnorme theorema subjungit Febronius de discrimine legum dogmaticarum & disciplinarium. *Inter omnes*, inquit, *convenit, eandem semper & ubique esse fidem Catholicam, credendis nihil novi accessisse; nec minùs certum est ad hoc, ut quis fide divinâ credere debeat dogma revelatum, ab Ecclesiâ declaratum atque definitum, non requiri, ut lege aliquâ humanâ proponatur, aut intimetur.* Infert ex his, nequaquam dependere à publicatione vel executione Bullæ dogmaticæ, ut quis dogmati assensum fidei præbere teneatur; cùm ante omnem publicationem quisque fide divinâ credere debeat dogma, quòd ipsi sufficienter constat, ex divinâ revelatione esse traditum; aliunde ergo dum non constat, Bulla constare non faciet.

LXXXI.

LXXXI. A normâ Theologiæ catholicæ hunc discursum deflectere faciliè ostenditur, si, quid sit *hæresis*, quid *fidei dogma*, quid *articulus fidei*, quid *dogma Catholicum* sit, intelligatur. Revelatio sola hæresin non facit, neque hæreticum eum dici convenit, qui doctrinæ, quæ reipsâ pro revelatâ habetur, quoquomodo contradicit. Qui dissentit objecto, quod quidam sanctus sibi à Deo revelatum asserit, non ideo per dissensum hæreticus efficitur; sed tunc, dum per legitimam authoritatem Ecclesiæ proponitur tanquam à Deo revelatum. Dum Ecclesia quæstionem de Paschate tanquam dogma catholicum definivit, tunc cœpit hæresis Quartodecimanorum. Dum quæstio de baptismate ab hæreticis collato per legitimum Ecclesiæ judicium est definita, cœperunt esse hæretici, quicunque pertinaciter adversabantur, &, quod magistri impunè docuerant, ad certum animarum interitum docere & credere pergebant. Non S. Joannes Damasc. non alii docti & sancti Græciæ Doctores, qui ante Ecclesiæ definitionem docuerunt, Spiritum S. à Patre, non à Patre, Filióque procedere, hæreticis adnumerantur, neque hi, qui profitebantur unam in Christo voluntatem, ante Ecclesiæ definitionem, quæ Monothelismum anathematizavit. Nemo Theodoretum, Ibam, & posterioribus sæculis Joachimum Abbatem & Jansenium Iprensem hæreticos dixit, quòd ea ipsa dogmata, quæ postea Ecclesiæ judicio damnata sunt, suis libris aut scriptis insperserint.

LXXXII. Quanquam dogmata illa, quæ *articuli fidei* nominantur, eadem nunc sint, quæ tempore Apostolorum erant, neque ad eorum numerum sit facta accessio; materiæ tamen credendorum hoc novum accessit, quòd, quæ Apostolis erant cognita, & ab iis obscuriùs tradita, postea sint apertiùs explicata, ortísque super explicandi modo in Ecclesiâ contentionibus *veritas fuerit*, ùt S. August. loquitur, *eliquata*; nec enim dubitandum est S. Petrum, si super Processione Spiritûs S. sententiam rogatus fuisset, formam sanorum verborum, Spiritu S. inspirante, fuisse toti Ecclesiæ propositurum.

LXXXIII. Dum hoc factum non fuit, surrexerunt in Ecclesiâ viri *docentes perversa*, quorum doctrina, etsi tunc falsa esset, & falsa semper fuerit; tunc primùm cœpit esse hæretica, dum certum & irreformabile judicium veritatis accessit. Si autem tunc, & non antè id, quod semper æternæ veritatis judicio erroneum fuit, cœpit esse hæreticum, necesse est alicujus hominis ore proponi & notum fieri, hæc necessariò esse credenda, de quibus antea impunè judicium erroneum formabatur.

LXXXIV. Debet igitur errantibus indicari seu decretum Concilii generalis legitimè confirmati, seu Bulla dogmatica, qualem dum Michaël Bajus vidit, tanquam filius obediens S. Matris Ecclesiæ libenter se definitioni Papali submisit, & anathema dixit erroribus, quos antea impunè, & forsan sinè culpâ docuerat. Equidem hoc inter credenda & facienda discrimen est, quòd ante solennem in provinciâ publicationem nemo ad singularem legis observan-

Thomass. p. 2. l. 2. c 33. & p. 3. l. 1. c. 44. Roncag. apud Nat Alex. sec 13. c. 10

LXXVIII. Quid de hac Pragmaticâ sentiant eruditi, satis ostendunt Thomassinus & Roncaglia. [illegible] ejusdem sanctionis probant ex hoc, quòd, cùm res gestæ S. Ludovici diligenter à pluribus historicis scriptæ sint, nihil omnino de hac Pragmaticâ memorent; & dum maximè opportunum erat in dissidio Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri, & dum durante schismate Avenîonensi Carolus VI. exactiones Curiæ Rom. abolevit, neque tunc, neque aliàs in duobus sæculis Ludovico proximis ad hanc sanctionem in Galliâ fuerit provocatum. Obstare visa est Clementis IV. qui tunc Ecclesiæ præsidebat, à Genebrardo & Platinâ egregiè laudata sanctitas, à studio bona Ecclesiastica congerendi & in cognatos devolvendi constans aversio; etiam summa S. Regis erga Sedem Apostolicam reverentia his, quæ filio supremis tabulis dedit, monitis confirmata: *Sis obediens & devotus Matri nostræ Rom Ecclesiæ & summo Pontifici tanquam Patri spirituali*; &: *Ama ô fili personas Ecclesiasticas, & serva pacem eorum, quantùm poteris.* Accedit, quòd eo ipso anno 1268. suadente Pontifice S. Rex alteram expeditionem in terram sanctam paraverit, & quòd, dum à Sede Apostolicâ Rex idem Cleri sui subsidium ad militiam sacram impetrârat, & Clerus Gallicanus enormium exactionum gravamina, ac pressuras querulis lamentis ad remedium à S. Sede impetrandum exposuerat, credi non possit exoticas exactiones domesticis importunè tunc additas fuisse.

Chronol. P. Gordani S. J ad an. 1268 Ga[illegible]. Chronol. Fr. L. 7.

LXXIX. At non omnino falsum confictúmque, quòd sublatâ novitate, cujus tunc author erat Ecclesia Romana, S. Rex Ecclesiam Gallicanam ad observantiam Ss. Canonum revocaverit: Facultatem Beneficia Ecclesiastica conferendi à Clemente IV. sibi Apostolico *Motu proprio* concessam respuit; jus ad sacerdotia nominandi Ordinariis, ad quos jure Ss. Canonum pertinebat, integrum esse voluit, *satis sibi* esse dictitans, *quòd de temporalibus sibi à Deo commissis rationes Deo pendere debeat.* Etiam Ecclesiam ad observationem Canonum revocavit, dum fortiter obstitit injuriis laicorum, quas Beneficia conferendo, reditus Ecclesiasticos rapiendo inferebant Ecclesiæ Gallicanæ, ejúsque Episcopis, & Clericis.

LXXX. Denique abnorme theorema subjungit Febronius de discrimine legum dogmaticarum & disciplinarium. *Inter omnes*, inquit, *convenit, eandem semper & ubique esse fidem Catholicam, credendis nihil novi accessisse; nec minùs certum est ad hoc, ut quis fide divinâ credere debeat dogma revelatum, ab Ecclesiâ declaratum atque definitum, non requiri, ut lege aliquâ humanâ proponatur, aut intimetur.* Infert ex his, nequaquam dependere à publicatione vel executione Bullæ dogmaticæ, ut quis dogmati assensum fidei præbere teneatur; cùm ante omnem publicationem quisque fide divinâ credere debeat dogma, quòd ipsi sufficienter constat, ex divinâ revelatione esse traditum; aliunde ergo dum non constat, Bulla constare non faciet.

LXXXI.

LXXXI. A normâ Theologiæ catholicæ hunc discursum deflectere faciliè ostenditur, si, quid sit *hæresis*, quid *fidei dogma*, quid *articulus fidei*, quid *dogma Catholicum* sit, intelligatur. Revelatio sola hæresin non facit, neque hæreticum eum dici convenit, qui doctrinæ, quæ reipsâ pro revelatâ habetur, quoquomodo contradicit. Qui dissentit objecto, quod quidam sanctus sibi à Deo revelatum asserit, non ideo per dissensum hæreticus efficitur; sed tunc, dum per legitimam authoritatem Ecclesiæ proponitur tanquam à Deo revelatum. Dum Ecclesia quæstionem de Paschate tanquam dogma catholicum definivit, tunc cœpit hæresis Quartodecimanorum. Dum quæstio de baptismate ab hæreticis collato per legitimum Ecclesiæ judicium est definita, cœperunt esse hæretici, quicunque pertinaciter adversabantur, &, quod magistri impunè docuerant, ad certum animarum interitum docere & credere pergebant. Non S. Joannes Damasc. non alii docti & sancti Græciæ Doctores, qui ante Ecclesiæ definitionem docuerunt, Spiritum S. à Patre, non à Patre, Filióque procedere, hæreticis adnumerantur, neque hi, qui profitebantur unam in Christo voluntatem, ante Ecclesiæ definitionem, quæ Monothelismum anathematizavit. Nemo Theodoretum, Ibam, & posterioribus sæculis Joachimum Abbatem & Jansenium Iprensem hæreticos dixit, quòd ea ipsa dogmata, quæ postea Ecclesiæ judicio damnata sunt, suis libris aut scriptis insperserint.

LXXXII. Quanquam dogmata illa, quæ *articuli fidei* nominantur, eadem nunc sint, quæ tempore Apostolorum erant, neque ad eorum numerum sit facta accessio; materiæ tamen credendorum hoc novum accessit, quòd, quæ Apostolis erant cognita, & ab iis obscuriùs tradita, postea sint apertiùs explicata, ortísque super explicandi modo in Ecclesiâ contentionibus *veritas fuerit*, ùt S. August. loquitur, *eliquata*; nec enim dubitandum est S. Petrum, si super Processione Spiritûs S. sententiam rogatus fuisset, formam sanorum verborum, Spiritu S. inspirante, fuisse toti Ecclesiæ propositurum.

LXXXIII. Dum hoc factum non fuit, surrexerunt in Ecclesiâ viri *docentes perversa*, quorum doctrina, etsi tunc falsa esset, & falsa semper fuerit; tunc primùm cœpit esse hæretica, dum certum & irreformabile judicium veritatis accessit. Si autem tunc, & non antè id, quod semper æternæ veritatis judicio erroneum fuit, cœpit esse hæreticum, necesse est alicujus hominis ore proponi & notum fieri, hæc necessariò esse credenda, de quibus antea impunè judicium erroneum formabatur.

LXXXIV. Debet igitur errantibus indicari seu decretum Concilii generalis legitimè confirmati, seu Bulla dogmatica, qualem dum Michaël Bajus vidit, tanquam filius obediens S. Matris Ecclesiæ libenter se definitioni Papali submisit, & anathema dixit erroribus, quos antea impunè, & forsan sinè culpâ docuerat. Equidem hoc inter credenda & facienda discrimen est, quòd ante solennem in provinciâ publicationem nemo ad singularem legis observan-

ſiam obligetur, ſed communi mori aliorum, qui Deum timent, & vocem Paſtoris audire non negligunt, conformare ſe poſſit in externis actionibus. Quamprimùm autem quâcunque particulari notitiâ compererit Romæ propoſitiones tanquam hæreticas aut erroneas eſſe damnatas, ante ſolennem publicationem Bullæ Papalis, ſeu Conſtitutionis Apoſtolicæ debeat à docendo abſtinere, quod jam certâ particulari ſcientiâ novit irretractabili judicio ſupremi Paſtoris eſſe damnatum, cùm jam propter definitionis authoritatem probabile videri non poſſit, quod antea ſufficientibus momentis rationum inniti videbatur.

§. III.

Refellitur falſa opinio Febronii, quòd univerſim collectiones Canonum nonniſi ex receptione & obſervantiâ vim juris habeant.

1. *Decretalibus hoc tribuit Febronius pro totâ Eccleſiâ, quod Galli legibus imperialibus pro ſuo regno.*
2. *Fœdis titulis* Decretum Gratiani *deturpat Febronius.*
3. *Pariſini Editores illud laudant.*
4. *Febronius negat Decretum Gratiani propriam legalem authoritatem accepiſſe, quia Papa talem dare non poteſt.*
5. *Barthelius cenſet dici poſſe, quòd habeat vim legis deciſivam, nequidem excluſis falſis Decretalibus.*
6. *Author* Princip. jur. Eccleſiaſt. *dicit Pontifices Decreto non dare vim juris ob cauſas politicas.*
7. *Böhmerus dicit hoc opus ad normæ legalis dignitatem emerſiſſe, non approbatione Pontificis, ſed uſu.*
8. *P. Greg. Zallwein dicit uſu non univerſalem authentiam, ſed aliquid authenticæ authoritatis ei acceſſiſſe.*
9. *Præter authoritatem relativam ad fontes habet prærogativam inter Claſſicos illi ſimilem, quam habet ſumma S. Thomæ Aquinatis in Academiis catholicis.* (ſâ-
10. Decretales Gregorii IX. *Febronius Decreto Gratiani æquiparat eâdem ex cau-*
11. *De hoc, quòd Decretales ſint interciſæ, interpolatæ, in aliquibus mutatæ, oppoſitum judicium Barboſæ & Febronii.*
12. *Jus civile & Decretalium comparat in hoc, quòd faciant jus merè conſuetudinarium & interpretativum.*
13. *Regna & imperia non habent centrum unitatis, nec unum locum, ad quem convenire neceſſe ſit undequaque.*

14. *Re-*

14. *Rectius fit comparatio inter Ecclesias particulares, & urbes unius Monarchiæ diversis statutis municipalibus gubernatas sub uno Rege.*
15. *Interpretatio legum ex Canonibus & Canonum ex legibus significata per Capit.* Intelleximus de N. O. N.
16. *Ridicula subtilitas Febronii de Rom. Pontificibus Decretalium Gregorianarum autboribus.*
17. *Interpretatio legis civilis æquè ex libro Confutii ac ex Decretalibus accipi potest, si nihil babeant autboritatis.*
18. *Febronius immani censurâ perstringit Decretales, quòd contra Christum & Apostolos, juxta Isidori mendacia subvertant jus publicum Ecclesiasticum.*
19. *Improba illa crisis perstringitur.*
20. *Iterum ad quemdam Galliæ Jurisconsultum ineptissimè provocat.*
21. *In* Sexto & Clementinis *dicit multò magìs obtinere, quod dixit de Decreto & Decretal. Greg.*
22. *Iterum se convertit ad reprobatum librum Gersonis de* Reform. Eccl. *editum à Vonderbart.*
23. *Wicleffi de Decretalibus propositio in Concilio Constant. damnata.*
24. *Censura Gersonis de Decretalibus pejor est Wicleffianâ.*
25. *Eodem spiritu Febronius perstringit Constitutionem, quæ* Bulla Cœnæ *dicitur.*
26. *Nec Galli, nec Germani denegant Rom. Pontifici jurisdictionem, dum apud eos Bulla Cœnæ non observatur in omnibus punctis.*
27. *Perstringit Regulas* Cancellariæ, *ex quibus aliquas dicit vim babere tantùm propter internam bonitatem.*
28. *Simile judicium Böhmeri de judiciis Ecclesiasticis Instrumento Pacis Westphalicæ non abrogatis.*
29. *Barthelii autboritate perperam probat, dispensationes Papales non admitti in Germaniâ contra regulas præceptas.*
30. *Falsam causam assignat Febronius, quare aliquæ regulæ non sint receptæ.*
31. Declarationes Cardinalium Interpretum Concilii *falsò dicit baberi pro legibus.*
32. *Quid de his suos Diœcesanos docuerit Card. Lambertinus in loco, quem citavit Febronius.*
33. *Quæ sit autboritas bujus sacræ Congregationis.*
34. *Malâ fide scripsit Febronius ejus Congregationis decreta Romæ pro legibus baberi, & ipsi Synodo contrariari.*
35. *Calumniatur Febronius, dum dicit ad conficienda ea decreta adhiberi homines præjudiciis Curiæ occupatos.*
36. *Et dum Card. Lambertinum & Fagnanum dicit falsis principiis imbutos.*
37. *Cautela Urbani VIII. de Decretis impressis & imprimendis.*

38. *Bis laudat hoc dictum Gersonis*: In utrâque Rep. propter Decretum Gratiani & Decretales varia succreverunt & succrescunt schismata.

39. *Gersoni jungit Guil. Majorem: eum verba de* siliquis porcorum *applicare credit recentioribus Decretalibus sui temporis.*

40. *Sequeretur eum tum Canones Concilii Vien. improbâsse, cui interfuit & subscripsit.*

41. *Recentibus decretis de fide & disciplinâ eo tempore opus fuisse, probant Concilia Lugdunensia præter Viennense.*

I. Hoc tribuit Febronius Collectionibus Decretalium in totâ Ecclesiâ, quòd Galli in regno Franciæ tribuunt legibus Imperii seu constitutionibus Imperatorum Romanorum & Græcorum, quæ, in quantum eas recipi placuit, & in observantiam permissu Regum & placito populorum deductæ sunt, pro jure possunt allegari, itâ ut magis formam juris consuetudinarii, quàm legum habere videantur, cùm suprema potestas regia exotico jure legum imperialium restringi nullo titulo possit. Sic & nos receptione ac observantiâ leges Asiaticorum aut Africanorum possumus nostras facere, eásque tanquam regulas actionum assumere, ut pari formâ & modo pro jure possint allegari.

II. Initium facit à Decreto Gratiani. Eam Collectionem à summis Pontificibus laudatam dicit Febronius, *multâ confusione compactam congeriem erratorum, apocryphis monumentis refertam*; nihilominus serviisse, & adhuc servire Prælectionibus scholarum, atque in Ecclesiasticis tribunalibus frequenter allegari.

III. Justior est crisis Præfationis Parisinæ anni 1612. in quâ laudatur, quid post anteriores collectores Gratianus præstiterit, modestè addendo, quòd *in longo ac perdifficili opere hujus utilissimi & gravissimi Codicis multa à parùm æquis hominibus exagitata fuerint, nonnulla pii etiam & verecundi interdum desideraverint.*

IV. Dicit quidem Febronius, quòd cum Card. de Luca sentiat, nullam propriam & legalem authoritatem huic libro attributam esse, sed fundamento prorsus diverso innititur, cùm Cardinalis cum aliis Catholicis concedat Rom. Pontifici potestatem jus novum condendi & novis legibus fideles obligandi, quod Febronius universim negat.

V. Ab hâc potestate Rom. Pontifici concedendâ nisi vehementer abhorreret, in rem suam non incommodè opinionem Barthelii amplecteretur, qui dicit: *Absolutè defendi potest totum decretum quoad omnes partes habere vim legis decisivam, ipsas etiam falsas Decretales*, quanquam fateatur Opus hoc à Gregorio XIII. approbatum non fuisse. Non incommodè, inquam, cùm ex his, quæ omnium eruditorum Catholicorum communi consensu in Decreto Gratiani apocrypha & falsa censentur, Sedes Apostolica redargui posset tanquam erronearum opinionum protectrix.

Barthel. ad P. otm P. Engel.

VI.

VI. Author *Principiorum juris Ecclesiastici* 1746. editorum dicit: *Rom. Pontifices ex causis politicis nunquam donabunt Decretum dignitate juris publici*, quia censebat veterem disciplinam & systema Ecclesiæ primævum optimè in eo libro exponi, Decretales autem principiis recentioribus à primævo systemate alienis initi; quasi verò, si usus recentior in quibusdam præ veteris disciplinæ observantiâ invaluit, illico suppressa cupiant Pontifices monumenta antiquitatis, & dum leges recentiores antiquioribus derogant, simul etiam has tanquam abrogatas aboleri necesse sit.

VII. Böhmerus clandestinis artibus Pontificum adscribit, quòd Decretum Gratiani ad tantam authoritatem ascenderit, ut ad normæ legalis authenticæ dignitatem emerserit, publicam tamen approbationem ei non dederint Pontifices. *Boehm. Ad tit. de Const. §. 18.*

VIII. P. Zallwein doctâ crisi varias de hoc Opere Doctorum opiniones expendit, ne quidem usu & receptione universalem authentiam huic Operi putat accessisse, cùm Eruditos non lateat, nondum omnibus mendis hoc Opus esse purgatum; eò tamen inclinat, ex usu aliquid authenticæ authoritatis Decreto accessisse instar juris feudalis Longobardici. *Zallw. Tom. 2. q. 2. c. 1. §. 7.*

IX. Sed malim præter authoritatem, quam vocant *relativam ad fontes*, à plurimis Catholicis huic Operi attributam, Gratianum inter Scriptores classicos, qui Canonibus colligendis privato studio dederunt operam, eâ prærogativâ donari, quam S. Thomæ Aquinati non Theologi tantùm, sed & Rom. Pontifices, & generalia Concilia contulerunt, dum multorum Pontificum laudibus, & citationibus, etiam innumeris commentatorum lucubrationibus ejusdem summa Theologica est honorata, & ab Academiis catholicis tanquam norma methodicè Theologiam tractandi aliquot sæculis constanter est habita.

X. Pergit ad Decretales Gregorii IX. De his profert judicium omnino novum inter Catholicos, dum ait: *Nec aliter tenendum de Decretalibus Gregorii IX.* Ipse non dissimulat eo fine jussu Pontificis Gregorii publicatam esse, ut ejus *tam in judiciis, quàm in scholis usus esset.* Idem hoc advertit de cæteris partibus dixisse Pontifices earum authores, nemo autem est, qui decretum Gratiani tanquam normam judiciis præscripserit. Quòd verò in eâ Collectione Gregorii Constitutiones *interpolatæ*, *rescissæ*, *ac sæpè contra mentem authorum immutatæ* sint, justam rationem Febronio non præbet eam Collectionem sugillandi, aut iis juris communis authoritatem denegandi; dum rectius Barbosa inde argumentum format has Decretales vim legis habere, cùm ea, quæ resecta sunt, ad particularia Rescripta pertinuerint, & antilogia ac superfluitas evitata sit. *Barb. Collect. ad Prol. Decretal.*

XII. Pessimam instituit comparationem inter jus civile Romanum & jus Canonicum Romanum in hoc, quòd sicut, ut inquit, ubique ferè gentium, etiam apud quos nulla est Imperatorum aut Imperii Romani authoritas, ex

legibus Imperialibus jura particularium regnorum aut provinciarum dubia lucidantur, ita si quid difficultatis in jure sacro particulari seu scripto seu non scripto obveniat, ex illo jure canonico accipiat interpretationem.

XIII. Quis distinctis regnis, imperiis, Rebusp. quae Principibus aut potestatibus subsunt, in politicâ gubernatione nullum in terris superiorem habentibus, dicat centrum unitatis esse constitutum, & unum aliquem locum his omnibus esse assignatum, ad quem propter potiorem principalitatem necesse sit omnia regna, imperia, & Resp. convenire, sicut in societate credentium omnes Catholici agnoscere debent totum corpus esse compaginatum per multiplices juncturas uni capiti subditas? An jam vis Febroni instar statuum politicorum provincias sacras ita dividere, ut, quod jus commune hactenus fuit, in Ecclesiâ tantùm servire debeat Episcopis ad interpretationem juris sacri particularis?

XIV. Rectiùs ita erat instituenda comparatio, ut sicut cives unius regni, unius Regis imperio subditi, proprio jure municipali fruuntur, ita particularium Ecclesiarum legitimae consuetudines, & particularia Dioeceseon statuta, & ordinationes pastorales Antistitum sint particularis norma & regula, salva autem & inviolata omnium Ecclesiarum concentratio permaneat.

XV. Quòd ex jure Pontificio jus civile Romanum, si dubium fuerit, interpretationem accipiat, & in materiâ civili obscura lex Imperialis per constitutiones juris communis Ecclesiastici declaretur; sicut vicissim jus Ecclesiasticum dubium per claram juris Imperialis legem explicatur, Lucius III. eleganter expressit: *Sicut leges*, inquit, *non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur*; jubétque Pontifex negotium, quod cujusdam Ecclesiae constructioni intercessit, secundùm legum & Canonum statuta ab Episcopo terminari.

Cap. Intellecximus de novi oper. nuntiat.

XVI. Febronius subtili indagine hanc frivolam causam detexit: *Pontifices, quorum Decretales in Collectionem Raymundi relatae sunt, quidam erant non solùm disciplinae sacrae* (non quidem qualiscunque tum veteris, tum novae, sed) *eo tempore vigentis apprimè gnari, sed & juris civilis peritissimi.* Quid inde? *Ideo*, inquit, *haud mirandum, si eorum epistolae ex usu eam adeptae sint authoritatem, ut jus hoc Romanum, cùm dubium fuerit, ex jure Pontificio interpretationem accipiat.* Dixisse refutâsse est.

XVII. Laudat Febronius id rectè fieri quoad jura privatorum, qui pro liberâ suâ voluntate videntur posse interpretationem legum ex Decretalibus quaerere; ast nonne etiam privato studio ex Confucii Sinensium Philosophi libris moralibus, aut ex Poëtis & Philosophis tale remedium opportunè comparare nobis possumus?

XVIII. Hoc malè habet Febronium, quod illi epistolarum Decretalium Authores Pontifices ausi sint improbâ exegesi jus publicum Ecclesiasticum à Christo & ab Apostolis institutum, fundamentalibus regulis, ab Ecclesiâ re-

ceptis

ceptis innixum, detestabili facinore mutare, per falsas Isidori Decretales authoritatem Pontificiam in immensum augere, Concilia provincialia, & nativam Episcoporum potestatem deprimere.

XIX. Quod verò illud jus publicum est? Quæ ejus decreta, quæ tam sacrilegè, & (ut ironicè Febronius loquitur) egregiè mutârunt? Quæ illa est regula fundamentalis, quam everterunt? Has calumnias non ratio mentem dirigens collegit, sed mens ratione furens. Quid enim magis referat speciem furoris, quàm tot infanda congerere sinè probatione? At verò probationem affert. Quæ illa?

XX. Quidam Galliæ ICtus non ineptè scripsit, citare Decretales ad asserendas prætensiones Curiæ Romanæ ejusdémque sedis prærogativas excessivas *idem est, ac allegare Manifesta Regum Angliæ pro probatione prætensionum, quibus contendunt Galliam ad sua jura pertinere.* Adeóne parùm gnarus es Decretalium Febroni ICte, ut putes in hoc solo argumento versari Decretales, unicum hunc scopum esse tanti operis? An Pontificibus non licebat vindicare cathedræ suæ honorem, sicut fecit Leo & Gregorius, Magnus ille servus servorum Dei? Didicerunt ab Apostolis contumelias & injurias, quæ in ministerii contemptum & animarum perniciem tendunt, dissimulandas non semper esse, neque ad humilitatem à Christo commendatam pertinere noxiam ejusmodi tolerantiam.

XXI. A Decretalibus Gregorii transit ad reliquas juris Ecclesiastici partes; & postquam asseruit, non aliter de Decretalibus Gregorii ac de Gratiani Decreto nullam legalem authoritatem habente judicandum esse, de posterioribus partibus juris Pontificii dicit: *Quod diximus de Decretalibus, hoc multò magis obtinet in Sexto & Clementinis.*

XXII. Hoc ut probet, iterum se convertit ad *Tractatum Gersonis*, cui titulus: *De modis uniendi & reformandi Ecclesiam in Concilio universali.* Eum tanquam paulò ante Concilium Constant. editum, & Petro de Alliaco Card. Camerac. inscriptum (ex Mſ. Helmstad. duobus ferè sæculis incognito) author novæ historiæ Concilii Constant. Vonderhart Lutheranus an. 1696. edidit, & Dupinius an. 1707. novæ editioni Operum Gersonii in Hollandiâ (etsi in titulo dicatur: *Antwerpiæ sumptibus Societatis*) curatæ inseruit, de quâ editione Ill. Macrensis ait: *Omnem captum superat, quòd quidam Parisiensis Doctor, cui opus istud Gersonis velut Theologicæ suæ Facultati summè indecorum videri debuerat, produxerit.*

XXIII. Wicleffus Hæresiarcha contra Decretales insano furore multa dixerat, quæ in Concilio Constantiensi diligenter discussa & examinata sunt in proposit. 38. contra quam hæc fuit Patrum censura: "Quia Sedes Apostolica „& Rom. Ecclesia habent eandem authoritatem & easdem claves in universâ „materiâ catholicâ & Ecclesiasticâ cognoscendi & definiendi, quæ vera & ca„tholica sint, quæ falsa & erronea; quæ bona & eligenda, quæ mala & fu-

gienda

„gienda, quæ facienda & dimittenda, quas habuerunt Apostoli, Presbyteri „seu Seniores tunc in Jerusalem; igitur sicut illi authoritate & clavibus istis habuerunt cognoscere & definire, & per Decretales epistolas cognita, definita „& decreta mittere; sic Sedes Apostolica & Rom. Ecclesia. Cùm igitur illud „idem principium formale, & eædem claves sint apud Sedem S. Apostolicam „& S. Rom. Ecclesiam; igitur sicut custodiendæ erant dogmata, quæ erant „decreta ab Apostolis & Senioribus in Jerusalem, sic &, quæ fuerint decreta „à Sede Apostolicâ & Rom. Ecclesiâ. Non ergo nisi insanus hæreticus diceret, quod indefinitè & indifferenter Decretales epistolæ sint apocryphæ. Plus dixit Gersonius in libro jam indicato, quòd ut apertiùs Lectores intelligant, illius Tractatûs epitomen ipsiusmet Gersonii verbis exhibebo. Sordes, quas Febronius ex hac fœtenti lacunâ hausit, eum adeò delectant, ut frequenti ejus Tractatûs citatione se nec gravissimos illos errores tum fidei, tum rectæ morum disciplinæ contrarios animadvertisse, neque fœdam scommatum spurcitiem, ne ipsis quidem decori & honesti studiosis Protestantibus placituram, fastidire ostendat. Nisi Parisiensis Doctor Theologus communicatum ab Helmstadiensibus per duo, ùt dixi, sæcula occultatum in lucem protulisset, ab aliquo infimæ conditionis Acatholico assertum illud Mſ. Helmstadii confectum esse vetus viri fama mihi persuaderet.

Compendium Tractatûs Gersonii *de modis uniendi ac reformandi Ecclesiam in Concilio universali.*

Ecclesia una est, una origo est. S. Cyprianus rel. Can. 18. c. 24. q. 1. De unitate Ecclesiæ. Quæ illa? *Quæ temporalia despuit adinstar Christi, quæ fundementa primitivæ fidei custodit, quæ sub uno Christi Vicario dilatatur, & vivit, quæ sanctitatem cum moribus concordat & unit, quæ cum vitiis litigat, & ea destruit. Triplex unio esse potest: Imperiosa, jocundosa, virtuosa. Prima conservatur in unius capitis principantis existentiâ.* 2. *In multorum membrorum benevolentiâ.* 3. *In Religionis observantiâ perpetuatur. Ecclesia Christi inter omnes societates superior, diligibilior, quia aliæ sunt temporales, illa spiritualis, & nunquam defectura.*

Quæ illa, quam S. Athanasius dicit in Symbolo: Unam, sanctam, Catholicam & Apostolicam? *Alia est* CATHOLICA *complectitur omnia membra. Caput solus Christus. Papa, Cardinales, Prælati, Clerici, Reges, Principes ac plebeji sunt membra inæqualia. Papa non potest dici caput, sed est Vicarius Christi, cujus vices gerit, si clavis non erret. In hac omnis homo potest salvari, etsi in toto mundo non posset Papa reperiri. Huic soli Ecclesiæ data potestas solvendi & ligandi. Dato, quòd nullus Papa esset, adhuc aliquis fidelium in remedium ligandi & solvendi veniret. Hæc Ecclesia de lege currenti*

errare

errare non potest; nunquam deficere; nunquam schisma passa est; nunquam haresi maculata est.

Alia vocatur Ecclesia APOSTOLICA, *particularis & privata, inclusa in Catholicâ, ex Papâ, Cardinalibus, Episcopis, Prælatis & viris Ecclesiasticis compaginata, & solet dici Romana, cujus caput Papa creditur, cæteri Prælati & Ecclesiastici tanquam membra includuntur. Hæc errare potest & falli & fallere, etiam deficere, & est longè minoris authoritatis, quàm universalis. Est quasi instrumentalis & operativa clavium universalis Ecclesiæ, & executiva potestatis ligandi & solvendi; nec habet, nec potest habere authoritatem majorem illâ, quàm universalis sibi concedit. Differunt hæ duæ sicut genus & species. Applicat illud* 1. *Pet. v.* 13. Salutat vos Ecclesia, quæ est Babylone.

Q. *Quis pro unione laborabit?* ℟. *Ubi Papa non est suspectus, & ubi non agitur de unione capitis, ad eum primò pertineret; aliàs ad majorem partem, vel totam congregationem Episcoporum, Prælatorum & Principum, quidquid illi egerint, tanquam fides est tenendum.*

Q. *Quid habent Principes sæculares facere in Ecclesiæ reductione & membrorum unione?* ℟. *Si bonum commune respicitur, non solùm Principes, sed & rustici & laboratores & quicunque, quantumcunque minimi, debent occurrere, & morti, si opus, se exponere pro totius gregis salvatione. Citat Valer. Max. & Tullium Cicer.*

Universalis Ecclesia operatur ad modum theoreticæ Magdalenæ, Apostolica verò ad modum practicæ Marthæ. A majori fit denominatio, propterea dicimus laborandum esse pro bono universalis Ecclesiæ.

De Authoritate Papæ. Quæ illa? ℟. *Si propter salvationem unius regni deponitur unus Rex, qui per successionem perpetuam descendit, multò magis unus Papa per electionem Cardinalium institutus; cujus pater & avus forsan ventres non sufficiebant implere fabis. Durum est dicere, quòd Filius unius Veneti piscatoris Papatum debeat tenere cum detrimento totius Reip. Ecclesiasticæ. Imò dixit Propheta:* Deleas eos ùt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. *Papa malus citiùs deponitur, quàm alius Prælatus, quia est in totam solicitudinem, alii in partem; si per imaginationem amputari posset caput, homine manente, amputari citiùs deberet, ne totus homo perdatur. Si Papa peccat, totus cœtus Ecclesiasticus convertitur ad peccandum; quia* Regis ad exemplum &c. *Sed si aliquis Prælatorum peccaverit, non propterea omnes alii peccant; debent tamen Episcopi Prælati ac Clerici* ab omni specie mali abstinere.

Sed si voluisti me capere in sermone, quòd tam alta sit potestas Papæ, ut à nullo mortalium judicari possit, nisi propter hæresin, Dist. 40. *c.* 6. *Perpende, quantâ fraude, quâ astutiâ temporibus antiquis fuerint facta ea scripta plurima ad tenendam hanc dignitatem Papatûs, quam Christus nunquam concessit*

 ater-

æternaliter, nisi ad tempus illis, qui diligunt Deum in toto corde, & veritate. Quod dico, quia si Petrus, cui datus est principaliter Papatus ante Passionem Math. 16. *mansisset in negatione, certè Spiritum S. non accepisset, nec*: Pasce oves, *ipsi dictum fuisset.*

Aliqui antiqui Pontifices cum multis peritis, imò in malitiâ imbutis Deum non habentes præ oculis multa jura sibi usurpârunt, & pro se fecerunt, Remp. non curantes. Et quis fecit illos libros 6. *& Clementinas? Arrogantiam, superbiam, juris Ordinariorum usurpationem, Imperatorum injuriosam detractionem, eorum, aliorúmque potestatis periculosissimam suppressionem, & alia multa in spiritualis & temporalis Reip. læsionem malitiosè & pertinaci ambitione fabricata in omnibus & per omnia concludentes. Nihilominus & Papæ voluerunt observari eos ùt S. Dei Evangelia, & sic de multis contentis in Decretis & Decretalibus post dotationem Constantini, quorum occasione multa succreverunt, & succrescunt schismata in utrâque Rep. memorata. Ecce ponatur Papa. Est homo de homine, limus de limo, peccator & peccabilis, filius ante duos dies pauperis rustici. Erigitur in Papam, nunquid ille absque aliquâ pœnitentiâ peccatorum, absque cordis contritione statim fit Angelus impeccabilis, fit sanctus? Quis eum sanctum fecit? Non Spiritus S. quia dignitas non solet trahere Spiritum S. Sed solùm gratia & charitas, non authoritas, quæ communicatur bonis & malis. Quia ergo Angelus Papa esse non potest, ergo Papa ùt Papa est homo, & ùt homo sic est Papa, & ùt Papa potest peccare, & ùt homo potest errare. Fuerunt enim multi eorum, ùt legitur in Chronicis, non penitùs spirituales, sed eorum actus civiles, contentiosi, carnales, sequentes actus hominum, qui possunt mutuare, emere, vendere, percutere, occidere, mœchari, furari, rapere, decipere, falsum testimonium perhibere, in hæresim cadere. Item Papa non est supra Dei Evangelium; imò tantò magis debet illud observare, quantò magis est in dignitate constitutus. Christus dixit:* Si peccaverit in te frater tuus &c. *Cùm ergo Papa est meus frater, corripiendus est juxta processum præcepti Christi. Non ergo illud Decretum est tenendum: Papa à nemine potest judicari; nec est major Christo & Petro, aliisque Apostolis, quos legimus sæpius subfuisse pœnæ coactivæ, & jurisdictioni Principum sæculi realiter & personaliter. Nunquid Christus coram Vicario Imperatoris dixit*: Regnum meum non est de hoc mundo. *Omne regnum in hoc sæculo cujusquam coactivum est humanum & corruptibile, sed regnum Dei est incorruptibile. Quis igitur Papa (si est maleficus & criminosus) eximatur? quin legislatoris coactivi judicio, exemplo sui Domini, qui non peccavit, sit subjiciendus, non video, nec ratio dictat. Redeundo ad propositum. Vel recepit Papatum ob privatam utilitatem, vel ob communem. Si ob communem, tenetur ad cessionem, etiam mortem pro bono communi; si ob privatum bonum, quis ei talem dedit authoritatem? Non parentes ejus, quia fortè fuerunt mercatores, & non Papa. Non virtutes ejus, quia tales virtutes non*

quæ-

quærunt, quæ sua sunt. Papatus non est sanctitas, nec facit sanctum, licèt volentem disponat ad sanctitatem. Nec Sedes Papalis facit sanctum, quia locus non sanctificat hominem, sed homo locum. Nec ornamenta Papalia sanctum faciunt, imò magis hæc eum vituperant, quantò vita ejus mala est magis nota. Dicitur: Sedes illa aut sanctum facit, aut sanctum invenit. *Sed hoc ita intelligitur*: Deberet sanctum invenire. *Ridiculum est dicere, quòd unus homo mortalis dicat se potestatem habere in cælo & in terrâ ligandi & solvendi, & quòd ille sit filius perditionis, simoniacus, avarus, mendax, exactor, fornicator, superbus, pomposus & pejor, quàm diabolus. Si Petrus talis fuisset, nunquam ei claves Christus contulisset. Utique non. Igitur non potest, nec debet humanum judicium præsumere, quòd sit homo peccator existens in tali & tantâ sede. Si per mala opera declaraverit, quid de ipso fiet, aut erit, videamus communiter. Certum est, nullam Remp. sinè unitate Principis posse subsistere, qui malos debeat coërcere juxta dictum Philosophi*: Expediens regno fuit habere unum Principem, ne malefici turbarent civium pacem. *Intendere ergo debet quilibet Princeps, ut corda civium sint tranquilla; & cùm Papa sit Princeps summus in Rep. Ecclesiasticâ Apostolicâ, debet intendere, ut Ecclesia sit in pace.*

De modis loco trium malorum Pontificum eligendi unum bonum. Dicit *ante procedendum viâ justitiæ. Sequitur via reconciliationis & via cessionis. Cùm notorium sit toti mundo, generale Concilium Pisanum justum & sanctum fuisse, constat, quòd privatio duorum de Papatu contendentium sancta fuerit, & sic electio Alexandri V. & pòst Joannis XXIII. justæ & honestæ fuerint. Alii duo tanquam hæretici errores suos recognoscant, & tunc reincorporentur. Si S. Paulus dixisset Petro:* Tu non es Papa, vel Episcopus Romanus, sed ego; *dixisset Petrus*: Proficiat tibi, procede & regna in Dei nomine, ùt affectas. *Si duo aut tres voluntariè nolunt cedere, restat ad remedia fortiora procedere, scilicet obedientias eis subtrahendo. Si nec isto modo poterit Ecclesia proficere, tunc dolis, fraudibus, armis, violentiâ, potentiâ, promissionibus, donis & pecuniis, tandem carceribus, mortibus convenit Ss. unionem quomodolibet procurare juxta dictum Tullii*: Leges volunt incolumem civium conjunctionem, quam qui dirimunt, mortibus, exilio, vinculis, & damnis coërceant. *Papatum ex Tullio definit, quòd sit* cœtus multitudinis, juris consensu & utilitatis communione sociatus. *Apostoli Symbolum componentes non dixerunt*: Credo sanctum Papam, sed: Unam sanctam Ecclesiam Catholicam. *Certum est, quòd existens in mortali peccato nec sit in Ecclesiâ, nec de Ecclesiâ, quæ est in charitate fundata.*

De jure convocandi Concilium dicit: *Ubi agitur causa Papæ, ut renuntiet Papatui, vel quòd deponi debeat propter suum malum vivere, & propter scandalum Ecclesiæ, nullatenus ad eum pertinet convocare Concilium, etsi esset unicus, indubitatus & universalis, sed ad Episcopos, & hi non tenentur, ve-*

nire ad locum, ubi Papa est Dominus, quia fideles non sunt servi sub lege, sed liberi sub gratiâ. Supra Papam habet Concilium universale eam superioritatem, ut possit jura nova condere, antiqua destruere; Papa nisi à Concilio generali commissionem habeat, nunquam dispensare possit.

De morum reformatione dicit: *Quid proficeret Ecclesia, si unum caput, seu unum Papam haberet; ille autem avaritiæ intenderet, commessationi vacaret, Beneficia venderet, furta reservatione faceret, omni die novas leges faceret pro habendâ pecuniâ in Camerâ? Ideo dixi, quòd Papa est deponendus propter malum vivere, scandalum, hæresin, propter quodcunque mortale peccatum, sicut est fornicatio publica, simonia. Concilium primò terminet potestatem coactivam, usurpatam à Papâ contra Deum & justitiam privando Episcopos suis authoritatibus, qui in primitivâ Ecclesiâ erant æqualis potestatis cum Papâ, quando nondum erant Beneficiorum reservationes, Indulgentiarum venditiones &c. Potestas Episcoporum quasi videtur exhausta & totaliter diruta, ita ut non videantur, nisi simulacra depicta, & quasi frustra. Qui in terrâ propriâ non possunt ordinari, in ejus Curiâ ordinantur de facili.* Carpit *Monasteria dari Cardinalibus in Commendam, dum pauperes Religiosi grandi penuriâ laborant. Christus non dedit Petro potestatem, ut regna, castra & civitates haberet. Tum de reformatione Ecclesiæ in Prælatis, Sacerdotibus, Monachis, de minuendo numero Fratrum Mendicantium. De convocatione Concilii faciendâ per Cardinales & Imperatorem. Veteres,* inquit, *tradunt Historiæ, omnia schismata Rom. Curiæ per Imperatores fuisse decisa, multa Concilia generalia authoritate Imperatorum fuisse habita super arduis negotiis Ecclesiæ. Otto I. Joannem XII. deposuit, Leonem VIII. subrogavit, Benedictum secum captivum duxit in Saxoniam; nec est credendum, quòd ille catholicus, devotus Princeps se de talibus impedivisset, nisi sanctè & licitè sic facere potuisset. Cur simile non posset fieri per alium Imperatorem. Verùm aliqui fortè dicerent, quòd Imperator non haberet contra Papam talia exercere propter distinctionem potestatis spiritualis & sæcularis significatam per verba Petri:* Ecce duo gladii. *Dicit hoc esse erroneum, cùm potestas coactiva puniendi spectet ad judices sæculares & omnis anima subjecta sit potestatibus, scilicet Regibus, Principibus & Tribunis. Episcopus Rom. sit Pontifex animarum post Christum, & Imperator sit Dominus corporum post Deum.*

Monet, ut caveat universalis Ecclesia, ut nunquam sub quovis colore concedat Papæ potestatem dispensandi contra statuta Concilii, aut ea interpretandi propter varietates temporum & novos casus, sed ut hoc fiat per aliud Concilium generale fiendum de tempore in tempus. Monet, ut potestas universalis Ecclesiæ non communicetur Papæ; quia sic Papa esset universalis Ecclesia, esset corpus totum & membrum, omnis christianus esset in Papâ, & Papa esset. Nec potest negari, inquit, *quin Papa, sibi usurpando aliorum Episcoporum jurisdictionem & honorem, per hoc peccet mortaliter, quia contra legem naturalem &*

S. Evan-

S. Evangelium facit, *quibus præcipitur*, ne quis faciat alteri, quod sibi non vult fieri. Qui tollit, *inquit*, ab omnibus proprias operationes, certè secundùm Philosophum tollit ab eis proprias formas. *Sicut ergo Papa se non audet intromittere contra Evangelium*, *ita nec valet potestatem Episcopis à Christo collatam sibi reservare. Cùm sit dispensator bonorum Ecclesiæ*, *non Dominus*, *non debet maledictas & rapaces reservationes beneficiorum statuere*, *quæ in primitivâ Ecclesiâ non sunt visæ*, *nec auditæ. In Rom. Curiâ omni die fit sermo de castris*, *de terris*, *de civitatibus*, *de generibus animorum*, *de pecuniis*, *sed rarò*, *vel nunquam ibi fit mentio de castitate eleemosynâ*, *justitiâ*, *fide*, *sanctis moribus*, *ita ut*, *quæ solebat esse Curia spiritualis*, *jam facta sit mundialis*, *diabolica*, *tyrannica*, *& pejor in moribus*, *quàm alia Curia sæcularis. Omnia mala*, *hæreses*, *schismata & scandala processerunt*, *postquam has rapaces reservationes & pecuniarias constitutiones Papa cum Cardinalibus servari & habere voluerunt.*

Ad Imperatorem dicit *pertinere convocationem Concilii sub pœnâ peccati mortalis & gehennæ perpetuæ. Eo absente vel non existente pertinere ad Reges Franciæ*, *Angliæ*, *Hungariæ*, *Apuliæ*, *Hispaniæ*, *nec non Burgundiæ*, *& alios. Præterea ad Duces Bavariæ*, *Austriæ*, *& alios*, *qui* non sine causâ gladium portant, *nec ad Principes tantùm devolvi convocationem*, *sed & ad communitates & alios Dominos sæculi*, *quòd si non essent*, *in casu possibili*, *devolvetur ad cives & rusticos pòst*, *usquequo deveniretur ad minimam vetulam. Sicut enim universalis Ecclesia potest salvari in minimâ vetulâ*, *sicut factum est tempore Passionis Christi*, *quia salva facta est in Virgine B. sic ad salvationem universalis Ecclesiæ posset convocatio Concilii fieri per minimam vetulam. Sicut enim Concilii Pisani convocatio justè & debitè facta per duos Cardinales secundùm omnes Doctores scribentes in illâ materiâ*, *sic propter defectum Imperatorum ad Reges primò*, *& pòst ad alios pertinet convocatio Concilii. Nec deberet mirari aliquis Papa*; *& alii*, *quòd illa convocatio spectet ad Imperatorem vel Regem. Instruunt nos Christi exempla*, *qui Matrem descriptioni Augustali subjici voluit*, *staterem pro tributo solvit*, *& à Pilato judicari sustinuit. Igitur Episcopi reddant*, *quæ sunt Cæsaris*, *Cæsari.*

Solvit dubium *de juramento ab Imperatore præstito. Intelliguntur*, inquit, *omnia juramenta Papæ vel cuiquam alteri personæ privato mortali præstita salvâ semper utilitate*, *curatione & sanatione totius corporis. Sicut si Rex iniquus in populum vellet desævire*, *non tenentur subditi juramentum fidelitatis ei præstitum in aliquo observare : nam in curatione cujuscunque Reip. subditi fiunt Domini & Judices Dominorum & Superiorum proprias utilitates cum detrimento Reip. amantium. Si hæc responsio minùs bona videtur*, inquit, *aliter dicitur*, *Imperatorem ad juramenta non teneri in eo casu*, *sed statim posse contendentes ad cedendum compellere*, *rebelles armis invadere*, *muneribus seu promissionibus eos capere*, *& diris carceribus mancipare. Nam talibus fi-*

des denegatur, propter quos Ecclesia scinditur, frangenti fidem, fides frangatur eidem. *Postea impugnat constitutiones pecuniarias schismaticorum Pontificum illius temporis Alexandri V. & Joannis XXIII.*

Denique perstringit titulum: Servus Servorum Dei. *Dicit: Papæ solùm est attributa potestas denuntiatoria absolutoria. Nam quem absolvit, ostendit esse absolutum in Ecclesiâ, quem ligat, ostendit in Ecclesiâ militante esse ligatum, & ista est sententia omnium Doctorum Theologorum. Quod patet. Nam Papa non remittit peccata, sed solus Deus est ille, qui delet iniquitates. Sed bene absolvit, hoc est, absolutum ostendit; sicut Lazarus primò fuit à morte resuscitatus, & postea per discipulos solutus, ideo Christus dixit leprosis*: Ostendite vos Sacerdotibus. *Quos ipsi absolutos ostendunt, militans Ecclesia pro absolutis recipit, secus autem de Ecclesiâ triumphante, quando clavis errat. Sed ponamus, quòd Papa non curet de ista expositione, quæ tamen verissima est, & rationis secutiva, sed dicat: Certè potestatem habeo in cælo & in terrâ, in purgatorio, in paradiso, & de plenitudine potestatis meæ possum facere, quod mihi libet, & nullus debet esse, qui dicat, cur hoc facis? Revera tunc Papa non deberet mentiri, dicendo*: Servus Servorum Dei, *sed*: Dominus Dominorum mundi.

Denique suâ crisi expendit sigillum papale ominosum, & quasi miraculosè appositum repræsentans capita, inquit, *Pauli & Petri. Primùm caput est Pauli, qui nunquam fuit Papa nec Episcopus. Secundùm verò Petri, qui fuit Papa. Dicit significari hâc conjunctione, quòd clavis scientiæ sit necessaria & magis quàm potentiæ. Sicut ad Papam pertinet præcipere, corrigere, ita principaliùs ad eum pertinet prædicare, fidem Christi defendere, sed quomodo clave potentiæ poterit ligare & solvere, qui nunquam studio Theologiæ voluit intendere, nec unquam novit prædicare verbum Dei? Ergo oportet, ut primò clave scientiæ vigeat, & pòst clave potentiæ floreat. Christus non elegit potentem in armis, ut esset Papa ad defendendum temporalia; non fecit Papam bonum reparatorem, agricolam, non venit reparare castra lapidea, sed templa spiritualia, seu animas. Si defendere armis Ecclesiam voluisset, nequaquam piscatorem elegisset, sed fortiorem Soldatum, quem reperire potuisset; tamen nequaquam hoc voluit facere. Si bonum reparatorem temporalium habere voluisset, meliorem rusticum pro agris colendis, vineis plantandis, aut domificatorem, qui meliùs muros facere potuisset, elegisset. Nec mirum, quòd in Papâ requiratur, ut sit summè literatus: Nam si Imperator debet summatim nôsse, quid in Catholicis approbet aut confirmet, quid in hæreticis reprobet aut extirpet, multò fortiùs hæc requiruntur in Papâ; quia Christus Ecclesiam suam duxit committendam sanctis & virtuosis, prudentibus & literatis, quod notatur per hoc, quòd primò Apostolos decoraverit sanctitate, dum dixit: Accipite Spiritum S. & in Pentecoste eos fecerit plenos scientiâ.* Hæc summa est pessimi operis. Quis non videt *insanias falsas*? Quis ex hoc fonte cum Febronio bibat?

XXV. Eodem ſpiritu tranſit ad cenſuram Conſtitutionis Pontificiæ, quæ *Bulla COENÆ* dicitur. Ex ejuſdem articulis hanc facit illationem, quòd vel Romani pleroſque Gallos pro excommunicatis habere debeant, quod agnoſcit non fieri, vel quòd ipſimet agnoſcant ſolam publicationem Romæ factam effectum alibi non producere, & quòd, dum publicatio in Galliis eſt negata, nullam ſummo Pontifici juriſdictionem & legiſlativam poteſtatem agnoſcant.

XXVI. Ab ipſiſmet Gallis improbæ huic illationi contradicitur, neque dum, ùt aſſerit Febronius, Germani propter mixtam in terris noſtris Religionem, & mores pactis publicis firmatos Bullam *Cœnæ ſimpliciter & quoad omnia, & in omni rigore* non receperunt, poteſtate legiſlativâ ſupremâ in materiâ ſpirituali Rom. Pontificem deſtituunt. Scit ſancta Sedes leges, quæ Hæreticis infamiam inferunt; eos inteſtabiles faciunt; eorum filios ſacris ordinationibus interdicunt, in Germania vim, quàm primi conditores voluerunt, non habere per piam S. Matris indulgentiam. Scimus in matrimonii cauſis multa benignè concedi his, qui ad ſacra noſtra felici mutatione redeunt, non ut faveat Eccleſia erroribus, ſed ut errantes ad viam veritatis alliciat. Latere non debebat ICtum catholicum, quæ de conſtitutionibus Pontificiis, de conſuetudine contra legem ipſo etiam Decretalium jure definiuntur.

XXVII. His de Bullâ *Cœnæ* eo, ùt dixi, ingenio tractatis tranſit ad diſcuſſionem *Regularum Cancellariæ*. De his profert hæc pauca: *Aliæ ex his Regulis receptæ ſunt propter internam & æquitatem & bonitatem*; *aliæ non; quia cum juriſprudentiâ Germanicâ & Gallicâ Eccleſiaſticâ non concordant. Aliquarum ſic receptarum non admittitur derogatio aut diſpenſatio, ſi, ùt facilè ſit, ea Romæ obtineatur.* Repeto, quòd dixi, plus à Febronio non tribui conſtitutionibus Pontificiis, quàm legibus Sinenſibus aut quibuſcunque exoticis peregrinarum poteſtatum placitis, dum ob ſolam *internam æquitatem & bonitatem* prudenter & rationi congruenter recipiuntur.

XXVIII. Sic Böhmerus, dum de Concordatis Germaniæ loquitur, dicit *per inſtrumentum pacis Weſtphalicæ inſtituta antiqua Papalia ſublata non eſſe, ſed tantùm injuſto poſſeſſori* (Rom. Pontifici) *ablata*, *adeóque per conſequentiam ſecundùm ſtatum priſtinum, quem per Concordata acceperunt, in Principes Proteſtantes Germaniæ eſſe translata*, utique propter internam æquitatem & bonitatem, quam pro utilitate Proteſtantium libenter, quòd ſibi expedit, amplectentium, non propter Pontificis cum Imperatore paciſcentis authoritatem. *Boehm. ad tit. de Conſtit.*

XXIX. Ad Barthelium Febronius perperam provocat, ut probet ejus docti Scriptoris teſtimonio non admitti derogationem aut diſpenſationem Regularum in Germaniâ receptarum. Caſum recentem proponit Barthelius cujuſdam reſignationis Paderbornenſis, in quâ contra expreſſam petitionem ſuppli-

plicantis omisit procurator petitioni provisionis Apostolicæ adnectere verba exprimentia petitionem supplicantis pro obtinendâ derogatione regulæ *de Viginti*, seu *de infirmis*. Nata inde quæstio, an gratia principalis propter defectum solius procuratoris culpâ commissum suo effectu destituatur; ita visum est Turnario Canonico, & Bullæ sanatoriæ pro resignatario in Curiâ expeditæ recursui ad Concilium Imperiale se opposuit. Oppositionem hanc laudat Barthelius, putátque, quòd, cùm hâc Regulâ favori Episcoporum prospectum sit, non potuerit esse intentio paciscentium, per quos Concordata composita sunt, liberè huic regulæ iterum derogandi. Quidquid de hac Barthelii opinione sentiatur seu in thesi, seu in dicti casûs Paderbornensis hypothesi, hoc certum est, quòd testatus non sit *hujus regulæ derogationem aut dispensationem non admitti*, dum si thesis ipsa spectatur, notissimum est gratiam hanc accessoriam frequenter annecti.

XXX. Quasdam regulas Cancellariæ ait in Galliâ & Germaniâ non recipi hanc ob causam, quòd cum jurisprudentiâ Ecclesiasticâ Germanicâ & Gallicâ non concordent; novum hoc Febronii commentum est. Causam ICti theoretici & practici Germaniæ ad Concordata referunt: Horum vigor supremam summi Pontificis authoritatem supponit ab Imperatore & Imperio Germanico agnitam; ideo non Concordatis, sed moribus ac jurisprudentiæ nostræ nationis maluit adscribere, quòd quædam receptæ non sint.

XXXI. Declarationes Cardinalium S. Concilii Trid. interpretum *Rom. Pontifices* (dicit Febronius) *pro legibus haberi volunt.* Audacter ad institutionem Prosperi Card. Lambertini inter ejus *Institutiones Ecclesiasticas* centesimam septimam provocat.

XXXII. In eâ Canonicis suæ Archidiœcesis, quam tunc moderabatur, normam optimam præscribit. Dicit non deesse, qui pro suis sententiis confirmandis in suæ relaxationis patrocinium decreta sacrarum Congregationum afferunt vel nunquam condita, vel eorum assertis contraria, vel peculiaribus rationibus & causis innixa, se autem vera sacræ Congregationis decreta non mediocri labore descripsisse.

XXXIII. Cur autem S. Congregationis decreta Scriptorum opinionibus anteferat, dicit has esse causas: Scriptores de quæstionibus verba faciunt, illas autem S. Congregatio dissolvit. Præterea summi Pontifices S. Congregationem solam Synodi interpretem statuerunt, cùm plerùmque opus sit ejus interpretatione. 3. Dicit, imprudentissimus esset, qui contenderet, majoris ponderis habendum esse privatum hominem, qui tantùm suæ mentis lumine ducitur, quàm judicium præclarissimi cœtûs, quem amplissimi Cardinales Ecclesiasticæ disciplinæ & sacrorum Canonum peritissimi constituunt. 4. Quia privati Scriptores nullam indicere legem possunt, quæ authoritas à summis Pontificibus ei Congregationi tribuitur, ut Ecclesiæ disciplinam per universum orbem amplificet; quod declarat verbis Bullæ Sixti V. *Habeat*

Con-

Congregatio potestatem promovendi reformationem Cleri & populi, etiam in universo christiano orbe in his, quæ pertinent ad divinum cultum propagandum, devotionem excitandam, & mores christiani populi ad præscriptum ejusdem Concilii componendos. Denique hanc addit, quòd, si qua de his, quæ ad Concilium spectant, controversia excitetur, non ad privatos Scriptores, sed ad ipsam Congregationem provocetur. Fatetur Febronius Declarationes hujus Congregationis *nullibi publicari ùt leges.* Hoc certum est, quòd ne Romæ quidem per modum constitutionis aut legis publicentur, sed per literas à Card. Præfecto & Secretario subscriptas respondeatur ad articulos judicio sacræ Congregationis submissos, nisi Pontifex publicationem in formâ constitutionis generalis fieri mandaverit, ùt rectè Van Espen observavit. *Van Esp. p. 1. tit. 22. C. 5.*

XXXIV. Quâ fide igitur scripsit Febronius, quòd Pontifices velint eas pro legibus haberi, præsertim cùm ex ipsismet Card. Lambertini verbis abunde colligatur, quâ significatione Sixtus V. authoritatem ei Congregationi tribuerit, & cùm Benedictus XIV. in *libro de Synodo* formam & modum respondendi dictæ S. Congregationis plurimis exemplis exhibeat. Sed apertiùs ejusdem impudentia se prodit, dum laudatam Congregationem contra ipsummet Concilium Trident. dicit in judicando procedere, eò quòd *non à viris è provinciis, unde difficultates oriuntur, evocatis, quod sacram Synodum* dicit *voluisse, sed à talibus, qui præjudiciis Rom. Curiæ occupati sunt, declarationes condantur, & quidem juxta Rom. praxin & Pontificias constitutiones alibi non receptas.* Citatur Sessionis XXV. decretum *de Recip. & observ. decret. Conc.* In eo autem disponitur: *Si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, ..confidit S. Synodus Beatissimum Rom. Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis præsertim provinciis, unde difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilii generalis celebratione, si necessarium judicaverit, vel quâcunque ratione commodiore ei visum fuerit, provinciarum necessitatibus pro Dei gloriâ & Ecclesiæ tranquillitate consulatur.* Impudentiæ accedit imprudentia postulantis, in quibuslibet causis, quæ ad dictæ Congregationis cognitionem referuntur, evocationem peritorum è provinciis ad danda consultantibus responsa. Jam dixi, multis præconiis Episcopos Belgas laudâsse decreta de matrimoniis mixtis in Hollandiâ & provinciis conterminis, quæ post Episcoporum relationes & examen resolutionum, de his matrimoniis à tempore Concilii Trident. usque ad nostram ætatem Romæ variis in causis, & casibus datarum prodierunt; ea constat, omnes Episcopos & Pastores tanquam regulam certam promptissimè esse amplexos, etsi Romam ex illis provinciis, unde difficultates ortæ fuerant, nemo sit evocatus. Non frustra Patres Concilii addiderunt: *Quos Beatissimus Rom. Pontifex negotio tractando viderit expedire. Si necessarium judicaverit. Vel commodiore quâcunque ratione ei visum fuerit.*

Bened. XIV. L. de Syn. c. 24. & passim.

XXXV. Improba illa calumnia dissimulari non debet, quòd declarationes

 dicat

dicat confici ab *hominibus*, *qui præjudiciis Curiæ occupati sunt*, *neque aliam normam sequuntur*, *quam praxin*, nescio quam, & *constitutiones alibi non receptas*. In jam dictâ quæstione de matrimoniis Benedictus XIV. & S. Congregatio Concilii ad decretales antiquas de hæreticis non attenderunt.

XXXVI. Iterum Prosper Lambertinus seu Benedictus XIV. & Prosper Fagnanus crisi petulante suggillantur, quòd falsis principiis imbuti fuerint. Sed de his copiosè actum in Dissertat. 3.

XXXVII. Jussu Urbani VIII. S. Congregatio Concilii declaravit, fidem non esse adhibendam decretis impressis, imprimendis, aut manuscriptis novum aliquid præcipientibus, nisi in authenticâ formâ, solito sigillo & subscriptione Præfecti ac Secretarii Congregationis munita fuerint. 1631. 2. Aug. Aliâ Bullâ 20. Decemb eodem anno idem Pontifex omnes concessiones vivæ vocis oraculo factas revocavit. Ea semper fuit Rom. Pontificum solicitudo & providentia, ut nemo falsis decretis decipiatur, & ut integerrima semper maneat celeberrimæ illius & utilissimæ Congregationis authoritas. Decisiones Rotales quadantenus declarationibus S. Congregationis æquiparat. Si uniformes, inquit, & sæpè repetitæ sint, Canonistæ Rom. dicunt stylum Curiæ, praxin, imò & jus formari. Scire debebat JCtus particularium casuum varietatem obstare rationi legis generalis. Esto plures esse uniformes, non ideo rectè concludet semper eandem omnino novi casûs esse conditionem, cùm aliquid possit accedere, quod judicem ab illis etsi sæpè repetitis decisionibus prudenter & justè abscedere faciat. Rectè inquit Pavinus S. Rotæ Auditor decisiones in Curiâ facere jus adinstar styli, extra Curiam censeri tanquam responsa prudentum.

XXXVIII. Iterum ad Gersonem se convertit, cujus jam hoc dictum laudat: *In utrâque Rep. propter decretum Gratiani & Decretales varia succrevisse & succrescere schismata.* Hoc oraculum usque adeo oblectavit Febronium, ut in eodem hoc §. bis memorandum censuerit.

XXXIX. Huic adjungit Guillielmum Majorem Episcopum Andegavensem. Hunc dicit Concilio generali Viennensi interfuisse; & subscripsisse; postea Synodum in suâ diœcesi fecisse, in quâ præter quatuor Concilia generalia prima & alia laudavit constitutiones summorum Pontificum ad reformationem Ecclesiæ & præsertim Clericorum. *Instinctu Spiritûs S.* eas dicit *divinitus successisse pro varietate temporum & rerum exigentiâ.* De his Conciliorum præsertim quatuor maximè principalium statutis & summorum Pontificum decretis dicit: *Ad S. Matris Ecclesiæ & fidei orthodoxæ stabilimentum*, *instructionem morum*, *repressionem criminum*, *propagationem virtutum procul dubio sufficere viderentur*, *nec opus esset onerosâ novorum multitudine statutorum. Verùm quia multa de prædictis decretis Conciliorum & Pontificum tam propter negligentiam Prælatorum*, *quàm propter abusum subditorum & corruptionem in desuetudinem abierunt petulantiâ & insolentiâ animorum*

morum indomitorum, maximè Clericorum temerè violantur, idcirco eadem statuta renovare esset perutile toti mundo, & panes similagineos Ss. antiquorum Patrum apponere mensis filiorum, potiùs quàm siliquas porcorum & panes furfureos modernorum. Glossator ejus Synodi Febronius antiquos Ss. Canones dicit à Guillielmo Majore significatos figurâ panum similagineorum, recentes autem collectiones & decretales per siliquas porcorum & panes furfureos modernorum indicari.

XL. Primùm quæro, cur idem ipse Guillielmus Concilio Viennensi subscripserit, si quidquid tunc recentissimum erat, ad siliquas porcorum & panes furfureos pertinebat? Quæro etiam, cur Febronius decretis summorum Pontificum idem, quod Andegavensis, non tribuat, nempe instinctu Spiritûs S. divinitus ea esse composita, & ad fidei stabilimentum & morum instructionem Canonibus Conciliorum antiquorum pro varietate temporum, & rerum exigentiâ successisse?

XLI. Clemens V. Concilium, illud non putavit esse superfluum, sed necessarium, ut *extirpatis vitiis virtutibúsque plantatis, & correctis excessibus, & moribus reformatis Christus verus Ecclesiæ sponsus eam babeat maculis purgatam.* Multa in eo de moribus & disciplinâ novis decretis statuta esse ex Clementinis in hoc Viennensi Concilio sancitis discimus. Recentia erant ætate Guillielmi Majoris Decreta duorum Conciliorum generalium Lugdunensium I. & II. at verò etiam in his multa utiliter pro reformatione morum ordinata sunt, ùt præsertim Gregorius X. in Bullâ Indictionis Concilii significat. Hæc omnia ideo, quòd recentia sint, contemnere tantò est imprudentius, quantò minùs sola antiqua Decreta primorum quatuor Conciliorum & veterum Rom. Pontificum accommoda erant his malis evellendis, quibus in XIII. sæculo & sub initium XIV. Ecclesia premebatur.

§. IV.

Ostenditur Tournelii argumenta pro verâ & propriè dictâ Jurisdictione Rom. Pontificis malè refutari à Febronio.

1. *Tournelius negat infallibilitatem Rom. Pontificis, Primatum veræ jurisdictionis affirmat.*
2. *Febronius impugnat probationem Tournelianam ab authoritute Concilii Ephesini.*
3. *Refellitur ex his, quæ fieri mandavit S. Cœlestinus.*
4. *Febronius falsò asserit, S. Cyrillum antea anathematizâsse errores Nestorii.*
5. *Falsò asserit, quòd Nestorius alios Episcopos excommunicaverit sinè jurisdictionis specie.*

36. *Verba*: Rom. Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram, *pessimè explicat.*
37. *Etiam verba*: Obedientiam spondeo & juro.
38. *Inepta citatio Roberti Lincolniensis*,
39. *Et S. Bernardi*,
40. *Et Ss. Pontificum.*

I. Contra Tournelii Tractatum de *Ecclesiâ* duo, qui ipsi inter se maximè dissident, certamen inierunt. Alter est P. Gallus Cartier Benedictinus Congregationis Argentinensis, qui negatam à Tournelio *infallibilitatem Pontificis* suo Tractatu de authoritate & infallibilitate summorum Pontificum in fidei & morum quæstionibus definiendis anno hujus sæculi 38. doctissimè propugnavit. Alter est Febronius, qui assertum à Tournelio *Primatum veræ ac propriæ jurisdictionis* debellandum sibi sumpsit, ut *merè directivam* authoritatem Primatui Pontificio conjunctam ostenderet.

II. Sic autem Tournelium aggreditur, ut regulam ab eo positam (quòd, quæ sit Rom. Pontificis jurisdictio, ex antiquâ & constanti Ecclesiæ traditione debeat per Concilia, Patres & gesta Pontificum dignosci) rectam & justam esse fateatur, sed à Tournelio rectè applicatam negat. Hoc ut ostendat, initium facit à Concilio Ephesino, à quo Tournelius eam Pontificis jurisdictionem dixit tunc agnitam fuisse, dum Patres Ephesini per epistolam Cœlestini Papæ se fatentur *ad pronuntiandam contra Nestorium damnationis sententiam esse compulsos.* Sic autem scripserat S. Cœlestinus ad PP. Synodi: *Direximus pro nostrâ solicitudine. . Arcadium & Projectum & Philippum, qui iis, quæ aguntur, intersint, & quæ à nobis antè statuta sunt, exequantur: quibus præstandum à vestrâ Sanctitate non dubitamus assensum, quando id, quod agitur, pro universalis Ecclesiæ securitate decretum est.* Hæc Febronius negat propriam jurisdictionem indicare; ait: *potiùs nudum Primatûs honorem & directionis officium significant.* Quare hoc? Quia quæ ante Synodum à quocunque gesta fuerint, reputari non debent *pro fructu seu effectu propriæ jurisdictionis vel imperii.*

III. Fatetur scripsisse Cœlestinum Cyrillo, quòd excommunicati à Nestorio ad communionem sint admittendi sinè ulteriori examine aut cognitione; ab eâ autem communione excludendus sit Nestorius, *si in hoc tramite perversitatis perdurârit, & infra* 10. *dies non condemnet scriptâ professione suas pravas prædicationes, & fidem profiteatur, quam tenet Romana & Alexandrina & universalis Ecclesia.* Etiam Cœlestinum addidisse, quòd eadem scripserit aliis Episcopis, ut *nota fit de eo*, verba sunt Cœlestini, *nostra, imò Christi divina sententia.* Fatetur etiam Febronius idem significantia ad Synodum ipsam scripsisse Pontificem. Quid his opponit Febronius? *Hæc omnia interpretationem accipere debent ex his, quæ de modo communicandi Eccle-*

starum inter se, speciatim Rom. Pontificis cum Alexandrino, & per hunc cum Ægyptiis dicta sunt C. 3. §. 4. Quid verò ibi dictum est? Recitantur ibi verba Cyrilli ad Cœlestinum, quæ magis jurisdictionem Pontificiam corroborant. *Digneris*, inquit Cyrillus, *quid sentias, præscribere, quò liquidò nobis constet, communicarène nos cum illo* (Nestorio) *oporteat, an verò liberè ei denuntiare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet, ac prædicat. Porro tuæ integritatis mens, & super hâc re sententia... Macedoniæ Episcopis, nec non totius Orientis Antistitibus per literas exponi debet,* Utraque epistola ostendit jurisdictionem & imperium, neutra consilium & deliberationem. Communioni restituuntur hi, quos Nestorius injustè excommunicaverat, & ita quidem, ut nullius vel Episcopi vel Synodi consensus exspectari debeat. Figitur tempus 10. dierum, quo finè pœnitentiâ Nestorii evoluto debeat fidelium communione privari. Non rogatur aliorum Episcoporum consilium, sed hi literis informantur à Cœlestino, quæ sit Pontificis, *imò Christi sententia* de Nestorio. Cyrillus aliique Episcopi congregati exspectant declarationem Cœlestini, an vitandus sit Nestorius, an cum eo adhuc sit communicandum. Hæc suprà copiosiùs dicta repetere cogit Febronius. Pergit: *Negatâ Nestorio reliquorum Episcoporum communione per se fluebat ejus cathedræ de alio Antistite providendum fuisse mediante Alexandrino.* Quis negavit illam? Cœlestinus. A quo Cyrillus authoritatem accepit in causâ Nestorii? A Cœlestino. Cujus declarationem exspectavit Cyrillus, an sit, vel non sit continuanda cum Nestorio communio Episcoporum? Unius Cœlestini. Maximianum in depositi Nestorii locum surrogatum esse Patres Ephesini significârunt Cœlestino, qui justam ejus exaltationem ratam habuit: *Talem*, inquit, *Successorem quærebat Sisinnii beata simplicitas. Etenim meliùs agimus, si abstinentes ab illius sacrilegi* (Nestorii) *nomine Sedem vacâsse dicamus*, nempe ut Maximianus non Nestorii Successor dicatur, sed Sisinnii.

IV. Pergit Febronius: *Excommunicare heterodoxum, ejúsque scripta pertinebat ad jus omnium orthodoxorum Episcoporum.* Cyrillus jam antè cum Ægyptiis Episcopis Nestorii doctrinam anathematizaverat. Doctissimus Cyrillus nescivit hoc jus Febronianum, dum à Cœlestino exspectabat cum aliis Episcopis declarationem Cœlestini de rumpendâ vel continuandâ communione cum Nestorio. Sapienter ac providè Nestorii nova asserta examinaverat, ut Monachis suis, qui Cpoli degebant, paternè prospiceret, cósque securiùs exhortaretur ad vitandum novum errorem. Non misit Cyrillus ex Ægypto Cpolim ad Clerum & populum, neque ad alias Asiæ Ecclesias sententiam excommunicationis suâ authoritate conceptam, sed suis Monachis instructionem opportunam impertivit. Ut autem Clerus & populus legitimâ authoritate doceretur, Cœlestini literas exspectavit.

V.

V. Addit Febronius ex ipsismet verbis Cœlestini à se relatis *apparere, quòd Nestorius ipse alienos à suâ opinione Episcopos excommunicaverit, attamen sinè jurisdictionis specie vel obtentu.* Non dixit Cœlestinus, quòd ii, quos excommunicavit Nestorius, fuerint Episcopi. Philippus Presbyter cum aliis Clericis cœtum fecerat Cpoli, ut de communi periculo consultarent. Accersitis illis Nestorius irâ furens exprobravit, quòd cœtum facere ausi fuerint. His, quod fecerant, fidei causâ factum esse causantibus, sententiam excommunicationis illico pronuntiavit Nestorius, nondum ipse suâ authoritate exutus, Non ergo species vel obtentus jurisdictionis, sed jus deerat Nestorio.

VI. Vide nunc, nisi caliginem obduxerit fascinus erroris, quàm à vero aliena sit hæc illatio, quâ concludis Febroni, omnia illa *sinè superioritatis Ecclesiasticæ usu aut jure facta fuisse*, quæ facta sunt à Cœlestino in causâ Nestorii. Juridica erat depositio facta per Cœlestinum; juridica erat, quæ facta est per Synodum.

VII. An Synodum Ephesinam Theodosius junior convocaverit, impertinens est. Cùm Candidianus aliique faventes Nestorio animum Augusti in ejus favorem deflectèrent, & Episcopi non pauci eidem Hæresiarchæ adhærerent, gratum fuit Cœlestino ad confundendam Nestorii, ab imperiali protectione multa sperantis, audaciam Concilium convocari; eóque statim Legatos misit, & communem Ecclesiæ utilitatem tum literis, tum Cyrilli & Legatorum operâ promovit, & Theodosii validâ manu Synódalia definita ad executionem speratam perduxit. Quid ad refutandum Tournelium attinebat, quisnam Synodum Ephesinam convocaverit?

VIII. Lepido discursu hanc Tournelii refutatiónem claudit Febronius: *Attamen*, inquit, *negandum non est, quin Cœlestinus, ùt primùm à Cyrillo monitus fuerat de prævaricatione Nestorii, jure Primatûs sui usus in hunc insurrexerit, eum ùt hæreticum excludendo, Ægypti Episcopos excitando, ut se Nestorio opponerent, eum etiam, nisi intra breve tempus resipisceret, suâ sede movendo. Neminem* autem *vel mediocriter eruditum*, subtiliter admodum observavit *asseruisse*, quòd *eo ævo jus deponendi Episcopos Rom. Pontifici competeret, aut ab eo exercitum fuerit.* Si nemo Pontificem super Nestorii prædicatione informâsset, constare non poterat Romæ, quid Cpoli ageretur. Si *jure suo insurrexit contra prævaricatorem*, si eum *à communione exclusit*, si *& Sede suâ movit*, quis bonæ mentis non asserat exercuisse Cœlestinum *jus deponendi Episcopum*? Quid interest inter: Jus deponendi Episcopum exercere, & jure suo Episcopum Sede suâ movere?

IX. Transit Ephesô Chalcedonem Tournelius. Proponit verba Paschasini Legati: *Beatissimi atque Apostolici Viri Papæ Urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus Apostolatus, ut Dioscorus non sedeat in Concilio, sed audiendus*

dus intromittatur. Hoc nos observare necesse est. Etiam hæc: *Sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo per nos & per præsentem S. Synodum unà cum ter Beatissimo & omni laude dignissimo Petro Apostolo, qui est petra & crepido Ecclesiæ catholicæ & rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tam Episcopatûs dignitate, quàm etiam ab omni Sacerdotali alienavit ministerio.* Addit Legatos minatos esse, si rata non habeatur Leonis definitio, libellos Romam mittendos. Leonem à Patribus rogatum his verbis: *Rogamus & tuis decretis nostrum honora judicium, & sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & summitas tua filiis, quod decet, adimpleat.*

X. Quid ad hæc Febronius? *Varia ejus Concili Acta* (dicit) *prætaxantem aliquam authoritatem Pontificiam comprobant, & jus præsidii in Conciliis generalibus, non autem propriam & immediatam jurisdictionem in Episcopos.* Si quis curiosiùs inquirat, quæ sit notio authoritatis *prætaxantis*? aliquam forsan à Febronio inde accipiet, quòd dicat *præparatoriè ordinâsse Leonem, ut Dioscorus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur.* At verò quàm parùm authoritatis Febronius inde censeat accessisse, ostendit per hoc, quòd obstiterint judices & commissarii Imperatoris, tandémque post plures altercationes concesserint locum distinctum, ut non velut unus ex Patribus locum occuparet suæ dignitatis, sed reo convenientem. Depositionem Dioscori dicit esse factam à totâ Synodo, sed in depositionis sententiam præiisse Legatos seu Vicarios S. Leonis verbis suprà recitatis, prolatâ autem sententiâ dixisse Vicarios: *Igitur sancta hæc & magna Synodus, quæ placent regulis, super Dioscoro decernat.* Post hæc suffragia dedisse *singulos*, & *sententiam* in Dioscorum conceptam *probâsse.*

XI. Etsi hæc ipsa Febronii narratio ostendat S. Leonem non stetisse intra terminos *meræ propositionis*, sed ante suffragia Patrum protulisse contra Dioscorum *sententiam*, Febronius tamen subjungit: *Evidens autem est, quòd Episcopi supponerent eum à Synodo, non autem à solo Leone esse damnatum.* Si quidem hoc velit, synodalem damnationem proximè non fuisse subsecutam, verum dicit. Ast non minùs verum est sententiam dixisse Legatos solius Leonis vice & jussu & authoritate ante suffragia Episcoporum. Solus Leo jussit conceptis verbis ea loqui Vicarios, quæ Patrum postea de Dioscoro judicantium communi decreto confirmata sunt; sicut Martini Lutheri dogmata per Bullas Leoni IX. damnata sunt, antequam ob œcumenicâ Trid. Synodo damnarentur. Potuit illa Leonis X. damnatio Hugoni Grotio videri *non regulariter gesta*, & potest Leonis I. contra Dioscorum sententia videri *non regulariter gesta* Febronio. At nec Patres Chalcedonenses de judicii præoccupatione querelas fecerunt contra Leonem I. nec Tridentini Patres contra Leonem X.

XII. Notum est ex Actis Orientalium Conciliorum, Asiaticos verbosiùs vota dixisse in Conciliis juxta morem Orientalium, non receptum à Latinis;

ast

aſt nec Simeon ille Amydenæ civitatis Metropolita, nec aliorum quiſquam inter Patres Chalcedonenſes aliquid dixit, quod oſtendat plus juris Leonem non habere, quàm *proponendi, & auditis ſuffragiis communem Patrum ſententiam publicandi.* Imò non tantùm de præoccupatione judicii queſti non ſunt Patres, ſed & rogârunt Legatos, ut, cùm Leonis ſummi Pontificis locum teneant, in Dioſcorum ſententiam ferant.

XIII. In Actione IV. Epiſcopos Ægypti tanquam Orthodoxos intaminatæ fidei Antiſtites agnoſcere Synodus noluit, quòd recuſâſſent ſubſcribere epiſtolæ S. Leonis, quamvis anathema dixiſſent Eutycheti: *Subſcribant* (inquiunt Patres Synodi) *epiſtolæ Sancti Leonis. Qui huic non ſubſcribit, hæreticus eſt.*

XIV. In Actione V. cùm inter Patres orta eſſet contentio, quibus verbis forma definitionis fidei ſit concipienda; ut clamores & diſcordiam compeſcerent Judices, propoſuerunt, quid de duabus Chriſti naturis dixerit Dioſcorus, & quid de his S. Leo, *quem*, inquiunt, *horum ſequimini? Sanctiſſimum Leonem aut Dioſcorum*? Reſponderunt omnes: *Ut Leo, ſic credimus. Leo rectè expoſuit.* Tum Judices: *Ergo addite definitioni : Secundùm judicium ſanctiſſimi Patris noſtri Leonis duas eſſe naturas in Chriſto unitas* &c.

XV. Cur Febroni, dum cætera, quæ de Concilio Chalcedonenſi prolixè hoc loco memoras, ex Van Eſpen Commentario in Acta hujus Concilii deſcribebas, hoc omiſiſti? In promptu cauſa eſt, nimiùm hoc S. Sedis Apoſtolicæ authoritati favere judicaſti. In ipsâ etiam Synodali damnatione Dioſcori ſententia fuit his verbis concepta: *Sanctiſſimus & beatiſſimus Archiepiſcopus magnæ & ſenioris Romæ Leo per nos, & per præſentem S. Synodum nudavit eum Epiſcopatûs dignitate.* In Actione VIII. Judices Imperiales dixerunt, *Theodoretum Eccleſiæ ſuæ reſtituendum eſſe, ſicut ſanctiſſimus Leo Archiepiſcopus judicavit. Clamaverunt omnes: Poſt Deum Leo judicavit. Theodoreto Catholico Doctori reddatur Eccleſia.* Ecce Febroni, quid de Leonis authoritate ſenſerint non tantùm Patres, ſed & ita dicti *magnificentiſſimi & glorioſiſſimi Judices.*

XVI. His ita, ùt jam expoſitum eſt, tractatis, Febronius pergit ad punctum confirmationis Concilii Chalcedonenſis. Dicit nullam confirmationem Decretorum, quæ fidem & Dioſcori depoſitionem ſpectabant, Patres petiiſſe, quia ſatis eſſe arbitrabantur, quòd Leonis *epiſtolam prælucentem, ipſumque* Papam ſibi *ùt membris caput præſidentem, ac ſpiritu præſentem ac pene in Legatis viſum habuiſſent.* Itaque, inquit, *nihil ampliùs deſiderabatur*; interim, inquit, haud diffitendum, quòd Pontifex *authoritatis ſuæ commendandæ multùm ſtudioſus confirmationem Concilii non petitam fuerit impertitus.*

XVII. Mirabili artificio Februniano S. Leonem hic diſcurſus extollit & deprimit, laudat & carpit. Confirmationem dicit nec petitam, nec neceſſariam fuiſſe, cùm Leo per epiſtolam præluxerit Patribus, tanquam caput mem-

bris præsederit, spiritu præsens fuerit. At contra vanitatis arguitur & authoritatis suæ commendandæ multùm studiosus. Occasio confirmationem non petentibus obtrudendi hæc scitè profertur, quòd improbato canone 28. Synodum totam improbâsse nonnullis videretur: *Ne ergo*, inquit, *per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum quæ in Synodo Chalced. per unanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbem, hæc ad omnes fratres & Coëpiscopos nostros, qui prædicto Concilio interfuerunt, scripta direxi, ut & fraterna universitas, & omnium fidelium corda cognoscant, me non solùm per fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium propriam vobiscum iniisse sententiam, in solâ videlicet fidei causâ, quod sæpè dicendum est, propter quam generale Concilium & ex præcepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari.*

XVIII. Eleganter S. Leonem & Anatolium facit *ire à pari*, dum Canonis 28. hanc dicit fuisse materiam, quòd *certa privilegia Episcopo Cpolitano tribuat, quæ sibi præjudicare Romanus existimabat.* Non rectè judicas Febroni, Rom. Episcopum hoc existimâsse. Duo distincta capita hujus canonis Leo impugnabat, ùt ex ejusdem S. Pontificis verbis observat P. Natalis. Primum erat, quòd primariæ Sedes Alexandrina & Antiochena suo ordine per S. Concilium Nicænum firmato destituerentur, & Sedi Cpolitanæ primum post Sedem Romanam locum dare cogerentur. Alterum erat, quòd Episcopo Cpolitano Metropolitani Asiæ, Ponticæ & Thraciæ Diœceseon subjicerentur, dum eorum Antistitum ordinatio juxta canones antiquos ad earum provinciarum Synodos pertinebat. Patriarchalium Ecclesiarum dignitatem deprimi, provincialium jura Primatuum convelli per Anatolii ambitionem iniquum Leoni videbatur. An Alexandrinus sit post Rom. Pontificem primus, an Cpolitanus, aut Antiochenus, damnum Sedi Rom. non inferebat; cujus ergo ingenii illa crisis est: *Romanus existimabat sibi ea privilegia præjudicare?* Audi Febroni ipsummet S. Leonem: *Privilegia Ecclesiarum Ss. Patrum canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis nulla possunt improbitate convelli, nullâ novitate violari. Ad meum*, inquit, *tendit reatum, si major sit apud me unius fratris voluntas, quàm universæ domûs Domini communis utilitas.*

P. Natal. Dissert. 15. a. 1.

XIX. Tandem, ne quaquâ ratione ea Concilii Chalcedonensis confirmatio aliquid argumenti afferat ad Primatum jurisdictionis & authoritatem S. Sedis Romanæ probandam, ridendo conatu ad significationem grammaticalem vocis *confirmare*, *confirmatio* se convertit. *Quidam Agapitus Episcopus Rhodiorum scripsit*, inquit Febronius, *ad Imperatorem: Occidentalium partium Episcopi literis propriis & oris sui confessione ea, quæ à Ss. Patribus Chalcedone interpretata sunt, confirmaverunt, atque consignaverunt. Stylo Ecclesiastico decreta confirmantur non modò ab æqualibus, sed passim ab inferioribus.* Ex titulo decretalium de confirm. util. vel inutil. ejúsque glossatoribus doceri

pote-

poterat Ictus Febronius, quæ notio huic voci tribuenda sit, dum de Papali confirmatione Conciliorum generalium fit quæstio. Doceri poterat à Patribus Concilii Trident. & Pio IV qui ab iis rogatus Bullam confirmationis Concilii edidit. Si Leo Imperator voluit, ut Concilium Chalcedonense omnium Orientis Episcoporum approbatione roboraretur, nec ab Episcopis tantùm, sed & ab Archimandritis & Monachis & præsertim celeberrimo tunc Simeone Stylitâ, non ideo ante horum subscriptionem firmitas perfecta deerat Concilio, sed suæ debitæ obedientiæ fecerunt indicium. Etsi vox: *Judicium*, significationem habeat, quæ non ad æquales tantùm, sed & inferiores extenditur, non tamen ea huic voci tribuenda est, dum S. Leo dixit, eos, qui nec à Clericis electi sunt, nec à plebibus expetiti, nec è provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati, pro Episcopis habendos non esse; idem de voce: *confirmatio* dicendum. Dum Julius invitatus ad Concilium Sardicense causas exposuit, quare venire Sardicam non possit, est excusatio propriè dicta, ut intelligatur *inferior*; at dum Leo Concilium Chalced. confirmâsse dicitur, est confirmatio impropria, ne intelligatur *Superior*. Sic Fleuryo & Febronio placuit.

XX. Transit ad objectam à Tournelio authoritatem Concilii Lateranensis celebrati sub Martino I. Fatetur certum esse, quòd ad Primatem universalis Ecclesiæ pertineat *primaria solicitudo, ut fides ubique maneat illibata, & refragantes damnentur:* Sed quos limites jam suprà fixerat authoritati summi Pontificis in causis fidei, eosdem nunc figit iterum, nempe hos: *Si hæreseos malum latiùs serpere velle videatur.* Et: *Si Episcopi, in cujus diœcesi nata est hæresis, authoritas ad eam supprimendam non sufficiat.* Tunc & non antè, ut bellissimè judicat Febronius, expedit summæ Sedis damnationem accedere. In eo tamen jam se Febronius præstat S. Sedi benigniorem, quòd tunc, si Episcopus loci, in quo nata est hæresis, ad eam supprimendam non sufficit, statim expediat damnationem summæ Sedis accedere; dum suprà volebat, priùs comprovinciales Episcopos & Metropoliticum debere experiri, tum suopte conatu, tum per Universitates suas, antequam Rom. Pontifex adeatur. De his nugis plùs quàm satis dictum est. Hoc repeto non posse his, qui res novas in materiâ fidei moliuntur, gratius dari consilium, quàm hoc Febronianum, quod ex Dupinio eum hausisse per consona utriusque verba suprà ostensum est. Reperit, iterum sinè probatione; *Jurisdictionem propriè talem ex illâ serotinâ Pontificiâ damnatione neutiquam inferri. Fidei tutelam omnes Episcopos peræquè tangere. Hæreticum à quovis Episcopo excommunicari posse.* Nihil *jurisdictionis ex illâ excommunicatione inferri*; quæ omnia satis diligenter suo loco discussa & refutata sunt.

XXI. De Concilio generali sentit, quod sentit Dupinius, hujus verba sunt: *Si pertinacius esset malum, nec tantæ Sedis judicio posset omnino extingui ob contumaciam hæreticorum vel schismaticorum, necesse esset hoc in casu Concilium*

 generale

generale congregari, ut infallibili ejus authoritate controversia terminetur. Febronius addit, *Concilium tale ultimatum esse judicem*; quanquam aliès acceptationem ab inferioribus Clericis, etiam laicis faciendam requirat, ut judicium sit *plenum & ultimatum.*

XXII. Declarat verum fixúmque hoc manere, quòd *in rebus quibuscunque maximi momenti nihil statuendum sit sinè Primatis accessu, & quantùm fieri potest, assensu.* Callidè hoc sibi effugium reservans: *Quantùm fieri potest*, ut dum negatur assensus, liberè statuatur, quod libet, Pontifice frustra repugnante. Hoc certè est pro arbitrio verba Concilii Africani ad Papam Theodorum ludificari, quibus non tantùm dicitur, *ad notitiam almæ sedis deducendum esse, quidquid in remotis provinciis de fide tractatur, sed & authoritate hujus almæ Sedis firmandam esse pronuntiationem, & cæteras Ecclesias inde velut de natali fonte sumere debere prædicationis exordium, ut puritatis incorruptæ sacramenta,* seu dogmata *salutis & fidei per totius mundi regiones dimanent.*

XXIII. His de Concilio Lateran. generali tam dexterè expeditis ad Concilium generale Florentinum digreditur, & statim sinistram græci exemplaris versionem Romæ editam incusat, quam, inquit, *primus & perperam an.* 1626. *edidit Abrahamus Cretensis.* Videamus, an justa sit accusatio. Græca verba sunt hæc: καθ' ὃν τρόπον καὶ. Sic ea vertuntur: *Quemadmodum etiam*; Rectène? Omnino; cùm analogus sit textus Act. 15. πιστεύομεν σωθῆναι καθ' ὃν τρόπον κἀκεῖνοι.
Act. Apost. c. 15. 11. *Quemadmodum &* seu *etiam.* Gallica versio à Card. Noaillio approbata est hæc: Nous croïons... que nous serons sauvés *aussi bien qu'eux.* Germanica Ulenbergii hæc: Wie auch jene. Injustè igitur incusat Abrahamum Cretensem. Perperam dicit hunc esse *primum*, cùm certum sit decreta Concilii Florentini statim & græcè & latinè fuisse edita; Latinos latino exemplo subscripsisse, Græcos græco. Neque ergo latinum exemplum potiùs est versio, quàm græcum. τὸ καὶ seu & non magis postulat aliud καὶ seu & subsequi, quàm textus S. Lucæ, in quo ea particula non est repetita, nec per To und à Germanis verti posset, nec à Gallis per To &. Utique à Bossueto didicit Febronius eum errorem historicum de versione è græco in latinum. Itaque τὸ καὶ ùt in textu S. Lucæ, ita in textu Concilii rectè ad verba anteriora pertinet.

XXIV. Patrum Florentinorum in decreto unionis ea est sententia: *Definimus... Rom. Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, gubernandi universalem Ecclesiam à D. N. J. C. plenam potestatem traditam esse*; consequenter esse juris divini; accedere autem; eique consonum esse jus Ecclesiasticum per Acta synodalia & Canones explicatum, *quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum & in Ss. Canonibus continetur.*

XXV. Pergit post lepidam illam cavillationem, quâ Illmum Bossuetum hâc crisi præeuntem imitari conatus est, eundem in eo etiam imitari, quod oppositionem Imperatoris Græci & Græcorum Episcoporum spectat. *Evacuatis*, inquit, *disputationibus*, *quæ decretum Unionis antecesserunt*, *à Græcis & Latinis in duo finaliter puncta convenitur*. 1. Ut in asserendo Primatu Rom. Pontificis nulla fiat mentio de dictis Sanctorum; quod fieri volebant & urgebant Romani. 2. Ut talis retineatur Primatus, qualis & in Actis Conciliorum generalium & in Ss. Canonibus assertus reperitur. Quid à Græcis actum, dictúmque, aut scriptum fuerit Ferrariæ, jam suprà, dum de Concilio Florent. & Card. Bessarione mentio fuit, ostensum est, tantùm ad historicam cognitionem pertinere, nec Rom. Pontificis authoritati officere; cùm unio secuta infirmet, quidquid inde argumentorum eliciatur. Quid enim momenti post fœdus inter Reges antea diuturno bello implicatos habeat, siqua pro hoc, aut pro alio Rege fuerunt postulata per Legatos, alterius juri contraria, de quibus in fœderis, seu pacis instrumento post nulla fit mentio? Timebant Imperator & hi ex Græcis Præsulibus, qui ferventiùs Latinis contrariabantur, ne elogia, quæ Ss. Doctores Rom. Pontificibus dederunt, instar privilegii divinitus Sedi Apostolicæ concessi post definitionem haberentur, ideo postulabant, ut de dictis Sanctorum nulla mentio fieret, sed poneretur: κατὰ τὴν ἐνέργειαν τῶν κανόνων, *juxta vim Canonum*. At verò quòd de omittendâ Sanctorum mentione convenerit inter Latinos & Græcos, *de suo deprompsit*, ùt multa alia, Febronius. Convincitur falsi per sess. 25. Concilii, in quâ declarârunt Græci, se agnoscere privilegia Papæ Romani *juxta Canones & dicta Ss. Patrum*, *& S. Scripturam*, *& Acta synodalia*.

XXVI. Pergit Febronius: *His de se ipsis sàt luculentis tria momenta subjungenda veniunt*. Priusquam hæc sigillatim expendantur, observandum est, Febronio omnia esse luculenta, quæ, ut systema suum stabiliat, undequaque seu ex libris quibuslibet, seu suopte ingenio congerit. Luculentum illi, quod dixit de versione verborum decreti Unionis. Luculentius adhuc, quod de duobus punctis Græcorum & Latinorum consensu firmatis confinxit. Hæc jam iterum dicit sàt luculenta. Primo addit *agnoscere* Bellarminum, quòd *Concilium Trident. hæc non ita expressè definiverit*. Quid illud Febroni? An hoc, quod contra Tournelium probare instituisti, *Rom. Pontificem non habere jurisdictionem propriè dictam*, „*quæ ex Conciliis probari possit*, *sed merè directivam?* At iterum hoc luculentum figmentum est. Superioritatem Rom. Pontificis supra Concilium generale Tournelius certè non asseruit, neque ideo hæc vindicanda hoc loco erat. Expressè superioritatem illam à Concilio Florent. definitam esse, ne hi quidem dicunt, qui eandem propugnant Romani. Thema Bellarmini in *cit. cap.* 13. *Lib.* 2. *de Conciliis*, ita conceptum est: An Concilium sit supra Pontificem. Aliud ergo *agnoscit* Bellarminus, aliud Febronius.

 XXVII.

XXXVII. Eò etiam ſpectat alterum ita conceptum: *Patres Trident. nullatenus, crediderunt capitalem illam quaeſtionem, quam hic tractamus, quaeque tam fervidè in eodem Concilio agitata fuit, in Florentinâ Synodo favore Papae fuiſſe deciſam.* Provocat ad illa, quae dixit cap. 1. §. 8. O lepidum diſputatorem! In eo §. 8. formam Eccleſiae monarchicam dicit in Concilio Trident (poſtquam acriter & magno fervore agitata fuit haec quaeſtio) non fuiſſe Rom. Pontifici deciſione Synodali attributam. In hoc §. 1. non juriſdictionem, ſed merè directivam authoritatem cum Primatu Pontificio conjunctam eſſe probandam ſuſcepit contra Tournelium, & quaeſtionem, quam hic tractat, capitalem vocat, & fervidè à Trident. Patribus agitatam & à Florentinis favore Papae non deciſam, etſi, an Primatus ſit tantùm honoris & ordinis & directionis, an verò pollens juriſdictione propriè dictâ, diſputatum non fuerit in Concilio Trident. & definitum fuerit à Florentino, quòd Rom. Pontifici in B. Petro data ſit poteſtas *paſcendi*, *regendi*, ac *gubernandi*, & quidem *plena*.

XXVIII. Tertium eſt, quòd in Concilio Trid. dicat Gallos negâſſe Florentino locum inter Concilia generalia, cùm ex quibuſdam Italis & ſolùm quatuor Graecis Patribus compoſitum fuerit, etiam Didaci Payva hanc propoſitionem addit: Florentinum ſola Gallia pro oecumenicâ nunquam habuit.

XXIX. Huic obſtat ſententia Gallorum, inter quos Natalis Alexander dicit eam totius Eccleſiae Catholicae conſenſu oecumenicam praedicari. Enimvero, inquit, cur oecumenica & legitima non cenſeretur, cùm ipſi conveniant characteres omnes, quibus legitimam Synodum Gelaſius I. delineat? Literariae contentionis fervore dicit quandoque abreptos fuiſſe Gallos, ut hanc Synodum nec legitimam eſſe, nec oecumenicam dicerent. Eugenius, qui ei Concilio praefuit, illud tanquam oecumenicum laudavit; Eugenius ſuâ authoritate illud convocavit, tranſlationem Ferrariâ Florentiam ſuo juſſu praeſcripſit, ei ipſe praeſedit, ipſe ſolus ita ſubſcripſit: *Ego Eugenius Catholicae Eccleſiae Epiſcopus ita definiens ſubſcripſi.* Caeteri verè licèt Pontifici adſtiterint tanquam Conjudices, in Pontificis tamen reverentiam ſe abſtinuerunt à verbo *definiens*, ſolùmque ſcripſerunt: *Ego N. Epiſcopus ſubſcripſi*; cùm in aliis, quibus Pontifex praefuit per Legatos, quilibet ſubſcripſerit *definiens*, exceptis procuratoribus abſentium, qui ad ſuffragium deciſivum non admittuntur. Ex his apparet fidem in hoc adhibendam non eſſe celeberrimo Didaco Payva Luſitano, qui ex paucorum Gallorum opinione univerſim cenſuit ab omnibus Gallis idem judicari. Natalis comparationem inſtituit inter Nicaenam II. & Florent. Nicaena ſub initium, inquit, oecumenicis adnumerata non fuit, eam autem Synodum oecumenicam eſſe pòſt Gallicana Eccleſia tanquam certum habuit. Dicit Natalis Gallicanam Eccleſiam reverâ nuſquam Florentinae Synodo interceſſiſſe, nec Graecorum unioni & definitioni fidei in eâ editae adverſatam eſſe, imò ejus definitiones perpetuò venerari.

Bened. XIV. de Syn. L. 13. c. 2.

nerari. Dicere ergo Febronius minimè debebat, in Tridentinâ Synodo Gallos pernegâsse, quòd Florentinæ Synodo dandus sit locus inter œcumenicas. Debebat non in Lusitaniâ, sed potiùs in Galliâ testes quærere idoneos ad hoc assertum firmandum. Debebat de numero Patrum ex Actis certiorem notitiam sibi comparare, unde facilè comperisset Synodum Florentinam non fuisse *tantùm ex quibusdam Italis & quatuor Græcis compositam*. Natalis fidem facit, adfuisse Cpolitanum Patriarcham, triúmque cæterorum Patriarcharum Orientalium Vicarios. Græcos Latinósque Antistites magno numero, omnium orbis christiani provinciarum Præsules. Missum dicit ab Eugenio IV. Faustinum Episcopum Cretensem ad Carolum VII. Francorum Regem, ut Regis Oratores & Episcopos ad Synodum venire faceret; etiam ad Parisiensem, aliásque Galliæ Academias Eugenium misisse literas, quibus jubebat insignes aliquot Doctores ad Synodum mitti. Idem nomina Episcoporum Gallorum recitat, qui Concilio Florent. subscripsère. Satis de Florentino. Nat. Alex. sec. XV. diss. 10.

XXX. Concilium Trident. dicit Febronius cavisse, ne de Pontificis Rom. authoritate primariam, ùt vocat, quæstionem finiret, & immediato Episcoporum juri præjudicium inferret, quod se loc. suprà citato de formâ Ecclesiasticæ monarchiæ & toto cap. 3. quod est de incrementis jurium Primatûs, dicit exposuisse. His addit, quòd sanctionibus superiorum Conciliorum Synodus Trident. nihil addiderit. Ex Tournelio nihil sibi objecit, quàm *cap. 7. de Pænit.* in quo declarat S. Synodus *meritò Pontifices Maximos pro supremâ potestate sibi in universâ Ecclesiâ traditâ causas aliquas criminum graviores suo posse judicio peculiari reservare*. Quanquam non potuerit ignorare Febronius, alia multa decreta esse Conc. quibus Papalis jurisdictio est roborata: Ad unum hoc punctum reservationis *graviorum criminum* censuit respondendum: *Ea*, inquit, *generaliora sunt, nec exprimunt, à quo, & quibus gradibus, & quoad quas partes suprema hæc potestas Rom. Præsuli in universâ Ecclesiâ tradita fuerit*. Inter cætera, quæ supremam jurisdictionem Rom Pontificis veram ac propriè dictam à Patribus Trident. agnitam fuisse comprobant, suprà de hâc reservatione tractatum est contra Febronium, paucis tamen repetendum est, satis in ipso citato loco Concilium exprimere, à quo Rom. Pontifex in universâ Ecclesiâ hanc potestatem habeat

XXXI. 1. Dicit Concilium: *Natura & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur*; ideo docet absolutionem, deficiente ordinariâ aut subdelegatâ jurisdictione, nullius esse momenti. *Cùm magnopere ad christiani Populi disciplinam pertineat graviora crimina tantùm à summis Sacerdotibus absolvi*, inferunt Patres, *meritò Pontifices Maximos suo peculiari judicio pro supremâ potestate sibi in Ecclesiâ traditâ reservare potuisse*, & *hoc idem Episcopis omnibus in suâ cuique Diœcesi licere pro traditâ illis in subditos supra reliquos inferiores Sacerdotes authoritate*; *cùm omnia*, *quæ sunt*,

à Deo ordinata sint, hanc reservationem *etiam coram Deo vim habere*, docet S. Synodus, esse *consonum divinæ authoritati*. Ex his facilè intelliget catholicus JCtus, doceri à S. Synodo, quòd in reservatione hâc exerceatur judicium. Hoc ut validè exerceatur, subditus esse debet, qui absolvitur. Qui autem absolvit & reservat, jurisdictionem habere debet. Episcopus in Diœcesanos accepit potestatem sibi à Deo traditam reservandi, ita ut hæc facultas coram Deo vim habeat. Si summi Pontifices seu Episcopi pro traditâ sibi in subditos supra Parochos, aliósque Sacerdotes authoritate, graviora quædam eorum subditorum crimina reservare possunt, meritò Pontifex Maximus pro supremâ potestate sibi traditâ in Ecclesiâ universali causas criminum graviores suo judicio reservat. Tradit Deus potestatem absolvendi Sacerdotibus, qui curam animarum exercent. Supra hos à Deo tradita est Episcopis amplior potestas, quæ ad totam provinciam seu Diœcesin se porrigit, ipsósque etiam animarum curatores complectitur. Ita pro traditâ in Ecclesiâ universâ potestate supremâ Pontifex Maximus subditorum graviora peccata suæ jurisdictioni potest reservare, cui non tantùm Parochi, sed & ipsimet Episcopi subjiciuntur. Quæ à Deo sunt, ordinata sunt; justum ergo ordinem ex Concilii Trident. sententiâ eum esse intelligimus, quem in hâc magis minúsve extensâ potestate cognoscimus. Itaque à quo hæc potestas est data Sacerdotibus & Episcopis, ab eo hæc potestas est data Rom. Pontifici. Sacerdos absolvit, si subditos habeat. Sed si casus reservatus est, pœnitenti subdito jubetur persuadere, ut ad superiorem & legitimum judicem pro beneficio absolutionis transeat extra mortis articulum. Episcopus Diœcesanos suos absolvere potest, nisi in casibus reservatis Rom. Pontifici, in quibus persuadere jubetur, ut similiter pro beneficio absolutionis ad Pontificem accedant, aut ad eum, cui Pontifex Rom. subdelegatam jurisdictionem concesserit. At Rom. Pontificis potestas suprema est, & ad universæ Ecclesiæ fines ita se porrigit, ut, quicunque est Catholici nominis, & cum Ecclesiâ Romano-Catholicâ communicat, tanquam subditus Romanum Pontificem habeat Superiorem & Judicem. Ecce Febroni, quàm inutiliter dicas exprimi debere, à quo, quibus gradibus, quoad quas partes hæc potestas sit tradita. Quid necesse est certas partes inquirere, dum omnes corporis partes dicuntur subjectæ? Quid necesse est exprimere certos gradus, dum potestas dicitur suprema? Quid necesse est exprimere, quòd Deus hanc potestatem tradiderit, dum indicatur divinæ authoritati esse consonum, quòd hæc reservandi potestas coram Deo vim habeat, & ex Apostoli sententiâ dicat S. Synodus, quæ à Deo sunt, omnia esse ordinata?

XXXII. Iterum Febronius ad ineptissimum suum perfugium se convertit, jam suprà impetitum, quòd hæc potestas Pontifici permittatur ab Ecclesiâ seu Concilio supremo eâ ratione, quâ facultas dispensandi in constitutionibus Conciliorum summo Pontifici est attributa. *Nihil impedit*, inquit,

quo-

quominus credamus, eam ita fuiſſe permiſſam. Falſum per falſum explicat, & inanem ſuam credulitatem opinatur per nihil impediri. Certè S. Synodus in decreto jam explicato nullam vocem proponit, quâ ſignificetur novam aliquam poteſtatem à Synodo concedi Rom. Pontifici. Tantùm declarat, & docet, quòd poteſtas ſit tradita ſummo Pontifici in Eccleſiâ univerſâ, quæ tradita eſt Epiſcopis non pro omni loco, ſed in ſuâ cuique Diœceſi. Effectum declarat eſſe non tantùm in externâ politiâ ſacrâ, ſed etiam coram Deo, ſatiſque per hoc indicat non externam tantùm gubernationem, ſed & inviſibilem, à Deo ſolo communicabilem, poteſtatem ſignificari. De diſpenſationibus falſa Febronii idea jam aliàs perſtricta eſt, & juſtè confutata.

XXXIII. Poſt operoſas ſuas nugas, quibus authoritati Conciliorum potiùs illudit, quàm ut eam pro dignitate revereatur, inaniter gloriari audet, iis argumentis, quæ à Conciliorum decretis petuntur, *ſolidè à ſe ſatisfieri.* Tum pergit: *Facile erit Lectori ex iis genuinis principiis ſatisfacere reliquis Tranſalpinorum objectionibus petitis ab authoritate Patrum, Pontificum, & nonnullorum Imperatorum enuntiatione.* Hem inanem præfidentiam & ridendam philautiam! Si tali ſoliditate contentus eſt ipſe, non dubito, ab eo judicanda fore ſolida & luculenta, quæcunque aliquis contra Rom. Pontificis authoritatem confinxerit. *Negandum non eſt*, inquit, *quin continuus uſus univerſalis Primatûs* (quem ab ætate Iſidori uſque nunc juxta ſyſtema ſuâ imaginatione conceptum novem jam ferè ſæculis continuatum eſſe opinatur) *multis privatis, quin & ipſis Pontificibus Rom. anſam dare potuerit credendi & ſcribendi, quòd iis univerſalis quædam ac propria Epiſcopalis juriſdictio per totam Eccleſiam in ſingula ejus membra competat.* Ita eſt Febroni, hoc negandum non eſt, niſi quòd ab eâ epochâ ejus juriſdictionis initium deducere nefas ſit. Quid contra? *Nihil*, inquit, *hæc poſſunt adverſùs inſtitutum Chriſti & veram Eccleſiæ œconomiam.* Quodnam autem ſit Chriſti inſtitutum, quæ vera Eccleſiæ œconomia huic uſui repugnans, nemo credet aſſignari poſſe, quicunque credit portas inferi adverſùs Eccleſiam non prævalituras. Fictionibus inviſis & conatibus malignantium non ſubvertetur domus Domini, neque ab eo loco, cujus principalitatem nobis Divina Providentia monſtravit, ad latebras Febronianas contrahetur.

XXXIV. Iterum lepidiſſimè reſiliendo ad hiſtoriam œcumenicæ Synodi Florentinæ repetit dictum Imperatoris Palæologi: *Cùm* (inquit Febron.) *in Flor. Synodo ſeſſ. 25. de ſanciendâ Rom. Ponti cis dignitate per dicta Ss. Patrum ageretur, Græci Latinis reſtiterunt. Hoc etiam non placuit Imperatori Orientis. An ſi quis honoret* (inquiebat Imperator) *Sanctorum in epiſtolâ Papam, excipietur hoc pro privilegio? Itaque*, pergit Febronius, *ſepoſitis à definiendâ authoritate Papæ Sanctorum dictis Synodus ad œcumenicorum Conciliorum geſta & Ss. Canones ſe duntaxat recepit.* Jam in hoc §. ad figmentum Febronii, quod de excludendis dictis Sanctorum & probatione ex ſolis Conciliorum Actis & Ca-

 nonibus

nonibus faciendâ græci & latini Patres convenerint, responsum est. Respondetur hoc iterum, quoad usque fervebat inter Græcos & Latinos contentio de quæstionibus controversis, id voluisse Imperatorem; postea autem ab hâc postulatione penitùs esse cessatum. Jam indicatum est, quæ fuerit Græcorum formido, quibus perspectum erat, quid Patres non Latini tantùm, sed & Græci senserint & scripserint de Rom. Pontificis supremâ potestate. Dum concorditer super disputatis articulis convenêre juxta decretum Unionis, inanitatem formidinis, quâ priùs angebantur, ipsi perspexerunt, libentérque sententias Sanctorum, præsertim Orientalis Ecclesiæ de Rom. Pontificis supremâ potestate audierunt. Dic bone, cur figmentum hoc repetendum erat tam citò, tam inutiliter? An dum ipse ingentem farraginem ex Dupinio & Launoio in cap. 1. tui Operis descripsisti, ut authoritate Ss. Patrum Græcorum, Latinorúmque fulcires, quæ volebas, an jam tibi nullius momenti sunt dicta Sanctorum, quia ita tunc videbatur Palæologo, cùm adhuc schismaticis ideis mens esset obtenebrata?

XXXV. *Ut nihil*, inquit, *relinquamus intactum*, *addimus formulam Professionis fidei à Pio IV. præscriptam.* Ex eâ hæc recitat: *Agnosco sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem & magistram*, *Romanóque Pontifici B. Petri Apostolorum Principis Successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro.* Ne systemati suo formula illa professionis obstet, aut libertatem aliter ac ipse ejus formulæ author Pius IV. & omnes usque nunc Rom. Pontifices ejus formulæ verba intellexerunt, interpretandi, & suis ideis accommodandi libertatem tollat, opportuno commentario Lectorem benevolum instruit.

XXXVI. Verba: *Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ* lumen docet, ac interpretationem accipere ab his, quæ in cap. 1. §. 9. voce: *Utitur*, se meminit observâsse. Ibi autem dicit per Romanam vel ntelligi posse particularem Ecclesiam Italiæ, utut inter reliquas primam, vel intelligi posse Ecclesiam Romano-Catholicam communem, seu toto orbe diffusam. Non Ecclesiæ illi Italicæ Urbis, sed universali per totum orbem diffusæ dicit authenticam Scripturarum interpretationem convenire, atque ita dum hæc professio emittitur, vult de solâ universali Ecclesiâ, non uni loco affixâ, sed omnes totius mundi particulares Ecclesias complectente esse cogitandum. Hoc Febronii lumen, hæc ejus interpretatio est. Verba: *Omnium Ecclesiarum matrem & magistram* dicit se cap. 3. §. 6. explicuisse, ubi dicit titulum *matris & magistræ omnium Ecclesiarum* ex spuriâ epistolâ Calixti esse progenitum, & in decretales transiisse: explicari autem posse *propriè & commodè*, prout Ecclesia Romana seorsim cum aliis (ad quas Româ prædicatores Evangelii transierunt) Occidentalibus Ecclesiis comparatur; potiori autem jure & magis proprié Ecclesiam Hierosolymitanam hoc titulo honorari posse & alias ab Apostolis in Oriente conditas, quales dicit esse, Cretensem, Ephesinam, aliásque

prima-

primarias Sedes, quas Petrus non instituit, sed Paulus aliive. Veriùs communem totius universi Ecclesiam intelligendam esse. Copiosiùs contra hæc Febronii paradoxa tunc actum est, dum, quæ ibi scripsit, opportunè refutata sunt.

XXXVII. Verba: *Romano Pontifici veram obedientiam spondeo ac juro*, ut suis adinventionibus minimè noceant, ita explicat: Non omnis obedientia supponit aut involvit jurisdictionem. Hoc dicit apparere in *patre*, *hero*, *magistro* &c.

XXXVIII. Ne, quod JCti vitiosum censere solent in causis tractandis, sinè authoritate loquatur, citat Robertum Lincolniensem Episcopum ex Historiâ Mathæi Parisii, & S. Bernardum. Lincolniensis Episcopi ad Innocentium IV. profert hæc verba: *Mandatis Apostolicis affectione filiali devotè & reverenter obedio; his, quæ mandatis Apostolicis adversantur, paternum zelans honorem adversor & obsto. Ad utrumque teneor ex divino mandato.* Quid ex his verbis Præsulis Britannici sperare potuit Febronius? Certum puto, quòd si Febronius verè ex animo eadem scribat Clementi XIII. & se ita coram Deo sentire constanter facto comprobet, omnes ab eo boni Catholici partes, ipsiusmet etiam Clementis XIII. judicio impleri.

XXXIX. Ex S. Bernardi *lib. de Consid.* profert verba, quibus S. Bernardus dicit *villam villico subjici, puerum pædagogo obedire, non illum villæ, hunc pueri esse dominum. Ita*, inquit, *& tu præsis, ut provideas, ut consulas, ut procures, ut serves. Præsis, ut prosis. præsis ut fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Nonne Febroni, hæc etiam Episcopis applicantur? His tamen veram & propriam jurisdictionem, & leges ferendi potestatem concedis, etsi suarum Ecclesiarum & fundorum non sint Domini, sed dispensatores bonorum & servi à Domino constituti super familiam, quæ intra limites diœcesis continetur. Familia, super quam constitutus est Petrus, ejúsque Successores, nullis locorum definitis spatiis concluditur, sed per totum universum se porrigit. *Christus possessionem sibi vindicat*, inquit Bernardus, *jure creationis & merito Redemptionis, & dono Patris, qui dixit: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Quicunque ad familiam Christi per ejus Sacramenta & per fidem pertinent, seu oves sint seu Pastores, subsunt Pastori in terris uni, Romano Pontifici. Bernardum eundem audi nunc iterum Febroni: *Habent*, ait ad eundem Papam Eugenium, *cæteri Episcopi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi sunt crediti, uni unus. Non modò ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor. Unde id probem, quæris? Ex verbis Domini.* Sed frustra ego hæc. Febronius citò se expedit, dum S. Bernardus pro Rom. Pontificis dignitate loquitur, *projicit ampullas. Assentatur. Isidoricis decretalibus delusus, innocenter deceptus est.* At verò dum aliquid loquitur, quod per Febronianam dialecticam ei videtur Antipontificio systemati

 accom-

accommodari posse, sanctus est corrector Pontificum, tunc formam sanorum verborum habet.

XL. Eâdem logicâ, seu *methodo cogitandi* scit sua themata damnata ex ipsorummet Rom. Pontificum verbis demonstrare, quod sæpè ostensum est, non eorum tantùm, qui in sæculis luminosis rexerunt Ecclesiam, sed & eorum, qui in sæculis ignorantiæ & tenebrarum Isidoricarum scripserunt, nequidem exceptis Gregorio VII. Alexandro III. Innocentio III. & Benedicto XIV. Eâdem etiam arte docet obediendum esse à Presbyteris & Episcopis Rom. Pontifici juxta modum, qui in gestis Conciliorum, & Ss. Canonibus continetur. At dum Acta Conciliorum generalium novitati Febronianæ adversa proferuntur, Patres dicit *innocenter delusos falsis documentis*, *nonnulla in iis Actis* Febr. c. 1. §. 8. *spiritum Isidori redolentia irrepsisse*, *nullum veritati post Concilium Trid. detectæ præjudicium generare*. Quidquid ad constringendum Romani afferant, ut Plautino verbo utar, *anguilla est*, *elabitur*.

Quæ de sacrâ jurisdictione S. Gregorii ab Editoribus Benedictinis assertâ, eorùmque argumentis Febronius hoc loco addidit, sigillatim suprà discussa & confutata sunt.

§. V.

Febronii opinio de jure Appellationum ad Sedem Apostolicam refellitur.

1. *Jus appellandi ad Sedem Rom. esse intimè connexum cum Primatu*, *docet Bened. XIV.*
2. *Crisis Febroniana de hâc sententiâ Benedicti XIV. refellitur.*
3. *S. Bernardi de Appellationibus judicium.*
4. *Quid de Appellationibus sanciverit Concilium Trident.*
5. *Quid de his P. Natalis contra Petrum de Marca.*
6. *In quo Febronius Petro de Marca non consentiat.*
7. *Argumentum utriusque ex Novellâ Justiniani formatum à silentio rejicitur.*
8. *Justinianus jurisdictionem sacram agnovit*
9. *Probatio ex Canone Francofordiensi est infirma.*
10. *Carolus M. Imp. agnovit authoritatem supremam Rom. Pontificis.*
11. *Originem Appellationum Febronius malè tribuit Canonibus Sardicensibus.*
12. *Ostenditur Sardicenses jus novum non induxisse*, *sed jus vetus firmâsse.*
13. *Expenduntur verba Canonum Sardic.*
14. *Quâ formâ processerit S. Julius in causâ Episcoporum depositorum.*
15. *Ostenditur contra Petrum de Marca*, *quòd non mera Revisio*, *sed vera Appellatio agnita sit à Sardicensibus*,
16. *Et quòd non tribuatur Pontifici tantùm* cognitio præliminaris.

17.

17. *Febronius post Petrum de Marca & Fleurium dicit novitatem* luculenter apparere *in dictis Canonibus.*
18. *Febronius pugnantia loquitur de cognitione causæ depositorum Episcoporum.*
19. *Febronius verba:* Si appellaverit & confugerit, *callidè disjungit sinè ratione.*
20. *Appellationem impropriam imperitè ostendit ex textu græco.*
21. *Ostenditur veram Appellationem significari.*
22. *To* Excusatio, *dicit Fleurius à Sardicensibus sumi propriè, to* Appellatio *impropriè*
23. *Patres Sardicenses salvam in omnibus voluerunt authoritatem Pontificis, sicut postea Patres Tridentini.*
24. *An recursus ad Pontificem inferat effectum suspensivum.*
25. *Petrum de Marca provocantem ad exemplum Hincmari refutavit Natalis.*
26. *Apiarii Presbyteri Appellatio discutitur.*
27. *Quid petiverint Africani à Sede Apostolicâ.*
28. *Quatuor articuli missi ad Africanos à Zosimo.*
29. *Africani obedientiam offerunt summo Pontifici.*

I. Disquisitioni de jure Appellationum ex omnibus christiani orbis partibus ad Sedem Apostolicam præfatur, quòd in eo magnum sententiæ suæ pondus collocent (phrasi utor Febronianâ) illi, qui summo Pontifici propriam jurisdictionem in omnes Ecclesiæ provincias & singulos fideles tribuunt. Ostendit hoc verbis Benedicti XIV. qui ait: *Est ejusmodi Appellationum jus adeò necessariò connexum cum Rom. Pontificis in universam Ecclesiam jurisdictionis Primatu, ut nemo possit in controversiam adducere, nisi & hunc velit præfractè inficiari.* *Bened. XIV. de Syn. l. 4. c. 5.*

II. Quanquam Benedictus causam addat, quòd sit supremus in Ecclesiâ judex, & ab inferioris sententiâ Superioris tribunal adire omnibus concessum esse naturalis æquitas dictet & persuadeat, & verbis S. Gelasii ac Nicolai I. ostendat, quid olim summi Pontifices de hâc authoritate senserint, dicit se vereri, ne sententiam suam *potiùs ex præconceptu monarchico depromserit, quàm ex antiquis verisque monumentis Ecclesiarum.* Dum dixit Pontifex Appellationem à judice inferiori ad superiorem ipsâ naturali æquitate dictari & persuaderi, & cum Primatu ita connexum esse jus supremi judicis & fidelium tuitionem, ut his negatis Primatum inficiari necesse sit, dúmque ideo in quibuscunque particularium Ecclesiarum monumentis hujus juris initia Benedicto Pontifici Maximo quærenda non fuerunt, inaniter & ex falsâ hypothesi verebatur Febronius.

III. De Appellationibus ait S. Bernardus ad Eugenium: *Appellatur de toto mundo ad te, id quidem in testimonium singularis Primatûs tui.* Hortatur

tur Pontificem, ut intendat, ne, quod magnâ fuit necessitate provisum, malè utendo reddatur inutile. *Quid tam decorum*, inquit, *ut ad invocationem tui nominis oppressi effugiant? Quid tam perversum, ut lætetur, qui malum fecit; & qui tulit, inaniter fatigetur?* Hanc legem Appellationum dicit, ut illicitè usurpata appellatio nec prosit appellanti, nec appellato obsit. Iniquarum Appellationum fomitem vocat, si impunè transeat, & ultionem non sentiat is, qui jus alterius iniquâ provocatione pergit impedire. *Fateor*, inquit, *grande & generale mundo bonum esse Appellationes idque tam necessarium, quàm solem ipsum mortalibus. Revera sol justitiæ est prodens ac redarguens opera tenebrarum. Prorsus fovendæ & manutenendæ sunt, sed quas extorsit necessitas, non calliditas adinvenit. Non subvenientes in necessitate, sed opitulantes iniquitati* dicit *usurpatorias* & damnandas.

Con. Trid. sess. 13. & 22. c. 1. Sess. 14. c. 10. IV. Providit S. Synodus Trident. ut hoc remedio ad præsidium instituto rei criminum non abutantur ad iniquitatis defensionem, & Episcoporum judicia subterfugiant. Docet Appellationi frivolæ non esse deferendum, & executionem eorum, quæ ad morum correctionem pertinent, non esse suspendendam. Ubi de visitatione aut morum correctione agitur, mandavit, ut exemptio, inhibitio, appellatio seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam interposita, non impediat aut suspendat executionem eorum, quæ ab Episcopis fuerint decreta aut judicata. At verò dum iniquâ Episcoporum depositione Canones infringuntur, miseris refugium intercludi & spe restitutionis intercisâ eos malevolorum præsumptione pro reis & justè damnatis haberi nunquam sustinuit Ecclesiastica disciplina.

Nat. Alex. sec. IV. Diss. 28. V. Jus suscipiendi Appellationes Episcoporum dejectorum ideo ad Primatum S. Petro & Successoribus à Christo collatum pertinere probat Natalis contra Petrum de Marca, cujus opinionem de hujus Appellationis initio Canonibus Sardicensis tribuendo amplexus est Febronius, dum ex ejus doctissimi Archiepiscopi dissertatione de Canonibus Sardicensibus probandum assumit, privilegium hoc esse *adjectitium*, *originariè ex naturâ Primatûs non competens primo Episcopo*, *sed à Sardicensi Concilio datum.*

VI. His de suo ingenio addit; quòd ne ipsæ quidem appellationes à PP. Sardicensibus concessæ naturam, ac indolem genuinæ Appellationis habeant, ac prætensus, ùt loquitur, Primatus jurisdictionis propriè dictæ eo privilegio destruatur potiùs, quàm sustineatur. Sed laudatus Archipræsul Rom. Pontifici veram & propriè dictam jurisdictionem & potestatem leges ferendi non negavit, quam ei negat Febronius.

VII. Silentio prætereundum non est Febronii argumentum, quod ex Novellâ Justiniani post Petrum de Marca formavit: *Imperator*, inquit, *omnes judiciorum Ecclesiasticorum instantias, Episcopi cum Synodo, Metropolitani & provincialis Concilii, Patriarchæ seu Primatis recenset, nulli parti permittens facultatem ejus sententiæ contradicendi, ne verbum de Rom. Pontificis judicio*

dicio memorans. Infert, manifestè Rom. Pontificem illis verbis à serie instantiarum & Appellationis exclusum esse. Inter silentium & exclusionem manifestam quid discriminis intercedat, docet regula critica.

VIII. Rom. Pontificis jurisdictionem sacram Justinianus Imperator apertè agnovit, dum constitutione imperiali executionem decretorum Concilii Cpolit. II. promovit, in quâ dicit Anthimum à S. mem. Agapeto Papâ dejectum esse à Sede Cpolitanâ, eique Anthimo interdixit commorationem intra Cpolin ejusque districtum. Leges aliquas ab eodem Imperatore in Ecclesiæ favorem publicatas Agapetus Pontifex approbavit his verbis: *Laudamus, amplectimur, non quia laicis authoritatem prædicationis admittimus, sed, quia studium fidei vestræ Patrum nostrorum regulis conveniens, confirmamus atque roboramus.* Alias ab eo promulgatas in causâ fidei leges approbavit Vigilius. Multas lites vel pro fide, vel pro Canonicis quæstionibus, vel administratione rerum Ecclesiasticarum, vel de Episcopis & Presbyteris vel Diaconis aut aliis Clericis, vel de Abbatibus vel Monachis, vel de accusatâ vitâ, vel aliarum rerum correctione convenienter examinari & ad eorum correctionem secundùm Sacros Canones procedere, & secundùm suas leges jussit Novella 137. non exclusit Appellationem à Patriarcharum judiciis, neque canonica judicia pro suo arbitrio restringere, iis limites ponere ad Imperialem authoritatem pertinebat.

IX. Neque ex Concilii Francofordiensis can. 6. illud infertur, quod inde colligit Febronius. In eo statuitur, ut *Episcopus justitias in suâ diœcesi faciat Abbatibus, Presbyteris, cæterisque Clericis, vel etiam aliis* (laicis personis) *casu contumaciæ vel obedientiæ causa ad Metropolitanum, vel si ab eo dirimi, aut componi non queat, ad Regem referatur; & ut Comites Episcoporum judicio intersint.* Colligere debebat Febronius hæc ad Ecclesiasticas causas non pertinere.

X. Ipsiusmet Caroli ad Elipandum epistola ostendit pii Principis erga Rom. Pontificem studia reverentiæ plenissima: *Ad beatum*, inquit, *Apostolicæ Sedis Pontificem de hâc novâ inventione ter quaterque direximus Missos, quid S. Romana Ecclesia Apostolicis edocta traditionibus de hac respondere voluisset inquisitione. Quid Patrum pia unanimitas & pacifica perscrutatio authoritate Ecclesiasticâ statuisset, primò quid Dominus Apostolicus cum S. Rom. Ecclesiâ sentiret* &c. Ex verbis dicti VI. Canonis Francofordiensis in Ecclesiam inducere Appellationem à Canonicis judiciis ad Imperiale tanquam peremptorium ac plenè definiens ad normam Juris Ecclesiastici Böhmeriani *Protestantium* non sustinet systema Catholicorum. Canones Francofordienses disciplinam spectantes nec Sedes Apostolica approbavit, nec usus ac observantia Ecclesiarum Germaniæ in morem induxit. Si quid sub Caroli M. Principatu permissum, toleratúmque, pro normâ & regulâ sequentium temporum præscriptum censeri non potest.

XI.

XI. Sardicenses Canones præcipuum esse hujus juris fundamentum asserit Febronius, non probat. Ad antiquum morem Orientalium nunc in Germaniâ & Galliâ, aliisque Occidentalibus Ecclesiis ordinem judiciorum esse componendum, nec docent Concilia generalia, nec justa ratio suadet. Si quid variationem admittit, certè ordo judiciorum Ecclesiasticorum inter ea censeri debet, quæ pro temporum & locorum conditione sinè unitatis imminutione variantur.

XII. Quòd verò Sardicensis Synodus novitatem induxerit, dum jus appellandi tribuit Sedi Apostolicæ, arbitrarium est assertum Febronii. Hosius non dixit de novo jure quærendo se agere, sed quod antecesserat, explicatur, firmatúrque. *Petri memoria honoranda* erat à primâ in S. Petri defuncti locum successione. Dissidiis implicata Ecclesia Corinthiorum à Clemente I. in quo Petri memoriam honorabant, accepit normam & regulam. Asiatici à Victore I. instructi sunt, dum inter se dissidebant super Paschatis celebratione, Polycarpus & Irenæus Romam transierunt, ut ibi docerentur, quæ in suis Ecclesiis erant docturi. Si quid de modo & formâ Appellationis consultetur & statuatur, non ideo ipsum jus appellandi est deliberationis objectum. A Synodi arbitrio minimè pendebat id, quod per se Primatui cohærebat. At verò quâ formâ Canonicum judicium exerceri expediat, an statim Ecclesiæ alius Episcopus sit præficiendus, an donec super Episcopo deposito cognitum fuerit, interea sit Ecclesiæ de administratione congruâ providendum, materia erat consultationis.

XIII. Statuitur: *Non ordinetur alius in cathedrâ depositi, priusquam Rom. Episcopus sententiam dixerit*, ἐπιγνοὺς περὶ τούτου, factâ de toto negotio cognitione. Ipsi Patres Sardicenses Julio Papæ scripserunt per Synodicam: *Hoc optimum & congruentissimum videbitur, si ad caput, id est, ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibusque provinciis referant Domini Sacerdotes.* En quid ipsis significaverit: *Memoriam Petri Apostoli honorare.*

Soz. L. 3. c. 8. De Altim. Panop. centur. 4. c. 2.

XIV. Quâ authoritate, quâ formâ judicii Julius Papa in causis Episcoporum depositorum processerit, disertè explicat Sozomenus juxta mentem Patrum Sardicensium: *Quia propter Sedis suæ dignitatem omnium cura & solicitudo ad ipsum spectabat, suam singulis Ecclesiam reddidit. Cùm causas singulorum cognovisset, eos* (Athanasium, Paulum, Marcellum Asclepam, Lucium) *in communionem recepit. Orientales Episcopos Julius datis ad eos literis reprehendit, quòd in* prædictorum *negotio non rectè judicâssent.* Aliquos illorum *ad constitutum diem adesse jussit, qui probarent justam esse sententiam, quam tulerant.* Comminatus est se *non toleraturum si nova moliri non desinant.* Effectum judicii probat, quòd Athanasius & Paulus, eorúmque socii *suam quisque Sedem recuperârint.* Ipsi adeò Eusebiani, quanquam ægrè ferrent Ss. illos Episcopos suas ad Ecclesias Julii decreto rediisse, agnoscunt Rom. Ecclesiam *Metropolim Christianæ Religionis ab initio esse factam.* Socrates

crates historicus testatur, Petrum Alexandrinum Athanasii Successorem, quem *Ariani à Sede dejecerant*, *à Damaso Papa esse restitutum*: *Reverso Româ Petro* (inquit Socrates) *cum Damasi Romani literis*, *quibus & fides* τὸ ὁμοούσιον *& Episcopatus Petro confirmabatur*. Febronius verba Hosii Canoni III. Sardicensi addita recitat hæc: *Si autem* (Rom. Episcopus) *probaverit talem causam esse*, *ut non refricentur ea*, *quæ acta sunt: quæ decreverit*, *confirmata erunt*.

XV. His verbis probat Natalis contra Petrum de Marca *non revisionem*, *sed judiciariam authoritatem Rom. Pontifici* tribui à Sardicensibus. Certè *judicio suo confirmare quæ acta sunt*, non est revisoris officium, sed judicis. Febronius, inquam, hæc verba recitat, simul tamen opinioni Petri de Marca insistit, quòd Rom. Pontifici concessum fuerit *merum jus revisionis*. Ad verba Gaudentii Episcopi, quæ in Canone IV. Sardicensi exhibentur attentior fuit, dum callidè, quod suæ ideæ obstabat, prætermisit. Refert iterum atque iterum: *Alius in Episcopi depositi locum interim non ordinetur*; omittenda autem censuit illa: *Priusquam Rom. Episcopus sententiam dixerit cognitâ causâ*. Quis non videat eam à Sardicensibus agnitam fuisse Julii authoritatem, ut Episcopis depositis suppositâ eorum innocentiâ & deponentium iniquitate certum jus fuerit recuperandi & tenendi per Julii sententiam cathedras Episcopales, à quibus dejecti fuerant?

XVI. *An præliminaris tantùm cognitio* vocari potest illa, quæ negotium totum absolvit? Ex jam dictis Gaudentii verbis Canoni IV. insertis dicit Febronius *luculenter apparere novitatem*, seu quòd disciplina ab Hosio proposita antea *nondum in usu fuerit*. Hoc est ejus ratiocinium: Gaudentius dixit: *Necesse est adjici huic sententiæ*, *quam sincerâ dilectione plenam protulisti*, *ut si quis Episcopus fuerit depositus*, *nullus interim in ejus locum ordinetur*; ergo luculenter apparet disciplinam, quam Hosius proponebat, tunc fuisse novam. Historia eorum temporum abundat exemplis depositionum ab hæreticis & schismaticis attentatarum. Statim depositionem sequebatur pravorum substitutio in locum depositorum, statim Sedes Episcopales ab his intrusis occupabantur vel Principum, vel populi favore, sæpè etiam vi apertâ. Id ne fieret, suggessit Gaudentius, & placuit Patribus.

XVII. Putabat Petrus de Marca *luculenter apparere novitatem* Appellationis ad Sedem Apostolicam in Canonibus Sardicensibus. Omnia ejus argumenta refutando ostendit P. Natalis tantùm à luculentâ apparentiâ abesse hoc doctissimi Archipræsulis Parisini assertum, ut etiam à probabilitate excidat. Putabat Abbas Fleuryus eandem *novitatem disciplinæ* in dictis Canonibus esse *manifestam*; sed ex verbis Canonum contraria doctissimus Author observationum in Fleuryi historiam demonstrat. Adhuc tamen ex solis Petri de Marca argumentis Febronius asserit audacter *luculentam* illam *novitatis apparentiam*; imò sentit cum eodem de Marca, quòd non Appellatio, sed mera revisio per Sardicenses sit concessa. Integram causæ cognitionem instituere posse

Rom. Pontificem, & diſcutere quæſtionem ſuſcitatam inter Epiſcopos, & judicium inſtaurare excluſis iis omnibus, qui antea depoſitionem decreverant, & irretractabili ſententiâ declarare, an depoſitio fuerit irrita, an valida, eſt verum judicis officium, & quidem ſupremi, à quo ulteriùs non ſit facienda provocatio. At verò talem Sardicenſes Pontificis poteſtatem eſſe, apertè profitentur. Quid enim aliud ſonant hæc verba: *Si judicaverit judicium eſſe renovandum. Si juſtum putaverit, ut renovetur judicium, vel diſcuſſionis examen*? Agnoſcunt *ad eum pertinere judicium*, ad quem depoſiti confugerint, & ab *eo finem eſſe imponendum*, ſi *novos judices dari Pontifex non judicaverit expediens*, neque in finitimâ provinciâ juxta veritatis fidem definiri cauſa poſſit Epiſcopis in partes diſtractis, aut ad firmandam depoſitionem conſpirantibus.

XVIII. Agnoſcit Febronius pertinere ad Pontificem, an in ſententiâ depoſitionis obſervata ſit *forma judicii*; an *per vim à judicantibus extorta*, an *ex odio vel gratiâ profecta ſit*, an denique *cauſa fuerit ſatìs diſcuſſa*. Agnoſcit, inquam, hæc, negat tamen ad Papam pertinere, num damnatus per Synodum Epiſcopus *nocens ſit*, *nec ne*. Hæc pugnantia ne ipſe quidem Febronius dexterè colligabit. Supponat inſtitutâ cognitione deprehendi à Pontifice in Synodali depoſitionis ſententiâ vim, odium, defectum neceſſariæ diſcuſſionis apparere, & ob manifeſtam vitii talis evidentiam à Pontifice pronuntiari Epiſcopos eſſe iniquæ ſententiæ authores; quomodo poſſibile erit non dignoſcere Pontificem, ſintne Athanaſius, & ſocii inſontes, & culpæ talis tantæque, ut juſtam depoſitionem promereatur, expertes?

XIX. Agnoſcit Febronius diſponi in Canone VII. Sardicenſi: *Si appellaverit & confugerit ad Rom. Epiſcopum*, attamen *Appellationem* contendit eſſe *valde impropriam*. Quod ut evincat, voces conjunctas: *Si appellaverit, & confugerit*, ita disjungit, ut non prima vox: *Appellaverit*, ſed altera: *Confugerit*, ſpectet Rom. Epiſcopum. Callidè fingit poſt vocem: *Appellaverit*, ſubaudiendum eſſe id, quod ideæ Febronianæ conſonat, nimirum hoc ſenſu: Si appellaverit (*ad aliud judicium*) & confugerit ad Rom. Pontificem, ut ab eo juxta Synodi decretum impetret aliud judicium.

XX. Etiam ut Appellationem impropriam à Canone ſignificari probet, ad græcum Canonis textum lepido confugio Febronius appellat: Accuratior eſt, inquit, hâc in parte textus græcus, qui *velut appellantem dicit Epiſcopum.* Græcus textus ita habet: Καὶ ὥσπερ ἐκκαλεσάμενος καταφύγῃ ἐπὶ τὸν μακαριώτατον τῆς Ῥωμαίων Ἐκκλησίας ἐπίσκοπον: latinè hæc ita ſonant: *Et ſicut appellans ſive appellatione factâ confugerit ad Beatiſſimum Romanorum Eccleſiæ Epiſcopum.* Quis grammaticorum docuit Febronium, quòd Romam confugere tanquam appellantem ſignificet valde impropriè appellare? Nugari hoc eſt, dum relictâ hiſtoriâ ad grammaticam confugitur, ut quomodolibet notio vocis intervertatur.

XXI.

XXI. Quid clarius, quàm quòd, dum spe melioris justitiæ ad superiorem transitur, ut ibi, quod justum, est, definiatur, propriè fiat hoc, quod jurisperiti per appellationem intelligunt? Ita tunc Julius Orientalibus scribebat: *An ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primùm nobis scribatur, ut hinc, quod justum est, definiri possit?*

XXII. Mirabili subtilitate literas Julii ad Concilium Sardicense, quibus exponit sinè Ecclesiæ suæ periculo se Româ Sardicam ad Synodum transire non posse, Fleurius interpretatur *Excusationem* esse propriè dictam; contra verò *appellationem* esse impropriam eo vult consilio, ut per excusationem faciat Julium profiteri Concilii superioritatem; per appellationem autem nihil inferatur, quod Papæ authoritatem supra Sardicense Concilium attollat. Excusationem fuisse impropriam, ipsorum Patrum Sardicensium ad Julium responso docemur: appellationem contra ex effectu secuto discimus talem fuisse, ut sententia anterior fuerit à Julio correcta, & justum apparuerit ejus judicium, sicut Sardicenses per epistolam synodicam ad Ecclesiam Alexandrinam contestati sunt.

XXIII. Et quid aliud ipsismet suis Canonibus IV. & V. significârunt Sardicenses? Quarto dicunt: *Nisi Romanorum Episcopus causâ cognitâ sententiam tulerit.* Quinto dicunt: *Faciet, quod prudentissimo ejus consilio rectè se habere videbitur*: ὅπερ ἂν τῇ ἐμφρονεστάτῃ βουλῇ καλῶς ἔχειν δόξῃ. Presbyteros à latere Pontificis mitti volunt: *Si Papa voluerit, esse in ipsius potestate, sicut judicaverit convenire*, ἐν τῇ ἐξουσίᾳ αὐτοῦ τοῦ Ἐπισκόπου ὅπερ ἂν καλῶς ἔχειν δοκιμάσῃ. Nihil plus minúsve Patres Tridentini Rom. Pontifici tribuerunt, dum salvam in omnibus decretis voluerunt & esse & intelligi debere authoritatem Pontificiam.

XXIV. Dicit Febronius recursui ad Rom. Pontificem non adhærere effectum suspensivum sententiæ à Concilio provinciali latæ adversùs Episcopum appellantem. Ut cum causæ cognitione superior judicet, sententiam inferioris ad id usque tempus effectum suum operari necesse est. Si Papa censuram præcipiti inferioris sententiâ iniquè pronuntiatam esse cognoverit, ipse statim eam irritam & nullius momenti esse decernit. In causis comminatæ excommunicationis compulsoriales pro transmissione copiæ actorum decernuntur ad effectum cognoscendi, an sit deferendum appellationi. Compulsorialibus inhibitio adjungitur, ut interim Judex *à quo* ad ulteriora non procedat. Si clarè constet de injustitiâ, statim absolutionem Superior Judex decernit. Hæc & alia appellationem spectantia ex Urbani VIII. decretis & Benedicti XIII. additionibus & Benedicti XIV. constitutione de appellationibus pleniùs discimus, sicut jam aliàs contra Febronium indicavi.

XXV. Causam Hincmari palmare exemplum hâc in re non præbere, doctè ostendit P. Natalis loco supra indicato de appellationibus, ubi eandem hanc allegationem Petri de Marca refutavit; refutatione non attentâ pro more hoc Hincmari exemplo fulcire causam nititur Febronius.

Quid Afris placuerit, & displicuerit, suprà indicatum est, dum de duabus Synodis Carthaginensi & Milevitanâ, & materiâ appellationis actum fuit. Secutus est Febronius Fleurium. Idem scopus est utriusque & omnium; quotquot ex motibus Præsulum Africanorum sperant Rom. Pontificis authoritatem posse intercidi, aut minui.

XXVI. Apiarius Presbyter à suo Episcopo Cyzizeno excommunicatus querelas detulit ad Zosimum. Protracto negotio, per turbulentum hunc Presbyterum suscitato, non Zosimus tantùm, sed & ejusdem Successores Bonifacius & Cœlestinus occasionem acceperunt de Appellationibus ad Afros rescribendi. Bonifacii literis respondent Africani an. 319. *Jam priori anno literis nostris ad eundem ven. mem. Zosimum Episcopum datis insinuari curavimus, ut ea servare sinè ullâ ejus injuriâ paulisper sineremur usque ad inquisitionem statutorum Concilii Nicœni, & nunc de tua poscimus sanctitate, ut, quemadmodum apud Nicæam à Patribus acta vel constituta sunt, sic ea à nobis facias custodiri.* Promittunt se Canonem de Appellationibus Episcoporum observaturos, usque dum communicata fuerint Decreta Nicæna. Missi sunt à Pontifice Legati tres, inter quos eminebat Faustinus, ad perferenda in Africam jussa Apostolicæ Sedis.

XXVII. Tribuitur Africanis, quòd omnes transmarinas appellationes refugerint. At verò tantùm id agebant Africæ Antistites, ut humiliter peterent, ne frequentes appellationes admitterentur: *Impendio deprecamur*, inquiunt, *ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non faciliùs admittatis.* Non rogabant, ut omnino querelas non audiat Rom. Pontifex, sed ne nimiâ facilitate admittat. Rogabant, ne indebitè ad communionem admittantur, qui excommunicati erant ab Episcopis: *Improba refugia*, inquiunt, *sicut te dignum est, repellet sanctitas tua.* Rogabant, ne facilè ad quorumcunque petitionem mitteret Clericos: *Executores Clericos vestros*, inquiunt, *quibuscunque petentibus nolite mittere, nolite concedere.* Certè aliud est displicere formam judicii, aliud displicere frequentiam. *Si Zosimus* (ait Observator in historiam Fleurii) *indulgentior fuit Apiarium audiendo, sicut nimiâ facilitate credidit Cælestio: Si etiam forsan Faustinus Legatus Pontificius in Africâ vel partialitatem vel arrogantiam ostendit, non ideo penitùs via contra morem constanter antea observatum, contra bonum unitatis & communem Ecclesiæ utilitatem omnibus appellationibus erat præcludenda.*

Author observat. ad l. 24. Fleurii.

XXVIII. Quatuor articulos expressit Zosimus in literis ad Antistites Africanos. Primus spectabat appellationes Episcoporum. Secundus, ne importuni transitus ad Curiam Rom. ab Episcopis frequentarentur. Tertius, ne Presbyteri & Diaconi ab Episcopis suis aliter, quàm ad Synodum provincialem appellarent. Quartus speciatim causam concernit Apiarii. Zosimus, Bonifacius & Cœlestinus, quantùm ad 2. & 3. articulum, declarârunt ad mentem Africanorum. Quantùm ad 4. concesserunt Episcopis Africanis,

nis, ut examinent causam Episcopi Cyzizensis & Apiarii, & quod justum, decernant, nisi Romam ire maluerint Episcopum, ut ibi causam dicat; sola appellatio Episcoporum ad Sedem Apostolicam libera fuit declarata.

XXIX. Vicissim literis reverentiæ plenissimis contestati sunt Antistites Africani se ad obediendum paratos: promittunt se præscripta observaturos; Apiarium ad communionem juxta placitum Cœlestini admissum esse referunt. Agnoscebant Papam tanquam caput visibile Ecclesiæ non ordinis tantùm, sed & jurisdictionis & potestatis Primatum habere, cùm præcipua sit functio jurisdictionis reos punire, oppressos defendere, judicum inferiorum defectus reparare. Hoc jus in personâ Petri datum Pontifici eum cum Primatu nexum habet, ut alienari non possit. Ad eum, qui habet potestatem confirmandi fratres, debet pertinere potestas corrigendi eos, qui portione potestatis sibi concreditæ abutuntur, & eos defendendi, qui tali abusu læduntur. *Uti debet Pontifex* (ait author observationum) *hoc jure sapienter & justè & cum charitate. Sapienter non uteretur, si destrueret, potiùs quàm ædificaret. Deesset justitia, si legitimum judicium contra regulas rectæ rationis interverteret. Deesset charitas, si cum austeritate imperaret; in ipso tamen hoc abusu non foret usurpatio potestatis non suæ, sed malum suæ potestatis exercitium.*

§. VI.

Ulterior Febronii tractatio de Canonibus Sardicensibus expenditur. An his aliquid addiderint Decretales Isidori.

1. *Febronius dicit varias fieri provocationes impulsu naturæ ad potestatem Ecclesiasticam aut civilem.*
2. *Non omnes appellationes esse laudabiles, ostenditur in schismaticis provocantibus ad Imperatores.*
3. *Item Anticonstitutionistis provocantibus ad futurum Concilium.*
4. *Aliquando in Ecclesiæ negotiis rectè fit confugium ad Principes.*
5. *Laudatur dictum S. Isidori Hispalensis de confugio ad Principes.*
6. *Concilium Trid. hortatur Principes, ut sua Decreta faciant observari.*
7. *Benedictus XIV. imploravit brachium Principum contra liberos Muratores.*
8. *Cauta moderatio adhibenda in Appellationibus.*
9. *Febronius non rectè judicat, quòd damnatus ab uno Episcopo suscipiatur ab alio perspectâ innocentiâ.*
10. *Janseniani & Quesnelliani innocentiam suam dixerunt evidentem.*
11. *Bullam Urbani VIII. dixerunt evidenter injustam.*
12. *S. Augustinus idem dicit de Hæreticis sui temporis.*

13. *Ad*

13. *Ad judicem superiorem pertinet cognoscere, an inferior judicando erraverit.*
14. *Debet in Ecclesia esse supremus judex & certus locus ad finiendas controversias.*
15. *Appellationes possunt certis modis restringi ad vitandos abusus.*
16. *Febronius dicit, quòd Canones Sardic. dederint Isidoro campum zelandi pro Rom. Curiâ.*
17. *Eum dicit interpolâsse & ad omnem casum ac personam extendisse Canones Sardicenses.*
18. *Eam extensionem probat verbis Fleurii.*
19. *Fleurius novem Rom. Pontifices nominat, quorum falsis Decretalibus dicit Isidorum probare jus appellandi.*
20. *Ex Fleurio contra Appellationes provocat ad S. Cyprianum, & S. Augustinum, & Hincmarum.*
21. *S. Cornelius Papa non admisit Fortunatum.*
22. *Verbis S. Augustini ineptè impugnat Fleurius Appellationem ad Pontificem.*
23. *Quando Appellationes sint repellendæ juxta Concilium Trid. & S. Bernardum.*
24. *Futilis crisis Conradi Urspergensis de Appellationibus.*
25. *Laudatur dictum Hildeberti de Appellationibus.*
26. *Constitutio Maximiliani Henrici Archiep. Colon. de materiâ correctoriâ.*
27. *Febronius dicit non modum tantùm, sed & substantiam Appellationum improbari.*
28. *Febronius refellitur per Constitutionem Benedicti XIV. de Appellationibus.*
29. *Callidè affingit Febronius Benedicto XIV. quæ ille retulit de aliis.*
30. *Febronius fingit omnes Appellationes Romæ admitti, si causa fuerit judicialiter tractata coram Ordinario.*
31. *Remotioribus litigantibus utiliter per alia media prospexit Sedes Apostolica.*
32. *Febronius sinè ratione universim omnes Appellationes Romanas proponit tanquam detestabiles & impias.*

I. Secretiori impulsu naturæ, dicit Febronius, homines, dum iniquiùs secum actum esse putant, confugere ad eos, qui authoritatem habent, & apud quos aliquid gratiæ sperare possunt. Alios ad Pontificem, alios ad Imperatorem, alios ad alias Sedes, & sæpius ad majores Synodos confugere.

II. Generatim qualiacunque illa confugia sanæ rationis judicio probari non possunt. Quis enim dicat schismaticos legibus Ecclesiasticis pressos rectè ad Constantinum, Theodosios, Mauritium, aliósque Imperatores confugisse, ut legitima Sacerdotii judicia frustrarentur?

III.

III. Aut quis temerarias Anticonstitutionistarum provocationes ad futurum generale Concilium laudaverit?

IV. Sicut non omnis provocatio ad potestatem sæcularem in Ecclesiæ negotiis meretur laudari, ita neque omnes tales provocationes reprehendendæ sunt. Constat ipsosmet Ss. Pontifices Leonem, Gregorium M. aliósque ad Imperatorum authoritatem confugisse, ut hæreticos Pontificiis decretis obluctantes & certiùs & citiùs compescerent.

V. Laudat Benedictus XIV pulcherrimum illud S. Isidori effatum: (Relatum in Can. Principes 23. q. 5.) *Sæpè per regnum terrenum cæleste regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem & Ecclesiæ disciplinam agunt, rigore Principum conterantur, ipsámque disciplinam, quam Ecclesiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas Principalis imponat.*

VI. Eò spectat S. Synodus Trident. dum Principes admonet, ut decreta non violari permittant, sed devotè recipi & fideliter observari faciant.

VII. Per Constitutionem: *Providas*, Benedictus XIV. ad efficaciùs disturbandam *Liberorum Muratorum* franc maçons damnatam congressionem an. 1751. imploravit authoritatem sæcularium Principum. Quanquam earum Societatum defensores hanc à Rom. Pontifice factam potestatis sæcularis implorationem *tanquam servilem Pontificiæ authoritatis depressionem* sugillârint, omnibus, quicunque de communi fidelium societate rectè judicant, hoc Benedicti XIV. factum probabatur. Itaque confugium ad Imperatores & Principes aliquando reprehendi meretur, aliquando laudari.

VIII. Cautâ moderatione temperandum est, quòd confugiam ad eum, à quo aliquid gratiæ sperari possit, factum ab iis, qui iniquiùs secum actum esse putant, à naturâ sit omnibus insitum, ne quoties iniqua putatur oppressio, semper justa dicatur provocatio seu ad potestatem sæcularem, seu ad Concilia generalia, cujus multa exempla postremorum sæculorum historia exhibet in Germaniâ, Galliâ, Belgio.

IX. Neque illud Febronianum justi est ponderis: *Ubi perspicuum erat aliquem innocentem per vim vel per gratiam, omissâ legitimâ formâ, esse damnatum, haud difficulter ab aliis Episcopis in communionem suscipiebatur.* Perspicuum philautia facit, quòd sententia damnantis aut per obliqua consilia, aut præcipitanter absque formâ legitimâ judicii fuerit concepta & pronuntiata.

X. Non deerant Jansenianis & postea Quesnello quorumdam Episcoporum patrocinia. Non omiserunt damnatarum propositionum defensores aut injustam violentiam, aut cæcum parti adversæ in Curiâ præstitum favorem incusare, subreptiones obtendere, damnationem fraudibus extortam dicere.

XI. Bullam Urbani VIII. dicebant libri Jansenianí defensores à callido versutiarum architecto Albisio Card. esse fabricatam; nulla justo examine prævio propositiones esse ex libro Jansenii excerptas. Itáne statim in commu-

nionem

nionem suscipiendus erit, quem injustè à fidelium communione sejunctum esse perspicuum videbitur? Hæc vetus est praxis errantium.

XII. Querebatur S. Augustino teste Julianus *seditionum decreto exclusam esse de Ecclesiis censuram virtutum.* Donatistæ cavillabantur: *Auditi non fuimus: Apud judices non potuimus agere causam nostram, quia nemo de rebus dubiis bene consultat, nisi qui ab irâ & amicitiâ vacuum pectus attulerit, quales non fuerunt, qui de causâ nostrâ judicârunt. Priùs eam cœperunt odisse quàm nôsse.*

XIII. Si perspexerit judex, ad quem pertinet judicis inferioris sententiam juris ordine servato discutere, si, inquam, talis perspexerit innocentiam damnati, vim, fraudem damnantis; aut juris ordinem debitum non fuisse observatum; haud difficulter eandem irritam, & nullius momenti esse pronuntiabit. Ita Febronius loquatur; consentient Romani.

XIV. Conveniebat (quis neget) modum certum determinari, ut certa sit forma judicii, conveniebat unum esse judicem supremum, ne in infinitum protendantur dissidia. Hoc præstiterunt Patres Sardicenses, dum majores suos (ùt debebant) secuti ostenderunt, ubi quæstiones finiantur. *Ad Petri cathedram propter potiorem ejus principalitatem* itum est antea: illuc eundum esse ostenderunt Patres Nicæni, & Sardicenses: illuc ibitur usque ad consummationem fæculi. Ille usus mansit in Oriente & in Africâ apud eos, qui cum Ecclesiâ Catholicâ consociantur.

XV. Sed quantùm ad particularem in quibusdam causis judicii formam, potest appellatio jam laxiores, jam strictiores terminos accipere non in Oriente & in Africâ tantùm, sed in hac etiam nostrâ Europâ. Potest adhuc appellationum & inhibitionum abusus esse. Potest contra abutentium excessus recentibus opportunis remediis per supremum Ecclesiæ Legislatorem repagulum opponi, quod multis decretis œcumenica Trid. Synodus præstitit, & novissimè Benedictus XIV.

XVI. Ea, quæ de Appellationibus sunt Concilii Sardicensis authoritate disposita, dicit Febronius *dedisse campum Isidoro, falsario zelum pro Rom. Curiâ exercendi*; id autem *duobus modis* ab eo fuisse præstitum. Qui sunt illi?

XVII. *Interpolavit*, inquit, *textum Synodi Sardic. ùt vidimus*, inquit, c. 3. Ibi, ùt hic, asseruit; nec hic, nec ibi probat. Legatur Canon 36. Caus. 2. q. 6. qui est Concilii Sardic. Conferatur cum textu Græco, quem exhibet P. du Mesnil sub finem Tomi I. Deinde extendit Isidorus ad omnes causas & judices id, quod Synodus decrevit pro solis causis Episcoporum. Hoc probat verbis Sixti I. & Zephyrini relatis *Caus.* 2. *q.* (non 8. sed) 6. *can.* 4. & 8. Scripsit Sixtus omnibus Rectoribus Ecclesiæ, seu Episcopis: *Si quis vestrûm pulsatus fuerit aliquâ adversitate, licenter hanc S. Sedem appellet, & ad eam quasi ad caput suffugium habeat, ne innocens damnetur, aut Ecclesia sua detrimentum patiatur.* Esto supposititium esse; sed quid magis à naturâ insitum esse

esse possit, quàm tale suffugium, ne ipse Episcopus innocens damnetur, aut ejus Ecclesiæ noceatur? Quid verò Zephyrinus? Invitat filios Ecclesiæ *ad matrem, ut releventur à suis oppressionibus, maternâ pietate nutriantur, defendantur*. Non dicunt, quod eorum verbis cum Fleurio attribuit Febronius: *Omnium ordinum homines in quâcunque occasione seu magni seu minimi momenti posse spernere judicium Episcopi & pro lubitu ad Curiam Rom. quascunque causas sinè ullo discrimine deferre.* Inspicienda erant decreta Tridentina, ut justam interpretationem verbis optimis tribueret, & nequaquam illa per distortam & malevolam explicationem ad ideas suas deflecteret.

XVIII. Lepidâ phrasi dicit Febronius Claudium Fleurium *ex fide & veritate historiæ suæ differere*, dum *Discur. 4. n. 5.* scribit *unam ex gravissimis, quas per falsas decretales passa est disciplina Ecclesiastica, plagis* illam esse, *quòd in infinitum extenderint appellationes ad Rom. Curiam.* Singulari studio per totum opus suæ collectionis hunc articulum ab Isidoro diffusum esse testatur, quod generatim omnino omnes omni in occasione appellare possint ad Papam. O fides! O veritas!

XIX. Novem Rom. Pontificum, Anacleti, Sixti I. & II. Fabiani, Cornelii, Victoris, Zephyrini, Marcelli & Julii decretales de hoc argumento produxit. Quid fidei & veritatis tribui possit his ejus assertis, facilè intelliget, quisquis Canones Gratiani inspexerit, quos in quæst. 6. Caus. 2. sui Decreti exhibet. Aut generatim *de Appellatione* loquuntur, ùt Fabianus; aut *de solis Episcopis*, ùt Marcellus; aut tantùm de provocatione à judicibus ad alios judices, ubi est major authoritas, ùt Julius; aut restringendo ad necessitatem: *Quoties necesse fuerit*, ùt Sixtus I. aut à posterioribus constitutionibus & Conciliorum decretis justa interpretatio verborum accipitur.

XX. Discursum Fleurianum recitat Febronius, ut probet, S. Cyprianum, qui vixit tempore Ss. Fabiani & Cornelii Pontificum, se non tantùm appellationibus opposuisse, sed & solidis momentis probâsse, quòd iis non sit deferendum. Etiam tempore S. Augustini Ecclesiam Africanam eas nondum admisisse, quod per Synodicam ad Cœlestinum dicit apparere, & in X. usque sæculum ad formam Sardicensis Concilii pauca extare appellationis exempla, exceptis majorum Ecclesiarum Episcopis, solum Papam superiorem habentibus. Hincmarum aliis instructiorem appellationes magnis animis rejecisse odio novitatis. Hæc sunt, quæ ex Fleurio descripsit Febronius. Cypriano displicuit Fortunatum & Felicissimum contra Synodi Carthaginensis decreta protectionem quærere apud Sedem Apostolicam; sed literis Cypriani de Felicissimi profectione Romam certior factus Cornelius, quòd *tanquam schismaticorum legatus, stipatus factione desperatorum*, Romæ eorum causam agere intendat Felicissimus, eundem repulit, hâc repulsâ cum ad minas & probrosas contra Cornelium calumnias impius homo efferbuisset, ei scripsit Cyprianus; gratias ei se agere, quòd impios illos repulisset, sed se mira-

 tum,

tum, quòd minis ac terroribus impiorum commotus fuerit Cornelius: *Si ita res est* (scribit Pontifici) *ut nequissimorum timeatur audacia, actum est de Episcopatûs vigore, & de Ecclesiæ gubernandæ sublimi ac divinâ potestate. Neque aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesiâ ad tempus, Sacerdos & ad tempus judex vice Christi cogitatur, cui se secundùm magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversùm Sacerdotum collegium quidquam moveret, nemo post divinum judicium, post populi suffragium, post Coëpiscoporum consensum, judicem jam non Episcopi sic solenniter electi & constituti, sed Dei faceret.* Impudentem hanc schismaticorum audaciam perstringit, quòd post fœda scelera *navigare audeant ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est.* Damnat appellationem eorum, *quorum conscientia multis delictorum laqueis vincta justo Synodi judicio plecti meruit.*

Fleur. l. 24. n. 41. XXII. Ex S. Augustini sermonibus profert Fleurius hæc verba: *Interpellet contra me mille Concilia, naviget contra me, quò voluerit; sit certè, ubi potuerit; adjuvabit me Deus, ut, ubi ego Episcopus sum, illic Clericus esse non possit.* Declarabat S. Augustinus Clericis in commune secum viventibus, se neminem in eâ communione toleraturum, qui quidpiam proprium possidere, aut de rebus tanquam propriis per testamentum disponere tentaverit. At verò hæc non probant, quod ex his elicere conatus est Fleurius. Cùm talis perfidi Clerici, qui contra fidem datam se proprietarii vitio polluit, appellatio manifestè sit frivola, sapienter declaravit S. Augustinus se eam non timere, sed auxilio Domini fretum impios tales ausus facilè frustraturum. Et quis ausit ex illis verbis colligere, quòd S. Doctor Conciliorum authoritatem contempserit, aut cuicunque Episcopali sententiæ vim tantam adscripserit, ut contra eam Concilia qualiacunque & quotcunque prævalere non valeant? Sicut ex his verbis Fleurius intelligebat Augustinum novisse Concilia, ita ex illis: *Naviget contra me, quò voluerit*, appellationes transmarinas Augustinum non latuisse inferre debebat. Cùm per literas Primatis Numidiæ causam suam apud Bonifacium I. defenderet Episcopus Fussalinus (in Synodo, cui S. Augustinus interfuit, à Sede suâ dejectus) obtinuit à Pontifice literas, quæ jubebant eum restitui, si vera essent, quæ pro eo scripserat Primas Numidiensis. Potestatis sæcularis auxilio, armatâ manu restitutionem urgente deposito, Augustinus Cœlestino Pontifici Bonifacii Successori ejus crimina exposuit; mendax precator jussus est carere impetratis. Iterum hoc probat jus appellationis S. Augustino fuisse cognitum. Epistola synodalis ad Papam Cœlestinum scripta illud non declarat, quod ei attribuit Fleurius, *ultrà tolerare se non velle appellationes transmarinas.* Tantùm humiliter precantur, ut facilem appellantibus auditum non præbeat, quòd suprà copiosiùs indicatum est.

De

De sequentium temporum more & de Hincmari oppositione, non vacat repetere, quæ dicta sunt. Ex Hericourtii tractatu excerpta Febroniana nihil novi protulerunt. Hoc singulare falsum habet, quòd soli Concilio Basileensi adscribat ordinationem quorumdam remediorum appellationes frivolas cohibendi.

XXIII. Quid Patres Trident. quid recentiorum temporum Pontifices hac de re statuerint, latere non potest. Nec in causis levis momenti, nec in materiâ, ùt vocant, correctoriâ, nec ad turpitudinis patrocinium licere appellationes, certius & notius est, quàm ut probare necesse sit. Appellationem legitimam à frivolis, seu quæ contra jus & fas, præter morem & ordinem fiunt sinè loci, modi, temporis, causæ personarum discrimine, S. Bernardus apertè discrevit. *Volentes malignari, seu improbos per legitimas appellationes ab improbo molimine deterreri*; Appellationibus autem, quæ *leviter passim, plerùmque & nequiter præsumuntur, terreri bonos*, graviter & verè dixit S. Bernardus. Justas appellationes vocat *antidotum*, frivolas autem *venenum*; quis hæc negat?

XXIV. Malè S. Bernardo jungitur Conradus Urspergensis, cujus chronicon multis calumniis, queis Rom. Pontifices impetivit, religioso authori admodum indecoris abundat. Hyberpolicâ auxesi ita litium, quæ Romam deducuntur, numerum exaggerat, ut vix aliquam dignitatem, aut parochialem Ecclesiam dicat remanere, quæ Romanæ liti non sit obnoxia. Inter 1500. diœcesis nostræ parochias ultra tres quatuórve jam non reperiuntur Romani tribunalis judicio subditæ. Gustum Febronii oblectare videntur illa: *Gaude mater nostra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ thesaurorum in terrâ, ut ad te confluant rivi & aggeres nummorum in magnâ copiâ. Lætare super iniquitate filiorum hominum. Jucundare super adjutrice tuâ discordiâ, quia erupit de puteo infernalis abyssi &c.* Gustûs parùm delicati eum esse necesse est, qui sordes istas Urspergicas non fastidiat. Commune hoc habent Curiæ omnes, in quibus causæ seu civiles, seu Ecclesiasticæ tractantur, quòd *manu vacuâ* non litigetur, nisi paupertas obstiterit. Habent hoc etiam commune, quòd quidam causarum patroni malint lites longiori filo protrahi, quàm citò terminari. Sed nec Romæ, nec alibi desunt, qui sanctum & nobile judicis officium cum integritate sustineant, & qui alia in dicasteriis munia obeundo intaminatis fulgeant honoribus, tanquam rationem ei reddituri, qui justitias judicat. Possunt omnes ubique terrarum Episcopi & Principes dicere: *Quisque suos patimur Febronios.*

XXV. Verè & sapienter scripsit Hildebertus, *quaslibet appellationes Romæ suscipi auditum non est, nec in sacris traditum institutis. Si talis novitas emergeret, ut placeat omnem indifferenter admittere appellationem, omnino tunc robur Ecclesiasticæ disciplinæ esset conterendum. Frustratoriæ appellationis refugio impunis manebit inobedientia, & venient impunè delinquentes in profundum iniquitatis.* Verà sunt hæc omnia, ideo non frustra disposuit Concilium

Concil. Trid. Seß. 21. de Ref. c. 8. lium Trid. quòd Episcopus in visitationibus curare debeat congruentibus remediis etiam per sequestrationem fructuum, ut, quæ innovari indigent, aut restaurari, reficiantur, cura animarum, aliáque debita officia rectè exerceantur, appellationibus quibuscunque, judicum deputationibus, & eorum inhibitionibus non obstantibus.

XXVI. Ideo in constitutione Maximiliani Henrici *de tripl. Vic.* conceditur Vicario in spiritualibus generali *jurisdictio spiritualis interior & exterior quoad omnia, quæ ordinarium juris processum & judicem pro tribunali sedentem non requirunt, ùt sunt excessus corrigere, delinquentes punire, inobedientes pœnis Ecclesiasticis & censuris compellere, abusus quoscunque abolere, adhibito etiam, ubi opus fuerit, publico brachii sæcularis auxilio.*

XXVII. Monet Febronius, ut *nemo sibi persuadeat, has querelas modum, non substantiam appellationum tangere, & satis per summos Pontifices communi Ecclesiæ utilitati esse prospectum* de mediis, quibus eos, qui appellationibus abutuntur, corrigi jusserunt. Quid vero causæ est, quare nemo id sibi persuadere debeat? *His*, inquit, *omnibus & singulis aliud non cavetur, quàm ut frivolis appellationibus ac gravaminibus extrajudicialibus occurratur. Si negotium*, inquit, *judicialiter sit tractandum, aut fuerit judicialiter coram Ordinario tractatum, juxta jurisprudentiam Romanam ex omnibus mundi partibus in quibuscunque causis & ab omnibus personis in viâ appellationis Romam ambulandum est.*

XXVIII. Constitutionem Benedicti XIV. de Appellationibus dicit eorum omnium summam complecti, quæ per varias Concilii Trident. sanctiones, per subsecutas Rom. Pontificum constitutiones in eâ Benedicti XIV. constitutione memoratas Clementis VIII. Gregorii XV. Urbani VIII. & Benedicti XIII. de Appellationibus disposita sunt. Hoc verum est, omnia Decreta S. Concilii, quæ appellationem removent, in hac constitutione colliguntur, dictíque quatuor Pontifices in eâ laudantur; sed, si constitutionem illam ipse Febronius vidit, & legit, improbæ malevolentiæ spiritu impulsus aliud de eâ temerè judicium tulit, quàm quòd ex ipsismet verbis ejusdem constitutionis ferri debebat. Dicit Pontifex omnia & singula eò spectare, ut *recta judiciorum methodus restituatur, antiquæ leges instaurentur, & quæ temporum injuriâ ac hominum fraude fuerant obsoletæ, novo Pontificiæ authoritatis præsidio communiantur*: totis viribus in id se incubuisse, ut *graves nimiùm & continuæ Episcoporum, aliorúmque ordinariam jurisdictionem habentium querelæ adversùs majora tribunalia, ipsiusmet etiam Rom. Curiæ compescantur.* Id plerosque locorum Ordinarios incusare, quòd *sensim abusus irrepserit ad malitiosam petentium suggestionem concedendi sinè delectu causæ & rei examine inhibitiones, quæ quanquam pro causæ meritis aboleri consueverint, faciant tamen interea causarum & judiciorum cursum intercidi, & cum gravi sæpè dispendio justitiam impediri.*

XXIX.

XXIX. E contrario autem à judicibus superioribus ad has inferiorum judicum querelas dicit illud responderi, quod callido turpique figmento Febronius ipsimet Benedicto Pontifici attribuit, quasi ad elidendas Episcoporum querelas Pontifex suopte judicio eam appellationum sine discrimine factarum frequentiam probâsset: *Querelas inanes esse, nec ulli innixas fundamento, utpote ex hac unicâ re causam & originem habentes, quòd inferioribus grave sit obedientiæ ac subjectionis jugum erga majora tribunalia, ipsisque* (locorum Ordinariis) *nimis displiceat, sibi subjectis appellationis beneficio succurri.* Minimè Benedictus hæc superiorum judicum responsa tantis aliorum querelis opposita laudavit, sed (aliorum responsionibus à se memoratis) dicit hæc dissidia facilè componi posse, si quæ à S. Trident. Synodo, Apostolicis constitutionibus & Congregationum decretis providè sancita sunt, debitæ executioni mandentur.

XXX. Cùm ea saluberrima constitutio ICtis & Theologis notissima sit, eò minùs ferenda est Febronii imprudentia, quòd, quæ aliorum verba sunt, ipsimet Pontifici Benedicto adscribat, & quòd, cùm judicum inferiorum potestatem hac veterum constitutionum innovatione sublevare voluerit, & appellationes in casibus expressis factas, ac impetratas inhibitiones ab Episcopis, aliisque locorum Ordinariis impunè sperni posse decreverit, nihilominus ausus fuerit eam interpretationem decretis Concilii & huic constitutioni tribuere, ut tantùm frivolæ appellationes à gravaminibus extrajudicialibus prohibitæ dicantur: omnino autem tunc impediri non possint, si negotium aut judicialiter tractandum sit, aut saltem judicialiter tractatum fuerit coram Ordinario. Cùm omnia, quibus in Concilio Trident. annexa sunt verba: *Appellatione remotâ*, aut his similia Benedictus XIV. in eâ constitutione collegerit, facili operâ Febronio, *si mens non læva fuisset*, reperiendum erat non de frivolis tantùm appellationibus impediendis optimum Pontificem fuisse solicitum, sed ut Episcopalis jurisdictionis authoritas, disciplinæ Ecclesiasticæ vigor, ac diœceseon recta gubernatio ab illis eximerentur obstaculis, quibus per appellationes turbabantur.

XXXI. Etiam ex his, quæ scripsit Benedictus in *Tract. de Syn.* æquior de summis Pontificibus sententia concipi poterat: *Optimè perpendentes* (inquit Benedictus) *summi Pontifices non facilè esse de rebus in longinquis regionibus emergentibus rectum Romæ institui judicium, ad quod testium necessariæ personæ vel propter sexûs, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis impedimentis adduci non poterunt, sicut ad Cælestinum I. scripserant olim Africani Episcopi, gravioribus causis tantùm suo judicio reservatis, alias levioris momenti judicibus in partibus delegare consueverunt, cujus delegationis multa & præclara exempla nobis suppeditant epistolæ Alexandri III. editæ à Jacobo Sirmondo. Cùm autem* (pergit Benedictus XIV.) *experientiâ didicisset Innocentius III. quòd nonnulli gratiâ Sedis Apostolicæ abutentes literas* *ejus* Bened. XIV. de Syn. L.4. c. 5. n.2.

Cap. nonnulli de Rescript. Cap. statut. de Rescript. in 6. Concil. Trident. Sess. 25. c. 10. de Reform.

ejus ad remotos judices impetrare niterentur, ut reus fatigatus laboribus & impensis liti cedere, vel importunitatem actoris redimere compelleretur, ut huic dolo aditum occluderet, in Concilio Lateran statuit, ne quis ultra duas diætas extra suam diœcesin per literas Apostolicas ad judicium trahi possit, nisi de assensu partium. Magis autem litigantium commodo prospexit Bonifacius VIII, Bonifacii constitutionem renovavit Concilium Trident. Subjungit Benedictus: *Ejus Trident. decreti executionem certè & litigantium indemnitati consulere, & ad rectam conferre justitiæ administrationem, nemo est, qui non videat.* Quòd autem non rarò indoctis & imperitis Protonotariis causæ committantur, hujus abusûs præcipuam causam ipsis Episcopis imputare non dubitat; cùm Romæ divinari non possit, quinam in hac aut illâ diœcesi ad Apostolicas Commissiones ritè subeundas idonei sint.

XXXII. Febronius propositi sui tenax his reponit: *Solidiùs cogitatur extra Italiam, ubi appellationes ideo refugiuntur, quia repugnant Ss. Canonibus, æquitati, prudentiæ, politiæ christiano-catholicæ, bono disciplinæ Ecclesiasticæ, juribus regnorum, evertunt fortunas privatorum, procurant delinquentibus impunitatem.* Quæ autem illæ appellationes sunt, quæ tantam iliadem tot malorum per orbem totum diffundant? Omnino omnes; nullas enim excipit. Quare? *Romani non attendunt ad jura particularia provinciarum.* An ergo Romæ nihil momenti affert ad causam particularis consuetudo constanter observata, statutis diœcesanis roborata? Ita dici & credi necesse est, ut universim statuatur, apud Sedem Apostolicam ad jura particularia provinciarum non attendi, ideóque sinè discrimine appellationes omnes Romanas quibuscunque nationibus esse perniciosas.

§. VII.

Febroniana explicatio verborum Gelasii & Nicolai I. de Appellationibus expenditur.

1. *Ad impugnandam connexionem juris appellandi cum Primatu Febronius impugnat authoritates allegatas à Benedicto XIV.*
2. *Benedictus XIV. incidenter agens de Appellationibus profert verba Gelasii & Nicolai I.*
3. *His addit dicta Stephani Tornacensis & S. Bernardi.*
4. *Exemplum justæ Appellationis S. Bernardus dicit dedisse Abbatem Guidonem.*
5. *P. Greg. Zallwein Appellationem ad Curiam Rom. dicit esse appendicem Primatûs.*
6. *Sed limitandam, ut sit in ædificationem.*
7. *Non rectè negat omnes appellationes primorum sæculorum.*

8. *Per-*

8. *Perperam discernit confugium ad protectionem ab Appellatione.*
9. *Quædam ejusdem eruditi Scriptoris hallucinationes notantur.*
10. *Febronius verba S. Gelasii non rectè interpretatur ad probandam novitatem Appellationum.*
11. *Quomodo Gelasius Appellationes defenderit.*
12. *Notantur verba Febronii* : Suo modo verum est ; Papæ convenire judicium præliminare de causâ fidei.
13. *Frivolum argumentum Febronii ex voce* : Cuiquam, *quâ usus est Gelasius.*
14. *Quid S. Leo scripserit Episcopis Galliæ de antiquâ eorum consuetudine recurrendi ad Sedem Apostolicam.*
15. *Quid Innocentius I. rescripserit ad Synodos Africanas de Appellatione.*
16. *Anteriora Pontificum exempla ostenduntur.*
17. *Episcopi etiam in Synodo non possunt reformare sententiam summi Pontificis.*
18. *Scopus epistolæ Gelasianæ quis fuerit, contra Febronium ostenditur.*
19. *Lepidè dicit Febronius, Gelasium multa speciosè dicere, si singulatim spectentur, sed parum contineri in toto.*
20. *Ostenditur de toto judicandum esse ex partibus.*
21. *Febronius dicit jam in sæculo V. Romanos de suâ authoritate muniendâ cogitâsse, cavendúmque Gelasium.*
22. *Nicolai I. authoritatem dicit minoris esse momenti, quia tunc invaluerant Decretales Isidori.*
23. *Malum ratiocinium Febronii contra Nicolaum I. refellitur.*
24. *Nicolaus I. falsas Decretales nunquam citavit.*
25. *Incongrua digressio Febronii ad Ecclesiam Gallicanam notatur.*
26. *Ante sæculum IX. factas fuisse Appellationes in Galliâ ostendit P. Natalis variis exemplis.*
27. *Petri de Marca positio pro authoritate Pontificis.*
28. *Decretum Concilii Narbonensis pro Appellationibus.*
29. *A recusatione Concilii rectè fit argumentum ad Appellationem ad Rom. Pontificem.*

I. Febronius connexionem juris recipiendarum Appellationum cum Primatu Rom. Pontificis iterum vocat *prætensam* Ut ostendat levibus facilè subvertendis eam connexionem fulcris inniti, duorum Pontificum Gelasii & Nicolai sententias, quæ in earum epistolis leguntur, à Benedicto XIV. propositas recitat, & examinare instituit, eo impulsus animi consilio, hujus juris inanitatem facilè apparituram, si ostenderit Benedicto XIV. ad nexum hujus juris cum Primatu probandum alia defuisse momenta.

II. Benedictus XIV. cùm de ministris & officialibus, quorum designatio ad

ad Synodos pertinet, ac inter alios de judicibus, quibus causæ à Sede Apostolicâ committantur, tractat, *incidenter*, non ex proposito jus Appellationum authoritate & ratione vindicandum suscepit; ob materiæ nexum pauca præfatur de hujus juris cum Primatu connexione.

III. Neque tantùm ex epistolis Gelasii & Nicolai quædam eò spectantia proponit, sed & Stephani Tornacensis Episcopi, & S. Bernardi de Appellationibus judicium laudavit. Stephani quidem, quòd *in hoc Appellationis communi refugio dignitatem Ecclesiæ Rom. consistere* dixerit. Bernardi autem, quòd inter cœtera singularis Primatûs insignia *specialiùs nobiliùsque Apostolatum Innocentii II.* cui scribebat, *nobilitet illud remedium pauperem de manu fortiorum ejus eripiendi. Ventum est*, inquit Bernardus, *ad commune refugium; illò confugimus; ibi confidimus liberari; tantùm adsit pietas, nam facultas non deest; & quidem ex privilegio Sedis Apostolicæ constat summam rerum ad vestram potissimùm respicere summam authoritatem & plenariam potestatem.*

IV. Appellationem Guidonis Abbatis ad Romanum Pontificem dicit sibi justam videri, quòd satis appareat *lacessentis injuria*, & *innocentia patientis*, & *incuria judicis*; *violentiâ calumniantis* & *inopiâ justitiæ oppressum esse pauperem*; ideo Papali judicio vindicandum sperabat.

Zallwein Princip. jur. Eccl. Tom. 2. q. 1. c. 4.

V. P. Greg. Zallwein, quanquam Petri de Marcâ & Eliæ Dupinii interpretationem Canonum Sardicensium amplectatur, quæstionem juris, *an de jure divino detur facultas provocandi ad Pontificem, casu quo à judice inferiori, Episcopo, Metropolitâ, Synodo provinciali vel nationali se læsum quis existimet*, dicit *facillimæ decisionis* esse. Concesso (sicut reipsa concedit) Primatu jurisdictionis inquit: *Sanè jus appellandi inde velut appendix necessaria consequitur. Quid enim aliud est jus appellandi, quàm jus provocandi ad judicem superiorem, velut ex ipso jure naturæ fluens, in quantum nempe sapit speciem necessariæ defensionis, ut fiat appellanti justitia, in quâ se læsum esse queritur. Si ergo Pontifex vi Primatûs vices legitimi judicis sustinet, quo ausu* (inquit) *ipsi admissionem vel exactionem appellationum abnegare sustinemus?*

VI. Jus illud appellandi ita dicit limitatum, ut per Canones, pacta, fœdera, contrariam consuetudinem ex legitimâ causâ in bonum Ecclesiarum alterari, ac intra certos limites coarctari possit; cùm, quidquid juris Christus Pontifici concessit, in ædificationem, non destructionem concesserit, & Concilium Trident. Appellationes arctaverit, multæque sint causæ in utroque jure, in quibus ad superiorem Judicem appellare non licet; esto jus appellandi in ipso jure naturæ sit fundatum. Hæc vere & rectè Zallweinius. At non pauca juxta ductum Dupinii ad hanc materiam spectantia, quæ pari assensu admittenda non sunt, admiscuit.

VII. Quæstionem facti dicit ex historiâ primorum sæculorum esse deciden-

dendam, an jus appellandi fuerit in usu Ecclesiæ. Ex tribus primis sæculis dicit nullum exemplum appellationis ad Rom. Pontifices afferri posse. Julii I. epistola ad Orientales ostendit, non recentem tunc fuisse eam consuetudinem, sed antiquam, ut Romam ab Episcopis scriberetur, atque ea, quæ justa sunt, ibi decernerentur: *Si qua hujusmodi suspicio*, inquit, *in Alexandrinæ urbis Episcopum cadebat, ad hanc nostram Ecclesiam scribendum fuit. Non ita Patres docuerunt, sed novi mores introducuntur, nova studia. Quæ accepimus à B. Petro Apostolo, hæc vobis significo.* Huc pertinent, quæ dixi de Dionysio Alexandrino, de Asiaticis & Victore I. de Africanis & Stephano. Hæc si attentiùs considerentur, facilè intelligetur, non rectè judicâsse Zallweinium, dum dicit, rem esse notissimam, quàm *parvi habuerint & Asiatici & Africani judicium Pontificum*; quàm constanter suo judicio summis Pontificibus contrario inhæserint.

VIII. Perperam dicit confugisse quidem non rarò Hæreticos (à Synodo provinciali damnatos) ad Rom. Pontificem, sed non per viam appellationis legitimæ, non ut Pontifices novum judicium assumant, causam de novo examinent, retractent, decidant, sed tantùm ut illorum patrocinium aucupentur, & Pontificiâ authoritate aliquo modo sustententur. Episcopos probatæ fidei, tanquam hæreticos in Synodis damnatos, causâ à Sede Apostolicâ denuo examinatâ, retractatâ, decisâ absolutos esse; alios judicio Rom. Pontificis, causâ denuo cognitâ, è fidelium consortio ejectos & proscriptos esse, Pauli Samosateni, ac Cœlestii, Pelagiique Apostolicâ damnatione probatum est. Illud incautè scriptum opinor, eos, qui verè hæretici erant, ideo tantùm confugisse ad Rom. Pontificem, ut illius patrocinium aucupentur, & ejus authoritate sustententur. Quis Catholicorum dicat Romæ ab Hæreticis quæsitum esse patrocinium erroris, & medium improbas novitates Papali authoritate sustentandi? Papam ùt patronum, non ùt judicem eos accessisse?

IX. Dicit Marcionem confugisse ad Pontificem: at verò tunc Sedes Rom. vacabat, cùm Presbyteri hoc responsum Romæ darent Marcioni. Dicit, quòd quemdam Pseudoepiscopum à Cypriano damnatum in communionem suam recipere voluerit Cornelius. Sed ipsemet huic asserto contradicit Cyprianus. Dicit Orientales Synodo Sardicensi Synodos Antiochenas constanter opposuisse. Qui verò hi Orientales? An omnes? an Eusebiani, qui Athanasium & Marcellum Metropolitam, Antiochiæ à sedibus suis synodali sententiâ dejectos negabant posse Rom. Pontificis authoritate legitimè suis sedibus restitui, & Patriarchicum synodale judicium causâ cognitâ rescindi? Hæc & cætera ad ideas Dupinii ab eodem erudito Authore concinnata non facilè cum his componi possunt, quæ de quæstione juris sub initium hujus tractationis asseruit: Jus appellandi ad Pontificem ex Primatu descendere, & ei, qui vi Primatûs est legitimus Judex, jus appellationes admittendi abnegari non posse. Quis enim duorum inter se maximè conjunctorum, alte-

rum ipsi Pontificatui coævum dicat semper extitisse & existere, alterum ita connexorum tribus primis sæculis anterioribus nunquam extitisse, neque postea, nisi admodum improprio significatu, & ne sic quidem, nisi in Occidentalis tantùm Ecclesiæ quibusdam provinciis imperiali potiùs indulgentiâ, quàm Pontificali authoritate?

X. Nunc Febronianum commentarium epistolæ Gelasianæ expendamus. Gelasius dixit: *Cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quòd de omni Ecclesiâ fas habeat judicandi, neque quidquam de ejus liceat judicare judicio: Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellare voluerint, ab illâ autem nemo sit appellare permissus.* Ita Gelasius. Febronium audiamus. Incipit inde, in quo allegata sententia desinit, nempe quid Gelasius per to *Canones* intellexerit: *Id apertè*, inquit, *ad Canones Sardicenses pertinet.* Non certè unius sæculi antiquitatem huic Pontificiæ authoritati attribuebat Gelasius, quasi non ultra Julii I. seu Concilii Sardic. tempora ejus potestatis exercitium ascendat. Ipse sibi interpres esto Gelasius. In eâdem epistolâ verbis à Febronio recitatis hæc subjungit: *Sed nec illa prætermus, quòd Apostolica Sedes frequenter more majorum etiam sinè ullâ Synodo præcedente & absolvendi, quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi nullâ existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem.* De Sede Apostolicâ dicit: *Percurrere vos oportet ab ipsis Beatis Apostolis, & considerare prudenter, quoniam Patres nostri catholici Pontifices in unâquaque hæresi quolibet tempore suscitatâ quidquid pro veritate, pro communione catholicâ & Apostolicâ secundùm scripturarum tramitem, prædicationémque majorum factâ semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps, firmúmque constare. Sedis illius authoritate unamquamque Synodum* dicit *confirmari, pro suo Principatu, quem B. Petrus Apostolus voce Domini percepit.*

XI. Cùm Græci objecissent Gelasio, Romæ Ss. Canones non observari, ita respondit in Commonitorio: *Nobis opponunt Canones, dum nesciunt, quid loquantur. Contra quos ipsi venire se produnt, quòd primæ Sedi sana rectáque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt Canones, qui Appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluère deferri, ab ipsâ verò nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de totâ Ecclesiâ judicare, ipsam ad nullius commeare judicium.* Ostendit à Græcis Joannem Alexand. & Calendionem Antioch. Patriarchas expulsos, Sedis Apostolicæ judicio restitutos esse. *Non veremur* (dicit ibidem) *ne Apostolica Sententia resolvatur, quam & vox Christi & majorum traditio, & Canonum fulcit authoritas, ut totam potiùs Ecclesiam ipsa dijudicet.* Alios itaque Canones indicavit præter Sardicenses. Pergit ad explicanda hæc: *De omni Ecclesiâ Rom. Pontifex fas habeat judicandi, neque quidquam liceat de ejus judicare judicio.* Quid ad hæc novus glossator?

XII.

XII. *Quoad priorem*, inquit, *partem in materiâ fidei, de quâ in epistolâ agitur, suo modo verum est circa præliminare aliquod judicium reservatâ semper universali Synodo suâ ampliore authoritate.* Novo interprete opus est, qui hanc glossam aliâ glossâ explicatiùs evolvat, ut capiatur, quid *suo modo verum* sit, quæ sit notio *judicii præliminaris*, & an, priusquam illa Febronio amplior authoritas ad præliminare judicium Papale accesserit, certam habeant fideles de disputatâ materiâ fidei definitionem per sic dictum præliminare judicium Rom. Pontificis, ut securè in obsequium Christi se intellectus accommodet. Jam suprà ostensum est, pertinaces Nestorianos exspectâsse judicium Imperatoris. Ante illud Ephesinæ definitioni acquiescebant fideles non rebelles veritati. Ante definitionem Ephesinam judicio Cœlestini se sinè dubitatione submisit S. Cyrillus & alii. Si præliminare judicium intelligatur omne illud, postquod aliud judicium sequitur, certo generi hominum præliminare erat judicium Ephesinum, aliis præliminare erat judicium Cœlestini. Si tale (sicut certè debet) præliminare judicium Rom. Pontificis intelligat Febronius verè *prætaxans*, ut ejus voce utar, quæ doctrina, qui homines damnari debeant, seu pro damnatis habendi sint, cui doctrinæ, quibus hominibus orthodoxia tribuenda sit, non repugnabit Roma.

XIII. Pergit ad alteram partem propositionis: *Non liceat cuiquam de ejus judicare judicio.* Frivolâ subtilitate observavit vocem: *Cuiquam. Loquitur*, inquit, *de singularibus Episcopis, non de aliquâ Synodo.* Intelligatur *cuiquam* homini, non *cuiquam* Synodo. Addit: *Nulli Episcoporum in particulari competit jus reformandi sententiam summi Pontificis.*

XIV. Diu ante Gelasium S. Leo scripsit ad Episcopos Galliæ: *Nobiscum vestra fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem pro suî reverentiâ à vestræ etiam provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, & pro diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellatione causarum aut retractata, aut confirmata fuisse judicia... Sed hunc tramitem semper inter Majores nostros & bene tentum, & salubriter constitutum Hilarius Ecclesiarum statum & concordiam Sacerdotum novis præsumptionibus turbaturus excessit.*

XV. Diu ante Leonem Innocentius I. non tantùm quinque Episcopis Africanis, sed & literis synodicis respondit: *Antiquæ traditionis exempla servâstis, ùt qui ad nostrum approbâstis referendum esse judicium, scientes, quid debeatur Apostolicæ Sedi; cùm omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, à quo ipso Episcopatus, & tota authoritas hujus nominis emersit, quem sequentes tam mala damnare novimus, quàm probare laudanda.*

XVI. Diu ante Innocentium Julius, ante Julium Stephanus I. ante hunc Victor retractârunt, correxerunt Episcoporum etiam congregatorum judicia.

XVII. Ut nullus Episcopus in particulari, ita neque plures in Synodo re-

formare possint sententiam summi Pontificis. Firma est regula nostri juris: *Cùm quid unâ viâ probibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti.* Ratio, propter quam nefas est ab Episcopo singulari sententiam summi Pontificis reformari & viâ censuræ particularis correctoriæ non admitti particulare judicium; eadem omnino est, quare convocatâ Synodo Diœcesanâ, aut cum vicinis Episcopis institutâ conventione ad formam Synodi provincialis talem judicii Papalis reformationem facere prohibeatur; cùm semper valeat, quod olim contra nascentem Nestorii hæresin quidam laicus applaudente Clero & populo dixit: *Non est discipulus supra magistrum.* Reprehendendi non forent Dioscorus & Photius, quòd cœtu Episcoporum convocato Leonem I. ille, hic Nicolaum I. damnaverit, si cœtui permittitur, quod singulis prohibetur.

XVIII. Addit Febronius: *Confirmat id scopus epistolæ, in quâ contra illos agitur, qui nomen Acacii retinere volebant in Diptychis, id est, adversùs singulares Episcopos.* Non unus, non seorsim plures, sed conjunctim omnes Dardaniæ Episcopi scripsêre Gelasio: *Domine sancte Apostolice & Beatissime Pater Patrum! Desiderii & voti nostri est jussionibus vestris in omnibus obedire, & quemadmodum à Patribus nostris accepimus, Sedis Apostolicæ præcepta intemeratè servare, Religionem orthodoxam, cujus estis prædicatores, fideli & inculpatâ devotione custodire. Eutychis enim vel Petri, Acaciique & omnium sectatorum ejus velut quædam pestifera contagia ante vestram quoque vitavimus jussionem.* Gelasius iis respondet, eorum sinceram cum Sede Apostolicâ communionem laudat; monet, ut cautiùs agant cum Episcopo Thessalonicensi, qui nomen Acacii & cæterorum perfidorum congruâ confessione non damnavit. Acacium dicit in suâ damnatione defunctum. Iterum scribunt Episcopi, indicántque Gelasio, quòd *multis non videatur jure damnatus, quia non constabat eum alicujus Synodi sententiâ fuisse damnatum.* His respondit Pontifex, quæ suprà memorata sunt. *Frequenter more Majorum etiam sinè ulla Synodo alios esse damnatos, alios absolutos, qui fuerant à Synodis damnati*, exemplis probavit. Dicat Febronius, quomodo, si hic scopus epistolæ fuit, ut Acacii nomen retineatur in Diptychis, censeat in hac epistolâ de materiâ fidei egisse Gelasium?

XIX. Quanquam ex glossis Febronianis luculenter appareat improba commentatoris intentio, ad eam tamen evidentiùs cognoscendam lepidè addidit: *Plura speciosa verba exhibet epistola Gelasiana, si singulatim considerentur; parum autem continet, quo Ultramontanorum prætensiones suffulciantur, si ad totum ejus argumentum attendatur. Hoc*, inquit, *solidè demonstrant Bossuetus, Launoius, Dupinius.*

XX. Quodnam sit totum scriptionis argumentum, quod Bossuetus in *lib. de pot. Ecclesiast.* tractavit, ex partibus singulatim consideratis perspici debet. Idem de aliorum, ac ipsiusmet etiam Febronii lucubrationibus, dignitati Primatûs

matûs Pontificii oppositis censendum est. Ita ex partibus epistolæ Gelasianæ singulatim consideratis perspicitur non difficulter, quò tota spectet epistola; sive in eâ de materiâ fidei agatur, sive de nomine Acacii in Diptychis non retinendo; manifestum est, quòd cum authoritate & imperio loquatur, & jus Appellationum cum Pontificio Primatu seu principatu, quem Petrus Apostolus Domini voce percepit, connexum esse doceat. *Si quis verbis Gelasii præcisè insistere maluerit*, inquit Febronius, trium jam dictorum illustrium exemplorum, Athanasii, Chrysostomi & Flaviani, ad quæ in confirmationem sui asserti ipsummet Gelasium dicit provocâsse, facienda erit accurata discussio, & ad justam Actorum publicorum lancem ponderatio; id se præstiturum promittit, certiúsque refutaturum.

XXI. Ne quis autem per luminosa sæcula, quæ Isidorum antecesserunt, cum nimiâ securitatis fiduciâ transeat, & sanctitate ac scientiâ veterum Pontificum illius periodi decipiatur, cautè admonet, ut Gelasius habeatur pro exemplo, qualiter Romani jam sub finem sæculi V. cùm de muniendâ suâ authoritate ageretur, usi sint expressionibus, quæ posteros facilè in errorem nimietatis possent conjicere, nisi sollicitè omnia, utique ea, quæ doctissimi Triumviri, Bossuetus in Opere æterno, & Launoius & Dupinius combinanda esse voluerunt, combinentur. Cautè itaque, monitore Febronio, legendus Gelasius, ejusdémque sæculi Pontifices quidam alii Innocentius & Zosimus & Leo, Sancti omnes & docti, ideóque ad decipiendos posteros inprimis idonei.

XXII. Nicolai I. operam, quâ Gelasii verba suæ ad Michaëlem Imperat. epistolæ inseruit, tanquam inanem & nullius ad Ultramontanas prætensiones fulciendas momenti generosè despectat Febronius, quòd in illâ nimis infelici periodo ignorantiæ, ad quam Sæculum IX. pertinet, evectus fuerit ad Papatum. *Fictæ Isidori Decretales suum jam vigorem obtinuerant*, inquit Febronius, *proinde minimè mirandum, si hic Pontifex plenis velis in communem tunc sententiam ierit sedi suæ faventem, & quæ in rem suam esse videbantur, ex Gelasii epistolâ decerpserit.*

XXIII. Potiùs ego illud admiror Febronii ratiocinium: Decretales Isidori Nicolai I. tempore suum vigorem obtinuerant; ergo plenis velis Nicolaus ivit in communem tunc sententiam, & Gelasii verbis usus est. An Gelasius Isidori Decretales vidit? An quia Isidoricæ Decretales vigorem tunc obtinuerant, Nicolao non licuit Gelasii verba recitare? An præter Gelasium provocavit Nicolaus ad aliquam earum Decretalium, quas primus produxit Isidorus, seu Anacleti, seu Hygini, seu Telesphori aliorúmve?

XXIV. Diligenter lectis omnibus Nicolai epistolis ad Michaëlem Imperat. ad Hincmarum, ad Synodum Sylvanectensem, ad universos Galliæ Episcopos nulla ad aliquam fictarum ab Isidoro Decretalium provocatio apparebit etiam tunc, dum in eo argumento de juribus Rom. Ecclesiæ vindicandis totus versabatur. E Siricii, & qui eum secuti sunt, RR PP. epistolis profert

 ver-

verba & sententias, minimè autem ex his, quas Isidorus nemine collectore præeunte in lucem primus protulit. Nonne hoc est plenis velis ire in Antipontificiorum maledicentiam? Cùm non semel de illius collectionis origine, & magno illo Pontifice Nicolao I. facta sit mentio, hæc jam sufficiant.

XXV. Iterum Germanus ICtus ad Gallicanam Ecclesiam digreditur; mira iterum juncturâ sermonis hanc digressionem cum Nicolao I. nititur colligare: *Eo*, inquit, *non obstante*, *Baluzius demonstrat*, *ante illam epocham publicatarum falsarum Decretalium Isidori Synodos Gallicanas nullam appellationem à Decretis suis ad Rom. Pontificem fieri permisisse.* Quid hoc ratiocinii est? Nicolaus I. ivit in sententiam tunc communem, recentissimè tunc invectam ab Isidoro, eo tamen non obstante appellatio ad Rom. Pontificem in sæculis, Nicolaum & Isidorum antecedentibus permissa non fuit à Synodis Gallicanis; quid, inquam, hoc argumenti est? Nonne hoc est sententiam suam imperitis sermonibus involvere, dum ita discurritur? Si appellationes Isidorus in sæculo IX. invenit, Nicolaus I. promovit, quid Gallicanas Synodos movere potuisset ante illa tempora, ut permitterent fieri, quod nondum erat inventum?

Nat. Alex. sec. IV. dissert. 28. XXVI. Appellationum usum in Gallicanâ Ecclesiâ diu ante illud sæculum invaluisse, ostendit Natalis appellatione Chelidonii ad Leonem, aliorum ad Vigilium, Agapetum, Joannem III. Gregorium M. aliósque.

XXVII. Ill. Petrus de Marca in responsione ad notas Lucæ Holstenii positioni à celeberrimis in foro Gallicanis ICtis his verbis conceptæ: *Pontifex Romanus nullam authoritatem in Galliis ante VI. Sæculum exercuit*, hanc definitionem opponebat: *Supremam in rebus Ecclesiasticis per Gallias authoritatem exercuit Rom. Pontifex judiciis ad relationes & appellationes redditis ab eo tempore, quo fides christiana in Galliis floruit ad hanc usque ætatem.* Huc spectant, quæ suprà ex epistolâ Leonis ad Episcopos Galliæ protuli, *pro diversarum quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellatione causarum Rom. Pontifices aut retractâsse aut confirmâsse judicia*; Hilarium novis præsumptionibus Ecclesiarum statum, & concordiam Sacerdotum turbando excessisse, dum Episcoporum ad Rom. Pontificem appellationibus obstitit.

XXVIII. Ideo minimè judicandum est, rem novam tentâsse Patres Concilii Narbonensis, dum decreverunt, *quòd conclusum fuerit à pluribus, approbandum, subscribendúmque esse ab omnibus*, sic tamen, *ut non obstante subscriptione, siquis se gravatum senserit, viam juris per appellationem ad summum Pontificem provincialis Concilii judicem ei patere voluerint.*

Can. Suspecti Caus. 7. q. 5. XXIX. Concilium provinciale recusari posse, ostendit Doctor Lovaniensis De la Hamaide in *Commentario de Recusat. judicum, cùm quodammodo naturale sit suspectorum judicum declinare insidias, & inimicorum judicium; non autem recusari posse Pontificem, cùm sit falli nescius, & superiorem non habeat, sitque omni Concilio major & superior.* Inde rectè concluditur à Concilio provinciali ad Pontificem rectè ac justè appellari posse.

§. VIII.

§. VIII.

Febronii de Ss. Athanasii, Joannis Chrysostomi, Flaviani Appellationibus ad Sedem Romanam falsa opinio refellitur.

1. *Recapitulatio promissionum Febronii.*
2. *Argumenta Gelasii dicit* infirma.
3. *Notatur phrasis*: Author epistolæ Gelasianæ.
4. *Scopus & intentio Gelasii non rectè assignatur à Febronio.*
5. *Gelasius infirmis argumentis usus non est in materiâ fidei, neque in causâ Acacii.*
6. *Positiones octo Febronianæ in quæst. de S. Athanasio.*
7. *Tantùm citat P. Natalem Alex.*
8. *Theodoreti testimonium de S. Athanasio.*
9. *Quomodo hujus & S. Julii verba componat Natalis.*
10. *Julius summo jure de hac causâ judicavit.*
11. *Natali consonat Febronius de appellatione ad Constantinum, quantum ad factum, non verò causam.*
12. *S. Athanasius testatur non fuisse speciem Sacerdotalis Concilii.*
13. *Quid actum sit Alexandriæ post Conventum Tyrium.*
14. *Quare S. Athanasius rectè ad Imp. confugerit.*
15. *Quid fecerit in causâ hac Imperator.*
16. *Quid coram Constantino objecerint Eusebiani.*
17. *S. Athanasius missus est Treviros.*
18. *Febronius falsissimè dicit Athanasium ab Imperatore expulsum, à filiis restitutum.*
19. *Quid de hac appellatione senserit Natalis.*
20. *S. Cælestini verba de Athanasii appellatione.*
21. *Julius non fuit Judex arbiter electus à partibus.*
22. *Hoc refellit Natalis.*
23. *Testimonio Socratis & Sozomeni ostenditur, S. Julium in hac causâ non egisse ùt judicem à partibus electum.*
24. *Ostenditur contra Febronium, quòd Julius fecerit officium judicis.*
25. *Febronius sibi contradicit.*
26. *Perperam dicit, non solius Julii, sed omnium Occidentalium sententiâ restitutum esse Athanasium.*
27. *Et auditos antè Ægyptios & plurimos Orientales.*
28. *Et Athanasium non contentum Julii & totius Occidentis Episcoporum sententiâ postulâsse judicium Orientalium.*
29. *Horum alios in Synodo, alios per particulares literas Athanasii innocentiam declarâsse.*

30.

30. *Jus appellationum dicit Febronius æquè parùm probari exemplo S. Chrysostomi.*
31. *Febronius falsò dicit Chrysostomum eadem petiisse à Venerio & Chromatio Episcopis, quæ petiit à Pontifice.*
32. *Falsæ illationes Febronii ex literis Innocentii ad Chrysostomum.*
33. *Exitum causæ proponit verbis Bossueti.*
34. *In quo Febronius dissentiat Bossueto & Fleurio.*
35. *Palladius testatur, quòd Innocentius judicium Theophili irritum esse decreverit.*
36. *In quo consentiat Febronius Bossueto & Fleurio.*
37. *Quo sensu Innocentius voluerit Synodum esse convocandam.*
38. *Innocentius Chrysostomum & Theophilum pares non fecit per communicatorias.*
39. *Neque par fuit conditio Innocentii & duorum Episcoporum.*
40. *Exitus causæ ostendit authoritatem Sedis Apostolicæ.*
41. *Authoritas Innocentii probatur ex calumniis Nectarii schismatici Patriarchæ.*
42. *Testimonia Theodoreti & aliorum pro Innocentio.*
43. *Concluditur ex his jurisdictio propriè dicta Rom. Pontificis.*
44. *Exemplum S. Flaviani expenditur.*
45. *Puncta falsa, quæ Febronius in hujus Appellatione dicit cautè advertenda.*
46. *Pseudosynodus Ephesina consentiente S. Leone est convocata, dolo Chrysaphii versa contra Flavianum.*
47. *S. Pulcheria Consilio S. Leonis suasit Theodosio, ut novæ hæresis extinctionem urgeat; ad hoc nec necessaria, nec utilis videbatur Synodi convocatio.*
48. *Infelix executio illius Concilii necessarium fecit legitimum Concilium.*
49. *Verè contra Eutychetem & Dioscorum S. Leo officium judicis exercuit.*
50. *S. Flavianus & Theodoretus agnoverunt in Leone judicis authoritatem.*
51. *Agnoverunt Patres Chalcedonenses.*
52. *Ministerium proponendi causam Flaviani in Synodo, quod Febronius tribuit Leoni, etiam minimus Episcopus potuisset præstare.*
53. *Valentinianus Imp. agnoscit S. Flavianum appellâsse ad Rom. Pontificem.*
54. *Febronius provocat ad Van Espen & Quesnellum.*
55. *Van Espen falsò imputat S. Leoni, quòd faverit Eutycheti magis, quàm S. Flaviano.*
56. *S. Leonis prima epistola ad Flavianum.*
57. *S. Flaviani responsio probat authoritatem S. Leonis.*
58. *Fatetur Van Espen, quòd S. Flavianus Synodum generalem censuerit non fuisse tunc necessariam.*

59.

59. *Et quòd S. Leo statim agnoverit Eutychis errores contra fidem.*
60. *Et quòd S. Leo Eutychen declaraverit hæreticum instar Nestorii.*
61. *Etiam Synodum generalem nedum non necessariam, sed & minùs utilem tum visam esse declarârit.*
62. *Post latrocinium Ephesinum S. Leo censuit Synodum generalem esse necessariam.*
63. *Leonis epistolam dogmaticam ad Flavianum laudat Van Espen.*
64. *Qualem ejus effectum speraverit S. Leo.*
65. *Appellatio ad futurum generale Concilium non nititur authoritate Concilii Nicæni aut Sardicensis.*
66. *In causâ Flaviani S. Leo supremam authoritatem exercuit per epistolam ad Cpolitanos,*
67. *Et ad Anastasium Thessalonicensem.*
68. *Quare S. Leo postea Synodum generalem, & Theodosii assensum censuerit requiri.*
69. *Quesnellus, Espenius & Febronius quænam falsò tribuant S. Leoni & S. Flaviano.*

I. Promissa est à Febronio trium exemplorum Athanasii, Chrysostomi & Flaviani, quæ Gelasius in asserti sui confirmationem protulit, discussio curata, & ad justam Actorum lancem ponderata. Monuit, ut qui se in errorem nimietatis conjicere noluerint, in horum trium exemplorum consideratione omnia solicitè combinent. Sperare jussit verba epistolæ Gelasianæ utcunque singulatim speciosa videantur, considerato toto scriptionis Gelasianæ argumento, si non nihil, certè parùm ad Ultramontanorum prætensiones fulciendas esse collatura. Post Bossueti, Launoii, Dupinii solidas (utquidem putat) demonstrationes promittit aut rectiorem interpretationem, aut certiorem refutationem epistolæ Gelasianæ. Nunc fidem liberare instituit.

II. Præfatur in hæc verba: *Videamus, quàm infirma sint argumenta, quibus author epistolæ Gelasianæ utitur ad probandum ab exemplis & ex disciplinâ Ecclesiæ id, quod intenditur.* Quid Febronius velit hâc phrasi: *Author epistolæ Gelasianæ*, non satis liquet. Si, quod solent eruditi tali modo loquendi significare, Febronius indicare voluit, authorem esse incertum & epistolam hanc fictis Decretalibus accensendam esse; contra communem veterum ac recentium Scriptorum consensum tentat id, quod fide historicâ certum habetur, incertum facere. Mutuò scriptas Gelasii & Episcoporum Dardaniæ epistolas collectionibus Conciliorum constat insertas esse tanquam genuinas. Si autem eas epistolas Febronius habet pro genuinis, phrasis est incongrua; sicut si pro: *Febronius*, uterer hâc ambage: *Author libri Febroniani.*

III. Deinde lubet sciscitari, quid sit illud, *quod intenditur*, quid probandum

 susce-

susceperit Gelasius, antequam crisis de argumentorum infirmitate, seu censura vel *interpretis*, vel *refutatoris* admittatur. Scripsit ipse Febronius Gelasii epistolam *agere de materiâ fidei*, & *scopum epistolæ hunc esse*, *ut nomen Acacii in Diptychis non retineatur*, at verò hoc ad materiam fidei non pertinet.

IV. Laudat Episcoporum Dardaniæ fidem & sinceram communionem cum Sede Apostolicâ, quòd Eutychis, Petri, Acacisque consortium etiam ante Sedis Apostolicæ jussionem vitaverint, & se ab omnium, quos Sedes Apostolica segregaverit, consortio alienos professi fuerint. Cùm autem iidem Præsules Gelasio significâssent, multis Acacium non videri jure damnatum, ideo quòd synodali sententiâ damnatus non esset, eos instruit, Acacium justâ sententiâ Sedis Apostolicæ à fidelium communione fuisse submotum, & in pertinaciâ suâ defunctum restitui non posse; solâ tantummodo authoritate Sedis Apostolicæ Timotheum Ælurum & Petrum Fullonem (ipso quoque postulante & exequente Acacio) fuisse damnatos, solius Apostolicæ Sedis judicio absolutos esse tres Patriarchas.

V. An fidem Gelasius infirmo argumento munivit? An infirmis argumentis probavit Acacium à corpore catholicæ unitatis justè fuisse abscissum, aut dum pertinaciter usque ad mortem in suâ pertinaciâ perstitit, post mortem restitui non posse? Si neutrum concedat Febronius, & nec à Felice, nec à Gelasio, nec à Symmacho preces Episcoporum, & Anastasii Imperatoris minæ restitutionem Acacii potuerunt obtinere, neque rationibus Rom. Pontificum resistere, non infirmis Sedes Apostolica nitebatur argumentis. At Febronius argumentum Gelasii à tribus dictorum Patriarcharum exemplis formatum arguit infirmitatis. Speciatim ideo ea nunc expendenda sunt.

VI. In causâ Athanasii octo positiones opponit Gelasio.

Prima est: *Constantinus Imper. judicium extraneorum Episcoporum, qui Athanasium damnaverant, utpote contra leges latum, ratum non habuit; Episcopos Concilii ad se evocavit, ut facti rationem redderent.*

2. *Athanasius non provocavit ad Rom. Pontificem, sed confugit ad Imperatorem, ut quæ contra formam judicii & leges facta fuerant, rescinderet.*

3. *Ad suam Ecclesiam recuperandam non impetravit auxilium Rom. Pontificis, sed ùt à Constantino expulsus, ita restituitur ab ejus filiis.*

4. *Non confugit Romam quasi appellans, sed metuens vim hostium.*

5. *Eusebiani scripserunt Julio; Synodum fecerunt; & ei, si vellet, causæ arbitrium detulerunt, ait ipse Athanasius. Julius tanquam judex à partibus electus potuisset Eusebianos citare, detrectantes damnare, Athanasium absolvere.*

6. *Neutrum fecit, nec ullum judicium tulit, sed tantùm audivit Athanasium, eúmque habuit pro Episcopo.*

7. *Synodus Sardic. ex præscripto Imperatorum retractavit causam, & declaravit eum suæ sedi restituendum.*

8. *Is*

8. *Is non contentus Occidentalium in hac Synodo sententiâ, Orientalium etiam judicium postulavit, & ab his tum subscribentibus Synodo, tum seorsim per literas innocens declaratus est.*

VII. Has octo positiones opponit Gelasio; nullam earum assertionum probavit, sed eidem sufficit citâsse Natalem; ât ne hunc quidem earum theson patronum habet.

VIII. Ex Theodoreto hæc profert Natalis: *Julium ... Eusebiani de criminibus, quæ falsò contra Athanasium confinxerunt, per literas certiorem fecerunt. Ille Ecclesiæ Canonem secutus & eos jussit Romam venire, & divinum Athanasium accersivit ad vadimonium* τὸν θεῖον Ἀθανάσιον ἐπὶ τὴν δίκην ἐκάλεσε. Καὶ οὗτος μὲν ἐξωρμήσεν εὐθὺς τὴν κλῆσιν δεξάμενος *& ille quidem statim profectus est citatione acceptatâ.* Vocatus est ergo (bene infert Natalis) velut præsumptus reus accusatus. Theodor. L.2. c.4.

IX. Ast cùm Julius Papa in epistolâ ad Orientales Eusebianos ita de Athanasio scribat: *Annum totum & integros sex menses hæsit, vestram præsentiam expectans, suâque præsentiâ pudefecit omnes. Non enim judicio stetisset, nisi suî fiduciam habuisset, neque sponte, sed literis nostris ad judicium vocatus comparuisset, quemadmodum vos per literas citavimus.* Cùm, inquam, dicat Julius, eum *sponte* venisse Romam, dicit Natalis Athanasium Julii literas prævenisse, Romámque tunc inexspectatum appulisse, ibidémque ab illo 18. mensibus frustra accusatores fuisse exspectatos.

X. Dicit Natalis Julium causæ Athanasii cognitionem suscepisse, de illâ summo jure & Apostolicâ primæ Sedis authoritate, minimè autem ùt merum arbitrum à partibus electum judicâsse; cùm Eusebiani contra Julium querelam facerent, quòd hujus causæ cognitionem ad suum tribunal traxisset, eósque ad gestorum & accusationum rationem reddendam ex Africâ Romam evocâsset. Ostendit hoc Natalis testimonio Socratis, cujus de Eusebianis hæc refert verba: *Ubi literas Julii acceperunt, Julii reprehensionem contumeliæ loco ducunt, Concilium Antiochiæ convocant. Ibi de communi omnium sententiâ epistolam conscribunt, per quam Julium acriùs insimulant; ostendúntque, si qui eorum arbitrio Ecclesiâ fortè essent ejecti, rem à Julio non debere decerni.* Socrat. L.2. c.15

XI. In eo quidem Febronius Natalem secutus est, quod ad primam & alteram & tertiam Febronii positionem pertinet de Athanasii Appellatione ad Constantinum à sententiâ Conciliabuli Tyrii. At verò etiam in hoc Febronius viam non tenet, quàm inivit Natalis; hic Tyrium illum conventum talem repræsentat, ut minimè speciem Concilii Ecclesiastici referat.

XII. Verbis epistolæ Synodicæ Alexandrinæ in apologiâ secundâ S. Athanasii relatis hoc probat: *Præclari Eusebiani, quò veritatem, scriptáque sua oblitterent, nomen Synodi suis Actis prætexunt, cùm res ipsa negotium imperatorium, non Synodale haberi debeat; quippe ubi Comes præsideat, & milites Episcopos satellitio cingant. Si (veluti Episcopi) se se judices volebant esse, quid*

opus erat vel Comite, vel militibus, aut edictis ad cohibendum imperialibus? Si Cæsare indigebant, & ab eo Acta robur accipere voluerunt, quo jure ipsi judicium Cæsaris irritum fecêre? Quâ de causâ, cùm Cæsar Athanasium innocentissimum suis scriptis pronuntiârit, ipsi Athanasium reum esse definiunt? Quâ fronte talem conventum Synodum appellare audent, cui Comes præsedit, & ubi spiculator apparebat, & carcerarius adventantes introducebat? Ubi Comes verba faciebat, cæteri præsentes in silentio erant, vel potiùs Comiti obsequium suum accommodabant? Ille imperio utebatur, nos à militibus ducebamur, vel potiùs jussis Eusebianorum, sententiisque ipse Comes inserviebat.

XIII. Ex eâdem epistolâ Synodicâ Patrum Alexandrinorum proponit Natalis, quid post conventum Tyrium actum sit Alexandriæ. Verba sunt: *Hostes Athanasii, potentiâ Magistratuum freti, Athanasio peregrè detento, Alexandriam, in populum, Ecclesiámque debacchaturi, contenderunt cum Ischyrâ accusatore* (*à Colutho imaginario Episcopo fictâ ordinatione cum Presbyterum esse factum* in libello contestatorio Clerici Mareotici testati sunt, & ad impiam violentiam ab Athanasio authoritate Cæsaris avertendam Imperatori Constantino fecerunt indicari) *assumpto Præfecto Philagrio pro libidine suâ quæstionibus incumbunt. Sacrorum Ministris exclusis* (quanquam ad defendendum Athanasium adeundi facultatem multis precibus requirerent) *coram ethnicis hominibus quæstiones de Ecclesiâ, de calice, de mensâ Domini, de Sanctis Sanctorum habuêre, & quod gravius est, ethnicos in quæstione de mystico poculo in testes citaverunt.*

XIV. Constantinum Athanasius implorare poterat, ut immanis violentia hostium certiùs ac citiùs comprimeretur. Præivit S. Paulus, dum appellavit ad Cæsarem, sciens coram Cæsare finiendam non esse quæstionem: An figuræ veteris Legis & vaticinia Prophetarum, & præsertim Sacerdotium Aaronis finem acceperint. Ita Athanasio, ut confugeret ad Cæsarem, res non erat de judicii Ecclesiastici corrigendâ informitate, neque de divinæ Consubstantialitatis dogmate per Cæsarem definiendo, sed de libertate, de honore, etiam de capitis periculo. Ipse in Apologiâ 2. dicit: *Adito Principe, qui Synodum* (Tyriam) *indixerat, in quâ ipsius Comes præsederat, Eusebianorum scelera patefecimus.* In ipsomet consessu Tyrio hi, qui ex Imperatoris mandato ad motus tumultuarios avertendos intererant, veriti, ne violentæ manus inferrentur Athanasio, clam eum ex judicio subduxerunt; postulatúmque est ab Episcopis Ægyptiis, ut cognitio causæ Constantino reservaretur.

XV. Ipséque Imperator, quem in Donatistis expertus fuerat, furorem denuo nunc suscitari videt ab Arianis. Per epistolam his, qui Tyri convenerant, significat, sibi Cpolim ingredienti Athanasium mediâ in viâ inexspectatum occurrisse; *nihil à me postulare se dixit* (verba sunt Constantini) *quàm ut vos huc concedere juberem, quò præsentibus vobis de illatis sibi injuriis posset conqueri:*

Apol. 2. Athan. Du Mesnil ad an. 336.

quod

quod Imperator sibi æquum, temporique congruum esse visum non dissimulavit.

XVI. Addit Eusebium cum paucis suarum partium advenisse, omissisque aliis accusationibus hoc unum coram Constantino objecisse, quòd minatus fuerit Athanasius se impediturum, ne ex Ægypto frumentum Cpolim transveheretur. Calumniam esse reponenti Athanasio, & quòd planè incredibile sit virum privatum & inopem tanta facere potuisse, obstitit Eusebius; atque ut fidem dictis faceret, juravit Athanasium *potentem, divitem & ad ea tentanda idoneum.*

XVII. His insano furore ita gestis Athanasius à Constantino Treviros relegatus est, ut adversariorum furori subduceretur. Ex his facilè judicabitur, quid Athanasius illo ad Constantinum confugio quæsierit, quale à Constantino judicium fuerit institutum; qui, quomodo judicaverint Athanasium, quare ab his, qui Tyri convenerant, facti rationem poposcerit Constantinus, quæ causa Episcopos Ægypti impulerit, ut Imperatoris judicium peterent.

XVIII. Nihil autem fœdius & magis indignum in hâc improbâ crisi Febronianâ de causâ Athanasii, quàm quòd Athanasium dicat à Constantino expulsum, à filiis restitutum. Quis credere potuisset eò progredi potuisse ICtum Germanum, ut, dum ad fidem historiæ, ad justam Actorum lancem se omnia ponderaturum promisit, quidquid in Tyrio conventu peccatum fuit iniquâ damnatione, depositione ab ipsomet etiam Febronio agnitâ, id ipsimet Constantino adscribere non vereatur? Expulsus dicitur à Cæsare, restitutus à Cæsare; quidquid actum in hâc causâ, Cæsaris authoritate actum esse. Quidquid dicat Julius Papa & Athanasius, & ipse Constantinus, falsi convincuntur judice Febronio, si Acta ejus lance ponderentur. Non eò processit Natalis, quem unicum suarum thesium, ùt dixi, produxit assertorem, ut negaret à Julio causam Athanasii susceptam, summo jure judicatam, damnatos esse commentarios Mareoticos, damnata, quæ acta sunt Tyri, Philippopoli, Alexandriæ, Antiochiæ.

XIX. Etsi neget Athanasium verâ ac propriâ appellatione provocâsse ad Julium, plus tamen Julio tribuit, dum eum dicit summo jure ad causam dicendam citâsse accusatores, & accusatum; & ab eo sententiam esse pronuntiatam, quâ communioni & Sedi Alexandrinæ restitutus est Athanasius. Non omisit ea Julii verba ad Orientales: *An ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primùm nobis scribatur, ut hinc, quod justum est, definiri possit? Quapropter si istîc hujusmodi suspicio concepta fuerat in Episcopum, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit.* Si Athanasius mensibus 18. Romæ permansit, exspectans accusatorum adventum, ut contra eos se defenderet, causam coram Julio diceret, non metus eum Romam pepulit, sed justa fiducia de Papali judicio prudenter concepta.

XX. Laudat Natalis illam S. Cœlestini ad Clerum Cpolitanum de Athana-

 sio

fio fententiam: *Fugatus illinc* (ex Oriente) *in nostris partibus roboratus est*; *hic illi redintegratus est status*, *& in hac Sede quietem communionis invenit*, *à quâ semper Catholicis subvenitur*. Dicit Athanasium confugisse Romam, ut ibi imploraret auxilium; auxilium verò ei præstitisse Julium summo jure & Apostolicâ authoritate. Vim hostium metuens confugit ad Constantinum. Pergo ad quintam positionem Febronii.

XXI. Quòd tanquam Judex à partibus electus non fuerit Julius, jam ex ipsomet Nat. Alex. monstratum est. Tantùm id nunc indicandum, imperitè hoc paradoxon ex ipsismet S. Anathasii verbis elicere Febronium. Dixit Athanasius: *Eusebiani literas misêre ad Julium*, *& ut nos terrerent*, *Synodum jusserunt convocari*, *& ipsi Julio*, *si vellet*, *arbitrium causæ detulerunt.* Infert Febronius, arbitrariam hujus causæ cognitionem ab Eusebianis fuisse Julio delatam.

XXII. Natalis hoc primum objicit argumentum, respondet, perperam inferri. Nisi enim causæ hujus cognitio ad Julium summo jure pertinuisset, inquit Natalis, eum procul dubio judicem non agnovissent, qui noverant ipsum Nicænæ fidei propugnatorem esse, & indignissimis tergiversationibus judicium dicti Pontificis declinare conati sunt.

XXIII. Potuisset (ait Febronius) Eusebianos ad se evocare, detrectantes damnare, Athanasium absolvere tanquam judex electus à partibus. Vocavit, damnavit, absolvit, ùt ait Socrates, *quoniam Rom. Ecclesia prærogativam præ cæteris obtinet. Literis perfecta verborum libertate conceptis* seu plenâ cum authoritate ab aliis non dependente παῤῥησιαστικοῖς γράμμασι *eos* (Athanasium, Asclepam, Marcellum & Lucium) *confirmavit*, *eásque ad Orientem misit*, *proprium locum cuique reddens & redarguens eos*, *à quibus dejecti fuerant*. Sozomenus hoc his verbis exprimit: *Propter Sedis suæ dignitatem habens curam omnium & solicitudinem unicuique reddidit Ecclesiam.* Arbitro nihil authoritatis esse ad judicandam causam præter id, quod eligentibus placuerit, non latebat JCtum.

XXIV. Falsa & pugnantia sunt, quæ addit Febronius: *Neutrum tamen fecit*, *nec ullum judicium tulit*, *sed tantùm auditâ Athanasii apologiâ suam cum eo communionem confirmavit*, *& pro Episcopo ipsum habuit.* Demonstratum est, quòd cognitâ causâ Julius profugos in communionem receperit, suam singulis Ecclesiam reddiderit. Quid ergo non fecit? Cur hæc decernere non est ferre judicium?

XXV. Quo nexu, quâ arte hæc verba cum illis anterioribus componet Febronius, quibus dixit paulò antè: *Athanasius contra omnem judiciorum formam per vim & ambitum, innocens & absens damnatus non solius Julii*, *sed omnium Occidentalium sententiâ suæ Sedi restitutus est?* Idem homo eodem in loco dicit: *Athanasius Julii Papæ sententiâ suæ Sedi restitutus est*, &: *nullum judicium in causâ Athanasii tulit Julius*. At solus non restituebat.

Præter-

Præterquam quòd non ideo à Julio removeatur judicii authoritas, illud etiam verum non est, quòd ea potestas ab aliorum suffragiis dependens fuerit.

XXVI. Dicat Febronius, cùm 50. Patres illius Synodi Romanæ in causâ Athanasii à Julio convocatæ numerentur, quomodo omnium occidentalium sententia ad Julii sententiam accesserit? An quoties Pontifex Episcopos vicinos convocat, ut auditis eorum suffragiis de fide aut disciplinâ pro totius Ecclesiæ salute statuat, toties totius Occidentalis Ecclesiæ vota sunt audita? An dum in hoc sæculo Benedictus XIII. Synodum Rom. convocavit, præter eos, qui subscripserunt, etiam reliqui omnes totius Occidentis dixêre sententiam?

XXVII. *Auditis*, inquit Febronius, *Ægyptiorum & quamplurimorum Orientalium suffragiis.* An aliqui ex Ægypto præter eos, qui Romæ auxilium quærebant, aderant tanquam judices? An eò accesſêre Orientales, qui cum Episcopis Italiæ Julio Pontifici assisterent? An quidquid Romæ actum est, invalidum fuit, antequam compertum esset, quid sentiretur in Ægypto? Quid illi *quamplurimi Orientales* statuerent de restituendo Athanasio & sociis? An suo judicio diffidens Julius reliquit miseros profugos in conditione reorum, donec Imperiali rescripto excitati Episcopi Sardicam convenirent?

XXVIII. Lepidissimè addit Febronius, Athanasium sententiâ omnium totius Occidentis Episcoporum, ipsiúsque Julii *non contentum, Orientalium quoque postulâsse judicium.*

XXIX. Hos Orientales Febronius duas in classes dispertit. Altera eorum est, qui Synodicæ epistolæ subscripserunt; altera verò eorum, qui particularibus suis literis innocentem declarârunt Athanasium. Literas verò illas quodnam Chartophylacium custodiat; quis Historicus pretiosa illa monumenta posteritati transmiserit; an ad Julium; an ad Imperatores; an ad Athanasium scriptæ sint, Febronius nobis non revelavit. Hæc de Athanasii appellatione. Transeundum nunc ad eam S. Joannis Chrysostomi.

XXX. Hujus exemplo *æquè parum sustineri*, ac illo, jam examinato jus Romanarum Appellationum audacter pronuntiat Febronius. Ex epistolâ Chrysostomi ad Innocentium Papam profert ejus querelam de Theophilo Patriarchâ Antiocheno, quòd in alienam provinciam irrumpere ausus sit, *& quos voluerit, Episcopos pro libidine suâ ejiciendi authoritatem sibi arrogaverit.* Rogat Pontificem, ut hanc *confusionem judiciorum ab Ecclesiâ citò avertat*, & *ejus perturbationis authores Ecclesiasticarum legum pœnis faciat subjacere*, se autem Pontificiâ *charitate*, ejus literis, ejus, aliorúmque *societate frui concedat.* His recitatis ita ratiocinatur Febronius: *Ex verbis: obsecro, ut scribas, quòd hæc iniquè facta non habeant robur, concludunt Romani appellatum esse à Chrysostomo ad Innocentium, hunc ab eo rogatum, ut Orientale judicium, quo depositus fuit, rescindat.*

Atqui

XXXI. Atqui (ait Febr.) eadem scripsit Joannes Venerio, eadem Chromatio teste Palladio. Non itaque singulare aliquid authoritatis tribuebat Innocentio; sed quod perinde poterat à dictis Episcopis Venerio & Chromatio expectare, nempe *communionem cum Occidentalibus* aut non denegandam, aut potiùs ab illis tribus confirmandam; quod vel ipso etiam Gelasio fatente (ait Febronius) *quicunque Episcopus potest præter Præsulem Apostolicum.* Pergit Febronius: *Literis Chrysostomi, teste Palladio, respondit Innocentius, Theophili judicium sibi non probari; aliâ Synodo opus esse exclusis amicis & inimicis; cùm à neutris judicium rectum proficiscatur.* Clero autem Cpolitano dicit Febronius fide Sozomeni rescripsisse Pontificem: *In judicio auditus non est, nullum crimen profertur, nullum auditur. Joanni alius injustâ ordinatione est substitutus. Quid adversùs ista in præsenti faciemus? Necessaria est cognitio Synodi, quam & nos jam pridem congregandam esse duximus. Hæc enim sola est, quæ hos motus possit componere.*

XXXII. Inde Febronius colligit sequentia: Innocentius Theophili judicium improbavit; at procul dubio idem fecerint Venerius, Chromatius, infiniti alii. Improbavit, sed non formâ judiciali. Misit Literas communionis Chrysostomo, sed nec minùs Theophilo. Si autem ad juridicam decisionem opus est cognitione Synodi, concludit, *ruere prætensum jus per se vim Appellationis cognoscendi de controversiis Episcoporum ultra tenorem Canonum Sardicensium.*

XXXIII. Exitum hunc causæ proponit verbis Bossueti: Innocentius Theophili judicium *cassum & irritum habuit, ultimam tamen sententiam Concilio œcumenico reservavit, ut asserit Palladius, dum dixit: scopus Rom. Ecclesiæ est, non communicare Orientalibus, præsertim Theophilo, donec Imperator dederit locum universali Synodo, quæ morbis medeatur.* Addit Bossuetus: *Sic Rom. Pontifex, quæ pro loci amplitudine solus inchoavit, nonnisi totius orbis sententiâ finiturus erat. At cùm Synodus ab Arcadio impetrari non posset, totius Occidentis cum Apostolicâ Sede conjuncta sententia perfecit, ut Joannis nomen in sacras tabulas referretur, ac fine novo judicio, consensione totius Ecclesiæ, Theophili Synodus solveretur.* Hæc sunt, quæ de hâc causâ congessit Febronius.

XXXIV. In eo Bossuetum & Fleurium deserit, quòd Innocentio hâc in causâ Venerium & Chromatium omnino pares faciat; eadem, quæ Chrysostomus scripsit ad Papam, credat scripsisse ad hos Episcopos; quod Papa improbavit, idem improbâsse illos ambos cum *infinitis aliis*; quòd Chrysostomum & Theophilum literis communicatoriis non discreverit Innocentius; quòd plus ad juridicam causæ decisionem afferre Papa non possit, quàm Chromatius, aliique omnium terrarum Episcopi seorsim aut sigillatim: sed opem nonnisi à Synodo, & quidem œcumenicâ exspectare potuisse dejectos. Per omnia juxta Febronii mentem & phrasin *eunt à pari*. At verò Bossuetus disertè dicit, judicium Theophili ab Innocentio Papâ cassum & irritum

irritum esse habitum, prope accedens ad verba Palladii, quem Bossuetus *Chrysostomi comitem, ac rerum omnium testem oculatum* prædicat.

XXXV. Verba Palladii in Dialogo de Innocentio Papâ hæc sunt: *Theophili judicium cassum atque irritum esse decrevit.* Bossuetus dicit Innocentium *inchoâsse cognitionem pro loci amplitudine*, & quidem hunc solum; ultimam verò sententiam Synodo fuisse reservatam, & *nonnisi totius orbis judicio & sententia finiendam* fuisse causam. Fleurius dixit, hoc rogâsse Chrysostomum, ut Innocentius scribat literas, quibus, quæ acta sunt à Theophilo contra ipsum, irrita declarentur; eundémque ad dicendam causam coram tribunali non suspecto paratum se obtulisse.

XXXVI. Quanquam in his ab utroque secesserit Febronius, cum ambobus tamen ad authoritatem Pontificis in hâc causâ deprimendam studia sua componit, quòd necessitatem judicii Synodalis à Pontifice agnitam fuisse dicat, & cum his testem producat Sozomenum.

XXXVII. Etsi convocationem Synodi ad Orientalium dissidia finienda ipse etiam Innocentius tunc maximè utilem fore censuerit; minimè tamen hoc de Synodi necessitate judicium fecit, quòd sibi legitimam potestatem judicandi deficere opinaretur, sed ut, quod nefario Episcoporum ab Alexandrino convocatorum conventu malè contextum erat contra Chrysostomum, legitimo conventu dissolveretur.

XXXVIII. Neque par fuit Theophili & Chrysostomi conditio, quantùm ad communicatorias. Innocentius Theophilum à communione non segregando id fecit, quod alii sanctitate & sapientiâ insignes Summi Pontifices ante & post Innocentium fecerunt, dum ipsos etiam hæreseon reos benignitate ad pænitentiam trahebant, eóque magis congruum erat communionem Theophilo præcipiti sententiâ non denegari, cùm de causâ disciplinæ, minimè autem de fidei materiâ esset negotium. Si ea, quæ ab eo gesta sunt contra Chrysostomum, excipiantur, se præstitit non prædicatione tantùm, sed etiam libris editis fortem orthodoxæ fidei defensorem. Eum S. Leo in epistolâ ad Marcianum Aug. vocat *sanctæ memoriæ Episcopum.* Scripta illius ùt orthodoxa in Synodo V. laudantur. S. Cyrillo in Ecclesiâ Alexandrinâ Successori, cujus avunculus erat, Ecclesiam pastorali suâ sollicitudine præclarè curatam reliquit. Humani aliquid in acerbâ & injustâ Chrysostomi persecutione passum esse Theophilum, initia dissidii, quæ suprà copiosiùs exposui, ostendunt. Quòd autem Synodale Episcoporum judicium non exspectatâ novæ Synodi definitione resciderit Innocentius, dum Joannem depositum, communione privatum, cognitâ causâ, restituit, manifestè actum judicii & Apostolicæ authoritatis probat, quam tanquam supremus judex per sententiam exercebat. *Possibile non est*, inquit in epistolâ ad Theophilum, *nos à Joannis communione discedere. Et te & fratrem nostrum communionis nostræ esse decrevimus; sicut & in prioribus literis apertè satis expressi-*

pressimus, & nunc in sententiâ nostrâ & voluntate perdurantes rursus eidem scribimus.

XXXIX. Neque par conditio erat Innocentii & duorum Episcoporum Venerii & Chromatii. Ad hos in Italiam Chrysostomus Legatos non misit; non Venerius, non Chromatius decreto aut sententiâ judicavit causam Joannis & Theophili Orientalium Patriarcharum. Inanis ergo & vanissima est Febronii in eâ comparatione subtilitas. Legantur duæ epistolæ Chrysostomi ad Innocentium, ejusdémque ad Venerium, & Chromatium ταχεῖαν διόρθωσιν citissimam pessimè à Theophilo gestorum emendationem non Mediolani, & Aquilejæ, sed Romæ exspectat. Scripsit ad Presbyteros, ad Diaconos, ad Olympiadem, aliásque sanctas fœminas, an ideo nihil habent singulare eæ literæ, quas missis Romam Episcopis quatuor, & duobus Clericis suis ad Innocentium ablegatis tradidit?

XL. Ipse etiam cursus & exitus causæ ostendit authoritatem Sedis Apostolicæ, Adsentitur Romanis (velit nolit) Febronius, dum hanc Palladii sententiam laudat: *Scopus Romanæ Ecclesiæ iste est, non communicare Orientalibus, præsertim Theophilo, donec dominus Imperator dederit locum universali Concilio.* Febronius Imperatori malè tribuit hæc verba Palladii: ἕως ἂν ὁ Χριστὸς χώραν οἰκουμενικῆς συνόδου *usque dum Christus locum dederit œcumenicæ Synodo, quæ putrefactis membris, à quibus hæc patrata sunt, medeatur.* Sed tamen hoc tribuit Rom. Sedi per Palladii verba, quod Synodis Orientalibus tribuere non poterat, dum Romanæ Ecclesiæ scopum illum attribuit, contra quem Theophilus Alexandr. Patriarcha, eíque consentientes, quantâ poterant, contentione renitebantur. Intrusus in Sedem Cpolitanam Atticus, & qui ei favebant, Episcopi petitam communionem ab Antistite Rom. Ecclesiæ impetrare non poterant, nisi Chrysostomo, qui Cucusi in exilio gloriosâ morte jam decesserat, sacri honores publici decernerentur; plus ergo authoritatis agnoscebatur esse penes Rom. Pontificem, quàm penès Orientales Patriarchas S. Chrysostomi memoriam honorare detrectantes. Atticum Chrysostomi innocentia, Sedis Apostolicæ jussio moverunt, ut absque Imperatorio mandato Chrysostomum sacris Diptychis inscriberet, & voluntati Pontificis Innocentii I. se conformaret.

XLI. Hæc agendi ratio (quâ Innocentius I. S. Chrysostomum vindicare non destitit, donec, quod voluit, obtineret) Nectarium Patriarcham schismaticum Hierosolym. sub initium hujus jam currentis sæculi movit, ut in Antirrhetico contra theses de Primatu Papæ, quod Altimura doctissimè refutavit, Innocentium scripserit *superbiæ reum, & hujus dissidii promotorem per acerbas literas, & censuras contra Theophilum.* Hanc Innocentii superbiam dicit Nectarius auctam illo Carthaginensis Concilii decreto: *De dissensione Romanæ & Alexandr. Ecclesiæ ad S. Papam scribatur, ut utraque Ecclesia intra se pacem, quam præcepit Dominus, teneat.*

XLII.

XLII. Addit laudatus Altimura testimonium Theodoreti, quo laudat constantiam Innocentii; laudat testimonium S. Isidori Pelusiotæ; præterea S. Cyrillum Alexandr. sororis Theophili filium, quòd sacros honores, debitáque præconia Chrysostomo tribuerit, nullúsque sit illius ævi Scriptor, qui Innocentium prorogati illius funesti dissidii reum dixerit.

XLIII. Stat ergo thesis: Innocentius iurisdictionem propriè dictam S. Sedis in hâc causâ ex jure & potestate Primatûs exercuit.

XLIV. Tertium restat exemplum de S. Flaviano ejusdem Sedis Cpolitanæ Patriarchâ. Illum Febronius injustè damnatum fuisse in latrocinio Ephesino, cui præsedit Dioscorus, eundémque ab iniquo hoc judicio appellâsse affirmat; hujus appellationis luculentum testem esse S. Leonem, cùm in epistolâ ad Theodosium Aug. dicat Legatos suos *fideliter reclamâsse, eisdémque libellum Appellationis à Flaviano Episcopo esse oblatum.*

XLV. Ne autem illa, quam factam fatetur, appellatio S. Flaviani systemati suo noceat, aut aliquid ad probandam Rom. Pontificis *veram; propriè dictam jurisdictionem* conferat; hæc momenta Febronius cautè animadvertenda esse admonuit:

1. Concilium necessariò postulari, totúmque judicium ad generale Concilium à Theodosio convocandum pertinere, eámque Concilii necessitatem è Sardicensium Canonum ordinatione profluere.

2. Leonem de causæ meritis judicare non potuisse; ideo Flaviani causam non fecisse coram se ventilari, neque illius judicandæ potestatem sibi arrogâsse; sed cùm causa fidei esset huic negotio implicata, Synodum generalem Orientis & Occidentis censuisse convocandam, & ut citò convocaretur, petiisse à Theodosio.

3. Non alio fine aut consilio appellâsse Flavianum ad Leonem, quàm ut hujus ope & ministerio retractationem obtineret in Synodo. Quanquam fateatur judicium latrocinii Ephesini omni jure irritum habitum esse à Leone, non tamen inde concludi posse, quòd speciale judicium institutum sit à Pontifice: sed compertâ injustitiâ poposcisse à Theodosio, ut omnia in statu suo, in quo fuerant ante omne judicium, donec major ex toto mundo Sacerdotum numerus conveniat, & quod justum, definiat.

XLVI. Consenserat S. Leo voluntati Imperatoris, ut ad Eutycheris temeritatem penitus profligandam Concilium convocaretur, quanquam tunc utile non fore censeret, minùs autem necessarium. Chrysaphius Eunuchus Flaviano infensus Imperatori hoc medium tanquam imprimis opportunum suggesserat, ut Synodale judicium Præside Flaviano contra Eutychetis errores anteà pronuntiatum nova Synodus interverteret, & infamiam hæreseos ab Eutychete in Flavianum devolveret.

XLVII. Quanquam S. Pulcheria Aug. post acceptas à S. Leone literas scripsisset Theodosio, communem Ecclesiæ utilitatem postulare, ut jam satis damnato novo errori Eutychis exterminando præsentius remedium Imperialis

potestis opponat. Quanquam etiam per celeberrimam S. Leonis epistolam ad Flavianum dogma fidei satis fuerit explicatum, persistenti tamen in suâ opinione de Synodo convocandâ Theodosio Imperatori Papa consensit, Legatósque ad Synodum Ephesi congregandam ablegavit.

XLVIII. At verò dum per Dioscorum spreto Rom. Pontifice, contemptâ ejusdem epistolâ ad Flavianum, quam prælegi vetuit, despectisque Legatis in Conciliabulo Ephesino vicisset perfidia & hæresis Eutychiana, & absoluto ejus authore damnaretur Flavianus; necessarium erat per legitimi Concilii convocationem scandalum in Orientalibus Ecclesiis, impiâ illâ definitione causatum tolli, totique orbi christiano ostendi, irritum falsúmque fuisse illud, per iniquas artes formatum in Ephesino conventu, de fide judicium, ne, dum Theodosius fraudis & violentiæ tantæ ignarus, Flavianum suspectum, Eutychetem verò innocentem judicabat, dubia rudibus maneret fidei quæstio. Non itaque alia erat necessitas, quàm quæ per eas circumstantias causata fuerat; minimè autem absoluta & talis, ut aliter de Eutychetis erroribus vitandis constare non posset.

XLIX. Quòd temerè audeat Febronius facultatem de causâ Flaviani judicium ferendi negare Summo Pontifici, â catholicâ orthodoxiâ penitus alienum est. Certè non peccavit S. Leo contra Canones Sardicenses, dum scripsit epistolam ad Flavianum, in œcumenicâ S. Synodo Chalced. laudatam, & tanquam regulam & normam à Patribus agnitam. Si potuit S. Leo, ùt ipse loquitur Febronius, judicium latrocinii, in innocentem Flavianum per vim latum, *irritum habere, & declarare omni jure*, potuit de causæ meritis & substantiâ judicare. Quomodò enim aliquis jure facultatem habeat aliquod judicium irritum declarandi, si coram se nec proponi faciat, nec ejus merita & substantiam expendat? Non est hoc judicandi potestatem *sibi arrogare*; sed exercere, dum per Legatos, aliósque Episcopos, ad subscriptionem à Dioscoro vi coactos, super rebus Ephesi gestis relationem accepit, eâque acceptâ, quid credendum sit, definivit.

L. Nec illud alicujus momenti est, quòd Febronius de consilio Flaviani aut scopo appellationis frivolâ imaginatione confinxit. Nihil Flavianus de novo Concilio convocando dixit Legatis, nec Legati de novo Concilio contra crudelitatem intentatam opponendo verba fecerunt. Theodoretus Episcopus Cyri pariter depositus, damnatúsque tanquam hæreseos reus à Dioscoro, ad S. Leonem appellavit, quod his ad eundem Pontificem verbis ipse significat: *Oro atque obtestor Sanctitatem tuam, ut rectum ac justum tribunal vestrum invocanti opem ferat, jubeátque ad vos venire, & doctrinam meam Apostolicis vestigiis inhærentem ostendere: ante omnia, ut à vobis docear, oro, an me oporteat in hâc injustâ depositione acquiescere. Vestram enim sententiam exspecto. Si in judicatis me manere jusseritis, manebo, neque ulli hominum deinceps molestus ero, sed rectum Dei, Salvatorisque nostri judicium*

um exspectabo. Qui scopus, quod consilium erat Theodoreti, idem erat Flaviani, ut irritum declararetur judicium, quod per vim latum fuerat contra innocentes.

LI. Judicâsse Leonem, agnoverunt Patres Chalcedonenses. *Sententiam* proferunt Synodalem, ut Theodoretus Ecclesiam suam recipiat, sicut & *sanctissimus Leo Archiepiscopus judicavit.*

LII. Non itaque erat *hic finis, hoc consilium Flaviani, ut ope & ministerio Leonis obtineret suæ causæ propositionem & retractationem in Synodo.* Quicunque vicinorum Episcoporum talem opem, tale ministerium Flaviano, & Theodoreto, aliisque depositis impendere poterat, ut iniquum Dioscori judicium, si statim Synodus generalis fuisset collecta, proponeretur & retractaretur. Plus ergo & uterque voluit, & generale Concilium Chalcedonense Leoni tribuendum esse professum est.

LIII. Ut, quæ Dioscorus in impio conventu Ephesino perpetraverat, celeriori compendio retractarentur, S. Leo Valentinianum Imperatorem Occidentis, & Eudoxiam ejus conjugem, qui ad memoriam B. Petri honorandam tunc Romam venerant, rogavit, ut suo apud Theodosium interventu pacem Ecclesiæ restitui facerent. Hoc officio pietatis libenter suscepto literas dedit ad Theodosium in hanc sententiam: *Rogatus sum scribere vestræ Mansuetudini de Fide, quæ dicitur perturbata, quam nos à nostris Majoribus traditam debemus cum omni competente devotione defendere, & dignitatem propriæ Venerationis B. Apostolo Petro intemeratam in nostris temporibus conservare, quatenus B. Rom. Civitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide & Sacerdotibus judicare. Hujus enim rei gratiâ secundum solennitatem Conciliorum* (Flavianus) *Cpolitanus Episcopus eum per libellos appellavit propter contentionem, quæ orta est de fide. Huic postulanti & conjuranti salutem nostram communem annuere non negavi, quatenus ad tuam Mansuetudinem meam petitionem ingererem, ut prædictus Sacerdos* (S. Leo) *congregatis ex omni orbe etiam reliquis Sacerdotibus intra Italiam, omni præjudicio sublato à principio omnem causam, quæ vertitur, solicitâ probatione cognoscens, sententiam ferat, quam fides & ratio veræ divinitatis expostulat.* En luculenter expressam Flaviani appellationem ad Rom. Pontificem.

LIV. Commodè et utiliter in rem suam pondus authoritatis addere conatus est Febr. suis assertis de Appellatione ad Sedem Apostolicam, dum prætermissis antiquis van-Espenium & Paschasium Quesnellum sui systematis patronos & defensores adducit. Ut Febronii cum utroque consensus intelligatur, juvat paucis indicare, quid de hâc S. Flaviani causâ Espenius in hoc, ut in multis aliis, Quesnellum ducem & magistrum secutus in Commentario suo proferat.

LV. Flavianum dicit non antè cogitâsse de literis ad Leonem scribendis, quàm dum didicerat Pontificem ab Eutyche deceptum, falsam concepisse opinionem de Synodo Cpolitanâ, in quâ præside Flaviano judicatus fuit Eutyches. At undenam Espenius didicit, ea opinatum fuisse Leonem, eo impulsu motum fuisse Flavianum?

LVI. Acceptis ab Eutychete literis (quibus Flaviani querelas voluit antevertere, eúmque incusavit, quòd spretâ Appellatione ad Rom. Pontificem præcipiti sententiâ se Sacerdotii honore & officii dignitate privaverit ob falsò imputatos errores) compertis etiam turbis Cpoli suscitatis, de quibus ad Leonem Theodosius Aug. scripserat, statim per literas postulavit à Flaviano, quare de tanto scandalo relationem non fecerit? Quare Eutychis appellationem non susceperit? hortatúrque, ut significet, *quid novitatis contra antiquam fidem emerserit, ut amputatis dissensionibus fides inviolata servetur, & his, qui prava defendunt, ab errore revocatis nostra* (inquit) *authoritate, quorum fides probata fuerit, muniatur.* Nullum hìc indicium est falsæ opinionis in Eutychis favorem præoccupatæ, sed omnia mentem ad justum judicium formandum dispositam comprobant.

LVII. Scripsit Flavianus; errores Eutychetis, ejúsque pertinaciam Summo Pontifici exposuit; petiítque (quod etiam narrare non omittit Espenius) ut Leo *solitâ fiduciâ utatur communem rem vindicando, ac depositioni canonicæ contra Eutychen factæ per proprias literas suffragetur*, & à novo Hæretico seducti per Chrysaphium *Imperatoris fidem firmet, suámque per prudentiam cuncta ad tranquillitatem transferat.*

LVIII. Addidit, *per sacras literas Leonis Deo cooperante novam hæresin facilè cessaturam, prohibendúmque, ne sanctissimæ totius orbis Ecclesiæ per novæ Synodi convocationem perturbentur.*

LIX. Flaviano Leonem respondisse, narrat Espenius, quòd cognoverit Eutychen *aliter, quàm convenit, de fide sentire*, neque passurus sit, ipsum Flavianum *diutinâ adversæ partis impugnatione turbari.*

LX. Theodosio autem scripsisse Leonem, ut eum in fide roboraret: *Nos sicut Nestorii dogma perversum meritò anathematizavimus, ita justè etiam horum* (Eutychetis, eíque adhærentium) *impietatem, qui veritatem carnis nostræ negant à Christo susceptam esse, damnamus.*

LXI. Eidémque etiam significâsse, *tam evidentem esse fidei causam, ut rationabiliùs ab indicendâ Synodo censeat abstinendum, quia non talis quæstio orta est, de quâ possit aut debeat dubitari.* Perperam itaque asserit Espenius S. Leonem statim post acceptam de Eutychis errore notitiam omni studio, conatúque id egisse, ut generale Concilium intra Italiam convocaretur.

LXII. At postquam dirigente Chrysaphio & Dioscoro contra Leonis voluntatem Synodus illa execrabilis peracta fuit Ephesi, in quâ Eutyches absolutus, S. Flavianus autem damnatus est; tunc primùm, & non antè cœpit S. Leo

Leo de generalis Concilii convocandi necessitate mentem suam aperire, non quòd id postulare videretur fidei causa, sed ut, quae per Synodi speciem fuerant conturbata, legitimæ Synodi opposito remedio sanarentur.

LXIII. Laudat Espenius Leonis epistolam dogmaticam ad Flavianum, quam in Concilio Chalced. dicit multis encomiis celebratam; de illâ profert hoc decretum Gelasii: *Cujus textum quispiam si ad unum jota dispunxerit, & non in omnibus venerabiliter susceperit, anathema sit.*

LXIV. In eâ epistolâ S. Leo dicit se fidem Catholicam tam distinctè exposuisse, ut, *si eam publicari permisisset Dioscorus, manifestatione purissimæ fidei, quam* (inquit) *divinitus inspiratam & accepimus & retinemus, omnium concertationum strepitus quievisset, ita ut nec imperitia ultra desiperet, nec occasionem nocendi æmulatio reperiret.*

LXV. Appellationem Flaviani dixit Leo decretis Nicænis esse conformem. Hoc fatetur Espenius. At verò seu Nicænæ seu Sardic. Synod decreta considerentur, nullus Canon est, qui *Appellationem ad futurum generale Concilium* pro necessario remedio assignet oppressis, aut depositis Episcopis, sed *ad Beatissimum veteris Romæ Episcopum* iis datur appellandi facultas; penes Pontificem agnoscunt PP. Sardicenses esse jus & arbitrium statuendi in causâ appellationis, *quod justum judicaverit.*

LXVI. Hâc potestate supremâ se usum esse in causâ Flaviani, S. Leo probavit, dum Clero populóque Cpolitano scripsit: *Quisquis superstite Flaviano Episcopo vestro Sacerdotium ejus ausus fuerit invadere, nunquam in communione nostrâ habebitur, nec inter Episcopos poterit numerari.*

LXVII. Anastasio Thessalonicensi eâdem supremâ suâ authoritate scripsit, ita in Flavianum æmulationes & odia sævisse, ut *nec innocentiæ probatissimi Sacerdotis, nec fidei christianæ parceretur. Nobis* (inquit) *ab Evangelio Domini nostri nullatenus recedentibus definitissimum est in nostræ communionis numero non futuros eos, qui conantur antiquæ Catholicæ fidei fundamenta convellere.*

LXVIII. Inani specie Synodi deceptos Leo per Synodum legitimam sapienter judicavit esse dedocendos, & quod per imperialem Theodosii authoritatem suscitatum erat scandalum in Oriente, convocato post obtentum ejus, quem sperabat, consensum generali Concilio efficaciùs & securiùs esse extirpandum: *Quoniam*, inquit, *res humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, & Regia & Sacerdotalis defendat authoritas.*

LXIX. Falsus ergo à Quesnello Espenius fefellit Febronium, dum Flaviano affingitur provocatio ad futurum generale Concilium; &, dum Sanctissimo Pontifici Leoni affingitur, quòd etiam ante latrocinium Ephesinum judicaverit necessariam esse convocationem Concilii generalis; etiam, quòd falsam opinionem de Eutychete & Flaviano præconceperit. Sed Febronio talia

fulcra

fulcra quærenda erant, quibus damnatum ſyſtema de provocatione ad futurum generale Concilium, de authoritate Rom. Pontificis ad finiendas fidei quæſtiones invalidâ, de infirmitate Appellationis ad Rom. Pontificem utcunque ſuperſtrueret, dum ſicut Queſnello & Eſpenio veneranda antiquitatis ſuffragia deerant, ita diſcipulo eorum Febronio deficiebant, & ſemper deficient.

FINIS.

INDEX

INDEX

DISSERTATIONUM ET PARAGRAPHORUM.

DISSERTATIO SINGULARIS,

IN QUA PROLEGOMENA JUSTINI FEBRONII EXAMINANTUR ET REFELLUNTUR.

DISSERTATIO I.

DE EXTERIORE FORMA REGIMINIS, QUAM IN ECCLESIA CHRISTUS DOMINUS INSTITUIT.

§. III.

DISSERTATIO II.

DE PRIMATU IN ECCLESIA ET GENUINIS EJUS JURIBUS.

§. X.

DISSERTATIO III.

DE INCREMENTIS, QUÆ PRIMATUI ROM. TRIBUIT FEBRONIUS.

DISSERTATIO IV.

DE CAUSIS, QUÆ MAJORES VOCANTUR.

§. II.

DISSERTATIO V.

DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS ET APPELLATIONIBUS AD ROM. PONTIFICEM.

DISSERTATIO II.

DE PRIMATU IN ECCLESIA ET GENUINIS EJUS JURIBUS.

§. X.

DISSERTATIO III.

DE INCREMENTIS, QUÆ PRIMATUI ROM. TRIBUIT FEBRONIUS.

DISSERTATIO IV.

DE CAUSIS, QUÆ MAJORES VOCANTUR.

§. II.

DISSERTATIO V.

DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS ET APPELLATIONIBUS AD ROM. PONTIFICEM.